/8 Half 8.75 Ex. ol.
Shelf c

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

THEOLOGIA

UNIVERSA.

THOMÆ EX CHARMES

ORD. CAPUCIN. SS. THEOL. PROFESS.

THEOLOGIA UNIVERSA

QUOAD PARTEM DOGMATICAM

ADAUCTA ANNOTATIONIBUS ET ADDITIONIBUS

NECNON TRACTATU DE DIVINA AC SUPERNATURALI REVELATIONE;

QUOAD PARTEM MORALEM

AD SENTENTIAS LIGORIANAS FUNDITUS REDUCTA

OPERA J.-A. ALBRAND

Superioris Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros

AD USUM SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM

SECUNDA EDITIO

Romanis Censoribus approbata

TOMUS PRIMUS

ALMA COLLEGE 208.9 LIBRARY C382 Alma, California

ST. JOSEPH'S CHURCH

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 9.

1868

8901



FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

BEATISSIMO SANCTISS. D. D. P. NOSTRO

BENEDICTO XIV PONTIFICI MAXIMO

BEATISSIME PATER!

Hasce meas lucubrationes ut primum edere latui, patronum, sub cujus tutela ac favore in ucem feliciter prodirent, enixe quæsivi. Ad ex- etendum Sedis Apostolicæ patrocinium invitabat ingularis illa et continua *Sanctitatis tuæ* erga ostram Congregationem benignitas, qua eam ovis quotidie, iisque amplissimis, prosequitur

beneficiis. Verum ex una parte exilitatem meam, ex altera vero supereminentem Vicarii Christi dignitatem perpendens, dubius ac tremens hærebat animus, nec opus meum oculos in splendidos Ecclesiæ montes levare, ac *Sanctissimo Nomini tuo* sese offerre præsumeret, ni ad id me moveret composita illa ad benignitatem, humanitatem, ac modestiam vivendi atque agendi ratio, qua, mira suavitate, omnes allicis ac refoves.

Me insuper moverunt plenissima illa doctrinæ sanioris ubertas, et ad sacrorum Canonum regulas instituta vivendi norma, quibus *Sanctitas tua* gregem Domini dispositione divina sibi commissum, reficit ac pascit.

Pascit, inquam, vitæ sanctioris exemplo; quid enim aliud probant morum innocentia, Familiæ Pontificalis regularis ac præclara institutio, convictus ubique dignitati et officio pastorali consentiens? Quid aliud renuntiant tot Ecclesiæ, vel de novo constructæ, vel sumptuose reparatæ, vel mirum in modum auctæ? Tot xenodochia erecta, dotata et in immensum amplificata? Quid aliud

prædicat omnibus ita patens accessus, ut throni supremi splendorem demirantes, Patris amantissimi clementia ac benigno favore devincantur?

Pascit sanioris ac profundioris doctrinæ pabulo; id per universum orbem clamant tot diversorum operum volumina, tam gratum spiritualis doctrinæ rorem distillantia, ut legentium mentes sicut adipe et pinguedine repleant. In iis namque profunda ita subtiliter, ardua ita solide, obscura ita clare tractantur, ut non tam loquens videaris, *Pastor supreme*, quam per os tuum divinarum Scripturarum sententiæ, sacrorum Conciliorum oracula, SS. Patrum placita, promere se, atque ex ipso veritatis fonte eructare videantur.

Pascit imploratis pro grege universo gratiæ divinæ auxiliis; quid namque aliud vident, quid aliud testantur, quotquot ad sacra limina quotidie accedant? Vix quippe ullus dies præterit, quo non hostiam placationis pro ovibus suis immolet, *Sanctitas tua*, instans obsecrationibus die ac nocte, sine intermissione puras manus ad Deum levans, inter vestibulum et altare plorans et di-

cens : Parce, Domine, parce populo tuo pastorali meæ sollicitudini commisso.

Sic, *Beatissime Pater,* vere lucerna ardens et lucens ab omnibus renuntiaris, ardens dulcedine devotionis, ardens fervore charitatis, ardens mellifluis meditationum exercitiis, sine intermissione habens omnium Fidelium memoriam; nocte ac die lucens omnibus qui in domo Dei sunt, Ecclesiam universam, omni discussa caligine, novis illustrans fulgoribus, animos fluctuantes confirmans ac corroborans, dissidia componens, forma factus gregis ex animo.

His ergo omnibus præclaris dotibus, per totum orbem eminentem conspicuis, fretus, *Beatissime Pater,* ad pedes *Sanctitatis tuæ* reverenter provolutus, opus suum dicare audet alumnus Religiosi Ordinis, cui sacræ Sedi Apostolicæ perfecte adhærere religio semper fuit.

Hos igitur laborum meorum fœtus, sub umbra sanctissimi Nominis tui feliciter quiescentes, voluntatis meæ officium, exiguum quidem, haud amen iniucundum meæ vectigal observantiæ, ac-

cipere digneris; fructus, si qui percipiantur, *Sanctissimæ Paternitatis tuæ* sunt, acceptosque refert, qui ei geminatis votis multos ac prosperos annos corona immortalitatis donandos deprecatur, estque cum omni, qua par est, reverentia et obsequio.

Beatissime Pater!

Sanctitatis tuæ

Humillimus, obsequentiss. necnon devotiss. filius ac servus,

F. Thomas ex Charmes,
Capuc.

BREVE APOSTOLICUM
AD AUCTOREM.

Dilecto Filio Fratri Thomæ ex Charmes, Capuccino,

BENEDICTUS PAPA XIV.

DILECTE FILI SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Tuæ ad nos delatæ sunt litteræ, scriptæ die 30 maii, una cum libris a te editis Theologiam universam complectentibus. Cursim aliquas quæstiones perlegimus, accurate nitideque conscriptas, meritoque credere possumus, alias ab eodem auctore tractatas et editas futuras esse consimiles. Tecum itaque et cum tuo Ordine gratulamur, tibique reddimus gratias, tum pro munere tuo, tum pro eo quod nomini nostro libros inscriptos vidimus. Et interea te plenis ulnis amplectentes, tibi tuisque conreligiosis Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die 25 septembris 1751. Pontificatus nostri anno duodecimo.

BREVE APOSTOLICUM
AD AUCTOREM.

Dilecto Filio Fratri Thomæ ex Charmes, Capuccino,

BENEDICTUS PAPA XIV.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Tuæ ad nos delatæ sunt litteræ, scriptæ die tertio junii elapsi, una cum tomis Theologiæ universæ secundæ editionis, nomini nostro inscriptis. Id nobis gratum maximopere fuit, cum probe noverimus primam Theologiæ editionem fuisse magno plausu acceptam. Agimus itaque gratias, et si quid pro te, vel pro tua Religione facere possumus, tuum erit nobis indicare, et interea tibi et universo Ordini tuo apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die 24 sept. 1755. Pontificatus nostri anno decimo sexto.

EPISTOLA

SUMMI PONTIFICIS AD AUCTOREM.

Dilecto Filio Fratri Thomæ ex Charmes, Capuccino,

CLEMENS P. P. XIII.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Libros tuos de Theologia tertium nuperrime editos perlibenter accepimus : libentissime vero litteras tuas summæ in nos voluntatis et obsequii tui, et in hanc Sanctam Sedem flagrantissimi studii plenas. Nos, et ingenium tuum, et labores, quos in eorum utilitatem suscepisti, qui se ad sacrarum disciplinarum studia contulerunt, paterna charitate complectimur, et tuæ erga nos devotionis significationem quam hoc tuo munere nobis ostendisti, volumus existimes animo nostro fuisse gratissimam, nostræque in te benevolentiæ pignus, apostolicam tibi Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, IV idusAugusti MDCCLXI, Pontificatus nostri anno IV.

FACULTAS

REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

Nos F. Josephus Maria ab Interamna, totius Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum minister generalis.

Cum opus, cui titulus *Theologia universa*, etc. exaratum a R. P. Thoma ex Charmes, Capuccino, provinciæ Lotharingiæ alumno, antiquo Theologiæ lectore, definitore, custode generali, duo Theologi ejusdem Ordinis, quibus id commisimus, recognoverint, atque publica luce frui posse rite probaverint, potestatem facimus ut typis mandetur, servatis prius de jure ac de consuetudine in Regno Galliæ.

Datum Romæ, ex loco nostro Immaculatæ Conceptionis, die 14 januarii, anno 1747.

F. Josephus Maria,
Minister generalis qui supra.

PRÆFATIO

AD SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATOS

Inter hancce Theologiam conscribendam nunquam e meo conspectu evolastis, *dilectissimi Candidati*, in unum vestrum profectum totus incumbens, utilitatem vestram (quæ summa votorum est) unice quæsivi, non nova tradendo, sed jam a doctissimis viris tradita, ad faciliorem ac semota omni caligine, ad nitidiorem Scholæ methodum deducendo, ut inde mens sublevetur, et veritates Theologicæ in memoria altius infigantur.

Prolixitatem et nimiam concisionem sedulo declinavi; in scholis namque non semel expertus sum, nimiam prolixitatem veritates implicare potius et obscurare quam elucidare, atque Theologiæ Candidatis, etiam oculatioribus, creare fastidium, eosque a studio avocare; nimiam vero concisionem tam modicum lumen afferre, ut tyrones, post emensum cursus Theologici stadium, in densissima quandoque versentur inscitia. Quare

1. Varias quæstiunculas mere philosophicas, vanas

et inanes tricas, ad mores instituendos ac reformandos omnino inutiles, scientiamque supernaturalem deturpantes potius quam ornantes, omisi.

2. Unam aut alteram ex firmioribus ac validioribus tum sacræ Scripturæ, tum traditionis Patrum, tum etiam rationis probationibus, selegi; cæteras prætermisi, ut operi ex una parte nihil desit necessarii, nihil ex altera redundet quo tyrones ab incepto opere deterreantur.

3. Citationes obvias ac magis necessarias in operis corpore inserui, cæteras ad calcem paginæ remisi, ut qui felici valent memoria, eas in suo loco collocare facili possint negotio; qui vero labili ac fluxa sunt memoria, earum multitudine non obtruantur.[1]

Porro, cum tam meus, quam vester progressus, *dilectissimi Candidati*, laborum meorum sit terminus, eximiorum Theologorum opiniones, sive contractas, sive etiam uberius explicatas, usurpare non sum veritus, plene persuasus, quod qui materias egregie tractatas aliter vellet pertractare, pene inevitabili illas perperam

(1) Hic in duobus numeris auctor noster suam exponit agendi rationem in variis quæstionibus practicis a se selectis; verum cum ex ipso tantum selegerimus quæ ad dogmaticam Theologiam pertinent, prædictas animadversiones omittimus, lectorem tamen monitum esse volentes inter quæstiunculas morales et resolutiones practicas, quas passim in tractatibus de Sacramentis reliquimus, plures emendatas vel etiam in aliis commutatas fuisse, non quidem ad improbandum sententias auctoris, sed ut quod communius simul ac probabilius, vel etiam magis salutare nobis cum S. Alph. de Liguorio visum est, studiosis candidatis suppeditaremus.*

tractandi periculo sese committeret; omnium ergo laboribus gratanter et reverenter usus sum; omnibus me debitorem agnosco, etiam adversantibus; in illis tamen citandis parcus fui, ne Lectori fierem importunus.

Hoc ergo qualecumque munusculum, quod ad vos suapte natura non tam currit quam volat, *dilectissimi Candidati,* indulgentes accipite, et si quid minus limatum minusve firmum occurrerit, meæ tenuitati imputantes, ignoscite, et orate pro me, ut delicta mea et ignorantias meas non meminerit Dominus; si quid vero gratum arriserit, Deo adscribite, a quo bona cuncta procedunt, cui sit sempiterna laus et gloria.

ANIMADVERSIONES

IN

SACRAM THEOLOGIAM

---

* Theologia, si ex vi nominis describatur, ea est scientia quæ de Deo tractat, ac de ejus attributis, tum absolutis, cum relativis. Si latiore acceptione sumatur, scientia est quæ non solum de Deo, sed et de omnibus rebus disserit quæ ad Deum quoquo modo referuntur, vel tanquam ad finem ultimum, vel tanquam ad principium, ex quo, mediante creatione, dimanarunt.

Deus, utpote omnium rerum istius universitatis fabricator dupliciter considerari potest : tanquam auctor naturæ, ac tanquam auctor gratiæ. Ac pari ratione, theologia quæ de Deo disserit, sub duplici illo respectu vocabitur naturalis aut supernaturalis. Theologia naturalis, sin integram materiam, saltem potiorem philosophiæ partem complectitur, et hic quoties de philosophia sermo est, eam tantum intelligimus philosophiæ partem quæ cum naturali theologia identificatur.

Sed ut clarior inter utramque theologiam naturalem ac supernaturalem fiat discretio, quædam de hominis statu, fine, ac mediis finis assequendi, breviter attingenda sunt.

Deum, quando creat, aliquem finem intendere necesse est. Et quia ipse est ens necessararium, infinite perfectum, qui alteri gloriam suam non dat [1], nec dare potest, in ipsum necessario refundenda est ratio creationis et finis ultimus rerum omnium. Hinc illud : *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Propter finem illum omnibus creaturis communem, alium necesse est finem existere entibus intelligentibus specialem. Creaturæ enim intelligentes, ut sunt homines et angeli, ex necessitate suæ naturæ ad felicitatem propriam anhelant, illam disquirunt, prosequuntur, et eam non quærere nequeunt. Deus igitur, naturæ nostræ justus ac sapiens conditor, providere debuit ut hæc nativa ac necessaria felicitas appetitio satiaretur, et ideo, præter finem omni creaturæ communem, hominis finem proximum constituere in propria adipiscenda felicitate, additis naturalibus donis ad hanc obtinendam necessariis et congruis. Ita Angelicus Doctor [2] qui distinguens inter dona debita personæ et dona debita naturæ, asserit dona naturalia esse debita ipsi conditioni naturæ, hoc est, posita creatione hominis, Deus illi debuit finem naturalem et dona naturalia ad hunc assequendum.

[1] Isai. 42, 8. — [2] Prim. sec. 2, 111, art. 1, ad. 2.

Ut autem nativus ille ac ineluctabilis felicitatis appetitus juste compleretur, satis erat si Deus homini felicitatem naturæ ejus accommodatam, nec eam excedentem, fuisset impertitus. Potuisset itaque homini solum tribuere intellectus facultates mere naturales, ut investigaret veritatem, legem naturalem inquireret, bonum secerneret a malo, ac media congrua ad finem obtinendum seligeret. Potuisset ipsi solum elargiri robur voluntatis mere naturale, ut ad praxim deduceret veritates ac legem moralem intellectu comparatam. Ea in conditione homo, recte utendo naturalibus intellectus ac voluntatis facultatibus, abstractivam Dei cognitionem, necnon naturalem ejus amorem super omnia acquirere potuisset, ac sibi felicitatem comparare, naturalem equidem, at plene ex se sufficientem ad explendam naturæ ejus exigentiam.

Summa seu complexio finis ac mediorum naturalium ad hunc attingendum finem, constituit quod vocant ordinem naturalem. Ordo ille, si existeret, esset objectum proprium theologiæ naturalis, aut philosophiæ, prout eam hic accipimus.

At Deus, summe bonus ac liberalis, non solum felicitatem naturalem homini debitam elargitus est, sed ipsi finem assignavit infinite meliorem ac infinite naturam ejus transcendentem, et ideo ipsi prorsus indebitum. Natura hominis abstractivam Dei cognitionem exposcebat ut satiaretur propria ejus exigentia; Deus hanc nostram naturam evexit ad visionem sui intuitivam, hoc est

ad visionem Dei in se, ex qua velut ex fonte plenissimo defluunt omnia bona quibus inebriantur electi. Satis erat si homo Deum vidisset per speculum in ænigmate ac eum cognovisset ex parte : ex Creatoris beneficio erectus adeo est, ut Deum videret facie ad faciem, et eum cognosceret sicut et ab ipso cognoscitur [1]. Satis erat si homo relate ad Deum conditione servi gavisus fuisset : Deus illum erexit ad dignitatem filii. Demum satis erat si finis hominis in consecutione alicujus boni fuisset positus : Deus hunc hominis finem posuit in consecutione omnis boni, scilicet in plena, perfecta ac interminabili possessione entis infiniti. Ex hoc patet quantum finis supernaturalis hominis præcellat naturali, quantum naturam hominis omni ex parte excedat. Hinc div. Paulus (1 *Cor.* 2, 9) asserit hujus felicitatis naturam humano captui esse prorsus imperviam : *Quod oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Hoc ipso quod finis ille naturæ prætergrediatur limites, sequitur illum esse prorsus homini indebitum, et ex mera Conditoris liberalitate procedere. Ad rem angelicus Præceptor [2] : *Cum vita æterna* (seu visio intuitiva quæ est finis supernaturalis) *omnem naturæ facultatem excedat, non potest homo neque in statu naturæ puræ, neque in statu naturæ corruptæ, ipsam absque gratia et divina reconciliatione promereri. Et inde est quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, nisi super*

[1] 1 Cor. 13. 12. [2] Prima sec. 2, 114, art. 3, in corp.

addatur aliquod supernaturale donum quod gratia dicitur.

Si homo ad finem mere naturalem, id est conditioni ejus simpliciter accommodatum creatus fuisset, suffecissent homini facultates mere naturales ad talem finem obtinendum, juxta doctrinam div. Thomæ [1]. *Finis autem ad quem res creatæ ordinantur a Deo duplex est : unus qui excedit proportionem naturæ creatæ et facultatem, et hic finis est vita æterna quæ in divina visione consistit : quæ est supra naturam cujuslibet creaturæ. Alius autem finis est naturæ creatæ proportionatus : quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suæ naturæ.* Mutatis autem vicibus, et constituto fine supernaturali, per quem Deus attingitur in se ac homo fit particeps divinitatis, prorsus incapax homo est talis finis assequendi. Media enim fini proportionari necesse est. Debuit igitur Creator media homini tribuere quæ divinitatis vim et efficaciam participarent. Nec Deus operi suo defuit : summe liberalis in tribuendo finem supernaturalem, summe liberalis fuit in elargiendo media supernaturalia, quæ nihil aliud sunt quam divina gratia. Cum gratia sit quædam participatio naturæ divinæ et infinite omnem creatam naturam exsuperet, congruum fit medium ad assequendum finem qui in infinitum naturam excedit. Et sic perfecte vis mediorum finis respondet celsitudini, prout tradit Doctor Angelicus [2]: *Donum autem gratiæ excedit facultatem naturæ creatæ,*

[1] Prim. parte, q. 23, art. 1 in corp. — [2] Prima sec., q. 112, art. 1 in in corp.

cum nihil aliud sit quam quædam participatio divinæ naturæ quæ excedit omnem aliam naturam.

Semel posito fine supernaturali in visione intuitiva, et mediis supernaturalibus in divina gratia, necesse fit ut inter Deum et hominem intima quædam instituatur communio, qua homo gratiam adipiscatur, vires supernaturales obtineat ad operandum in ordine ad finem, et Dei ipsius naturam quodammodo induat. Hæc autem communicatio fit dupliciter, ut explicat celebris pater Perronne [1]: « Alia siquidem cum Deo communio interior « est et absoluta, ac per hanc non divina solum, sed « etiam Deus fit, et in unam cum Deo personam con- « venit humana natura, quod in incarnatione Verbi « contigit. Alia est quæ fit extrinsecus et ex parte dun- « taxat, siquidem in sola voluntatum inter se conjunc- « tione consistit. Hæc porro moralis communiter nuncu- « patur, et est fons unde omnis sanctitas, quæ in crea- « turis est, dimanat.

« Ad hanc vero conjunctionem efficiendam duplex « adhibetur adjumentorum genus. Alia quippe sunt « instrumenta, eaque partim efficientia, ut sacramenta « novæ legis; partim dirigentia, ut lex ac morum virtu- « tumque præcepta. Aliæ autem sunt interiores causæ « ejusmodi conjunctionis, ex quibus aliquæ eam quam « vocant *formam* constituunt, seu causam formalem « justificationis et sanctitatis qua tum angeli, tum ho- « mines sancti efficiuntur; tales sunt gratia sanctificans,

[1] In prælect. theol. prolegomena. § 2.

« necnon fides, spes, charitas ac reliquæ virtutes infusæ;
« aliquæ spectari debent ut dispositio seu præparatio
« ad talem formam recipiendam, ut omnia auxilia gra-
« tiæ quibus intelligentes creaturæ interius illustran-
« tur quoad intellectum, et permoventur quoad volun-
« tatem ad bene et sancte volendum et agendum. »

Et hoc de fine supernaturali et mediis fini obtinendo idoneis. Sicut autem complexio finis ac mediorum naturalium constituit ordinem naturalem, ita summa seu complexio finis ac mediorum supernaturalium ordinem constituit supernaturalem. Duo illi ordines, duo fines, duo mediorum genera omnino a se sunt distincta, ac toto cœlo a se invicem distant, nec permisceri possunt quin in errores crassissimos delabamur. Hinc peccaverunt Pelagiani dicentes hominem absque gratia salutem supernaturalem operari posse aut saltem incipere. Hinc erravere Baiani et Janseniani, putantes *gratiam homini concessam nihil aliud esse quam sequelam creationis* [1] et *humanæ naturæ sublimationem et exaltationem, in consortium divinæ naturæ, debitam fuisse integritati primæ naturæ* [2]. Hinc peccant passim nostri ævi philosophi, dum contendunt, absque supernaturali adjumento hominem, vi solius rationis et facultatum mere naturalium, ad finem suum ultimum posse assurgere. Deliramenta hæc et alia his similia radicitus adeo in se repugnant, ut eorum plena statim pateat discrepantia cuique cordato,

[1] Prop. 35 damn. — [2] Prop. 21 damn.

qui vel primam duorum ordinum, naturalis ac supernaturalis, notionem adeptus fuerit.

Hic notare adhuc pretium erit duos ordines, naturalem ac supernaturalem, in suo conceptu radicitus distinctos, de facto tamen non existere separatos. Quidquid enim sit de momento quo Deus gratiam primo homini infuderit, an aliquandiu in statu naturæ puræ exstiterit, an vero ad ordinem supernaturalem statim fuerit exaltatus; certum est et ad fidem catholicam spectat primum hominem fuisse a Deo constitutum in statu justitiæ ac sanctitatis [1], hoc est, fuisse ad ordinem supernaturalem elevatum. Semel autem posito supernaturali ordine, eo ipso cessat existere in concreto ordo naturalis. Unde in præsenti rerum statu, nonnisi hypothetice de tali ordine disserere fas est. Item naturalis theologia aut philosophia (in quantum theologiæ materiam respicit) finem realem non habet in concreto; sed quoties, ratione innixi, philosophicis lucubrationibus operam damus, scopus noster unicus est investigare quid accidisset, quid ratio valuisset, quænam fuissent hominis finis ac conditio, posito quod Deus supernaturalem ordinem non constituisset. Quam maxime autem erraret qui philosophiæ incumbendo, etiam servato in omnibus rectæ rationis dictamine, crederet se finem hominis realem posse, rejecto supernaturali ordine, constituere! Philosophica enim ratiocinia demonstrare unice queunt quid factum fuisset, rebus aliter a Crea-

[1] Trid. sess. 5, can. 1, 2.

tore constitutis, neutiquam autem quid revera sit stabiliunt, cum, Dei beneficio, ordo naturalis ad supernaturalitatem fuerit de facto evectus, et ratiocinia a priori factum destruere nequeant.

Ex defectu adeo simplicis considerationis, tanquam ex fonte proprio, scaturiunt errores omnigeni neotericorum philosophorum, dum frustra insudant ut, ope solius rationis, ac rejecta omni supernaturalis ordinis idea, finem hominis a priori constituant; dum a solis naturæ ejus viribus efficaciam repetunt ad talem finem assequendum.

Sed ita sublato hominis naturali fine ac conditione, nonne dicendum erit hominem ad supernaturalia evectum fine sibi debito injuste spoliari ac ipsum ea perfectione et felicitate privari qua in fine ac conditione naturali fuisset perfruitus? Absit. Nedum fine naturali homo injuste spolietur, aut aliqua felicitate privetur, e contra finis ille summopere perficitur, ac infinite accrescit hominis felicitas. Finis naturalis consistit, ut dictum est, in fruitione alicujus boni partialis : finis supernaturalis consistit in fruitione omnis boni, in quo necessario continetur eminenter bonum partiale, fini naturali proprium. In naturali sua conditione, homo veritates captui suo accommodatas valuisset percipere, et viribus suis operari in ordine ad finem mere naturalem : in supernaturali conditione, præter illas aliquas veritates humano accommodatas captui, multas et alias potest homo aquirere et de facto acquirit, ac, facultatibus

naturalibus gratia collustratis et roboratis, non solun ad finem naturalem devenire potest, sed ad finem infinite meliorem et perfectiorem sese attollere Restat igitur concludendum, hominem, in evectione ad supernaturalem ordinem, nedum aliquid amittat propriæ perfectionis ac felicitatis, multa nancisci beneficia, naturæ ejus prorsus indebita, quæ ipsam mirum in modum perficiunt, et ipsi fiunt media quibus bonum infinite majus adipiscatur.

Ordo naturalis, si existeret, esset, ut diximus, objectum naturalis theologiæ. Ordo supernaturalis, realiter existens, proprium est objectum supernaturalis theologiæ, seu theologiæ simpliciter dictæ, de qua in hocce opere acturi sumus. Attente meditanti naturam hujus supernaturalis ordinis facile patebit cur theologia regina scientiarum muncupetur. Gravissimas enim investigat veritates quæ natura sua cum hominis felicitate arctissime connectuntur; originis nostræ ac finis ultimi pandit mysteria, ac duce revelationis face, etiam arcana Dei, quantum humana fert conditio, penetrat; miram indigitat rationem qua divina Providentia hominem, inter mundanas varietates, ad finem suum ultimum traducit incolumem. Denique, ut omnia uno verbo complectamur, altissimam ac suavitate plenam societatem explicat qua bonitatis ac misericordiarum Deus humillimam creaturam, prout est homo, dignatus est. Quid unquam sublimius, quid excellentius potuit excogitari? Cui scientiæ præstantior aut æque præstans poterit materia

et scopus adsignari? Aut quæ disciplina dignior studiosæ juventutis cura ac laboribus assiduis?

Præstat denique, antequam hanc dogmaticam aggrediamur tractationem, ut generalem ac logicam præmittamus totius Theologiæ divisionem. Licet in hoc opere partem modo dogmaticam intendamus, utile tamen visum fuit brevem sed completam utriusque Theologiæ, dogmaticæ et moralis divisionem tradere, ut utriusque appareat propria ratio connexionis ac differentiæ.

Omnis scientia tribus constituitur : 1° Principiis, 2° Instrumentis, 3° Objecto... 1° *Principia* sunt bases ac fundamenta ex quibus pecularia consectaria deducuntur quæ ipsum scientiæ objectum constituunt. 2° *Instrumenta* sunt media quibus utimur ad conclusiones ex principiis deducendas ac theses corroborandas. 3° *Objectum* scientiæ in ipsis consistit consectariis quæ ex principiis deducuntur.

In sacra Theologia, 1° Principium scientiæ est divina revelatio. Ad istud etiam principium pertinet divina Ecclesiæ auctoritas, supernaturalis revelationis dogmatica interpres. Deus enim revelationem non tradidit judicio privatorum interpretandam, sed eam, *quoad dogmaticam interpretationem,* Ecclesiæ suæ exclusive concredidit.

2° Instrumenta sunt omnia media quæ, adjuvante ratione, inserviunt ad peculiares theses stabiliendas, seu ad astruendas singulares veritates quæ objectum Theologiæ efformant. Illa autem media vocantur loci Theologici.

3° Objectum Theologiæ est proprie illud circa quod versatur scientia Theologica, id est summa tractatuum, et veritatum quæ in ipsis continentur, quæque constituunt normam credendorum, si de dogmatica agatur Theologia, agendorum, si de morali.

Generalis hæc scientiæ enucleatio rationem suppeditat generalis Theologiæ divisionis. 1° In tractatum de revelatione; 2° in tractatum de locis Theologicis; 3° in objectum Theologiæ. Siquidem principia Theologiæ continentur in revelatione; instrumenta suppeditant loci Theologici; objectum complectitur omnes veritates peculiares, seu Theologiam proprie dictam, vel ordinem supernaturalem.

Tertiæ hujus partis, seu objecti Theologiæ, divisio ex ipsa notione ordinis supernaturalis, de quo tractat, sponte enascitur. Omnis ordo duo implicat. ut dictum est, finem et media. At quia, antequam de ordine constituto agatur, necesse est agere de ejus Conditore, seu Creatore Deo, ideo, in tres partes hæc tertia pars subdividetur, quarum in prima de Deo; in secunda de fine; in tertia de mediis ordinis supernaturalis agetur.

I. Conditor ordinis supernaturalis est Deus; unde primo occurrit disserendum de Deo uno, trino, et creatore.

II. Finis ordinis supernaturalis est æterna felicitas. Unde statuenda destinatio hominis ad hanc felicitatem; hominis et angelorum lapsus; promissio reparatoris; natura et proprietates æternæ felicitatis, seu visionis

intuitivæ ; purgatio animarum, si quæ sint maculæ leves vel pœnæ exsolvendæ ante adeptionem æternæ felicitatis ; et (quia sunt homines qui finem attingere omittunt) Inferni existentia et æternitas.

III. De mediis ad finem attingendum necessariis. — Religio est societas hominis cum Deo. Unde duplex actio quoad media : 1° actio Dei media necessaria largientis ad finem attingendum, 2° actio hominis illis mediis cooperantis. 1° Media considerata ex parte Dei revelantis constituunt *dogma ;* etenim sub illo respectu considerandum est quid Deus revelaverit, et consequenter quid credendum. 2° Media considerata ex parte hominis cooperantis constituunt *moralem ;* stabiliendum enim hic est quid homo agere possit aut teneatur. Exinde enascitur duplex divisio in dogmaticam Theologiam et moralem.

Quoad dogma, media finis attingendi, si generaliter spectentur, nihil aliud sunt quam *gratia,* per quam elevamur ad statum supernaturalem, per quam operamur in ordine ad vitam æternam, et divinitatis participes efficimur. Gratia autem tripliciter considerari potest : 1° in sua causa meritoria quæ est incarnatio Verbi, 2° in se ipsa; 3° in sua communicatione quæ fit per sacramenta, unde tres tractatus de Incarnatione, de Gratia, de Sacramentis, qui juncti tractatibus de Deo uno trino et creatore, et iis quæ de fine ordinis supernaturalis dicta sunt completam efficiunt Theologiam dogmaticam.

Quoad partem moralem, homo cooperari debet mediis a Deo revelatis. Cooperatio autem meritoria supponit actum humanum. Ante omnia igitur explicandi sunt actus humani et eorum regula interior et exterior; unde tractatus de Actibus humanis, de Conscientia, de Legibus in genere et de Obligationibus statuum. Actus humanus, supposita legis et obligationis cognitione, vel legi repugnat, vel ipsi consentaneus est. Si primo, actus est peccaminosus; si secundo, actus virtutis. Hinc tractatus de Peccatis in genere et specie, necnon tractatus de Virtutibus.

Virtutes sunt theologicæ vel morales. Theologicas primum, præeunte de virtutibus in genere procemio, ponimus. Inter morales eas fuse enucleamus, ad quas facile omnes aliæ referuntur, scilicet religionem et justitiam, cui ultimæ, prout mos est, annectitur tractatus de Contractibus.

Post virtutes occurrunt Sacramenta, tum in genere, tum in specie, quorum partem dogmaticam et moralem indivisim, prout fert usus, exponimus.

Demum, cum omnis lex requirat sanctionem, et suapte natura sanctio legem non antecedat, sed subsequatur, Censuræ, post omnes alios tractatus, in fine hujus Theologiæ, collocantur.

Sic studiosæ juventuti prqæuimus quasi totius Theologiæ fasciculum, et quoddam itinerarium, quo facile percipiet quanto cum zelo et studio sacræ Theologiæ debeat incumbere. *

THEOLOGIA
DOGMATICA.

IN THEOLOGIAM PROLEGOMENA.

Nota. Prolegomena alicujus disciplinæ nihil aliud sunt, quam Tractatus Proemialis varias quæstiones circa illam disciplinam in universum, et circa illius principia, agitari solitas, complectens, ut intelligatur id, de quo disserendum est; hinc ab eo Tractatu exordimur, eumque in quatuor Dissertationes partimur, quarum:

Prima erit de essentia et divisione Theologiæ; *secunda*, de ejusdem existentia et necessitate; *tertia*, de illius objecto; *quarta*, de ejus proprietatibus.

DISSERTATIO I.

De essentia, et divisione Theologiæ.

Nota. Theologia, secundum nominis etymologiam, idem est ac *sermo de Deo*; est enim vocabulum derivatum a verbo græco *Theos*, quod Deum, et *logos*, quod significat sermonem; quare omnis sermo de Dei natura, perfectionibus, operibus, etc., Theologiæ nomine insigniri potest, quo sensu philosophi gentiles, teste S. Clem. Alexand.[1], suas de diis fabulas, Theologiæ vocabulo efferebant. Verum apud Catholicos, Theologiæ nomen illi soli cognitioni tri-

[1] L. 5 Strom.

buitur, quæ per discursum ex revelatione deducitur, cujus accuratam definitionem hic inquirimus, et divisionem, ideo :

Quæres 1. *Quid sit Theologia ?*

Resp. *Est habitus mentis, quo ex veritatibus immediate, vel mediate, revelatis, aut ex una saltem revelata, variæ de Deo, rebusque divinis conclusiones per discursum deducuntur.* Explicatur definitio.

Dicitur 1. *Habitus mentis :* pro genere, per hoc enim convenit cum Metaphysica, tum cum Fide, tum cum Theologia beatorum, quæ, sicut Theologia nostra, versantur circa Deum, resque divinas.

Dicitur 2. *Quo ex veritatibus revelatis :* per quod differt a Metaphysica, quæ de Deo, rebusque divinis disserit per lumen naturæ.

Dicitur 3. *Mediate, vel immediate revelatis,* quia ad conclusionem vere Theologicam non requiritur, ut præmissæ, ex quibus infertur, sint immediate et explicite revelatæ, qualis est ista, *Deus est homo :* sed sufficit, ut sint implicite et mediate revelatæ, id est ex revelatis deductæ, qualis est ista, *Christus habet duas voluntates.*

Dicitur 4. *Aut ex una saltem revelata,* quia ad conclusionem vere Theologicam sufficit, ut una præmissa sit revelata, licet altera sit naturalis, modo sit certa.

Dicitur 5. *De Deo* : ut designetur objectum primarium Theologiæ, quod est Deus, attributaque divina.

Dicitur 6. *Rebusque divinis* : ut designetur objectum Theologiæ secundarium, nempe omnia quæ ad Deum tanquam ad principium, finem, gubernatorem, legislatorem, salvatorem, etc. reducuntur.

Dicitur 7. *Conclusiones per discursum deducuntur :* per quod differt 1. a Fide, quæ versatur circa res expresse revelatas per meram adhæsionem sine discursu; 2. a Theologia patriæ, qua beati Deum resque divinas, intuitive cognoscunt per lumen clarum gloriæ.

Quæres 2. *Quotuplex sit Theologia ?*

Resp. 1. Theologia, ratione materiarum de quibus tractat, dividitur in speculativam, et practicam, seu moralem.

Theologia *Speculativa* est ea, quæ in objecti sui contemplatione quiescit, nihilque circa illud operatur; v. g. cum Theologus agit de Deo, uno, trino, creatore, etc.; vocatur etiam *dogmatica*.

Theologia *Moralis* est ea, quæ ad informandos mores tota occupatur, quæ ideo *practica* nuncupatur.

Resp. 2. Theologia *speculativa*, seu *dogmatica*, ratione methodi qua res divinæ tractantur, dividitur in positivam et scholasticam.

Theologia *positiva* est ea, quæ fusiori stylo, et modo oratorio res divinas tractat, primariaque fidei principia ponit ac statuit, ut sunt Scriptura sacra, traditio, Conciliorum statuta, etc.

Theologia *scholastica* est ea, quæ stylo ac nervo philosophico, dogmata fidei proponit, ut ea strictius ac magis methodice probet. Hinc:

Colliges, divisionem Theologiæ in positivam, scholasticam, et dogmaticam, non esse inter membra opposita, cum Theologia positiva et scholastica sint ipsa Theologia dogmatica, quæ non essentialiter, sed accidentaliter, seu tantum penes stylum et methodum, dividitur in positivam et scholasticam, et ideo *positiva* dicitur, quia veluti ponit, et proponit prima et immota fidei principia, ex quibus, tanquam ex præmissis, scholastica more philosophico suas conclusiones deducit, ut dogmata catholica manifesta faciat, et a pravis Hæreticorum assertionibus secernat ac tueatur; ideo *Scholastica* dicta, quia in scholis a quingentis annis usurpatur.

DISSERTATIO II.

De existentia et necessitate Theologiæ.

Nota 1. Theologia potest spectari dupliciter: 1. Secun-

dum substantiam et ratione sui, prout est disciplina quæ, ex principiis fidei argumentando, conclusiones Theologicas deducit, et sic proprie dicitur *positiva*. 2. Potest spectari secundum methodum scholasticam, ad quam nunc in scholis nostris est redacta.

Nota 2. Aliquid potest esse necessarium simpliciter et absolute, vel secundum quid.

Necessarium *absolute* et *simpliciter* est illud, sine quo, juxta ordinariam Dei providentiam, finis intentus haberi non potest. Tali necessitate necessaria est mandatorum Dei observatio ad salutem consequendam.

Necessarium *secundum quid* est illud, sine quo finis intentus potest quidem obtineri, sed non tam facile.

Nota 3. Aliquid potest esse necessarium toti Ecclesiæ, non vero singulis hominibus, tale est Sacramentum Ordinis : aliquid vero et toti Ecclesiæ, et singulis hominibus, sic Baptismus necessarius est ad salutem consequendam. His positis :

CONCLUSIO I.

Theologia, secundum substantiam spectata, semper extitit : spectata vero secundum methodum dialecticam, ad quam nunc in scholis nostris est redacta, non semper extitit.

Prob. prima pars, tum ex veteri Testamento, in quo erant Legisperiti, juxta illud [1] : *Væ vobis Legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ :* atqui illa scientia non erat fides nuda, sed habitus quidam circa Deum, resque divinas discursivus, cum nulla sit scientia proprie dicta sine discursu ; ergo. Tum ex novo Testamento, in quo 1. ipse Christus, ex Scripturis argumentando, suam probavit divinitatem ex hoc textu Davidis, *Psalm.* 109, *Dixit Dominus Domino meo, etc.*, ex quo arguit [2] : *Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est Filius ejus?* Et ex hoc textu : *Propter*

[1] Lucæ, 11, v. 52. — [2] Marc., 12, v. 37.

hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ [1], scholastice concludit indissolubilitatem Matrimonii, dicens : *Ergo quod Deus conjunxit, homo non separet.*

2. D. Paulus, qui [2] ex eo quod Christus pro omnibus mortuus sit, concludit : *Ergo omnes mortui sunt.*

3. Sancti Patres nervo syllogistico probarunt Christum esse consubstantialem Patri, quia in Scripturis dicitur, *Unigenitus Filius Dei.*

Confirmatur, ex eo quod ab ipsius Ecclesiæ exordio institutæ fuerint scholæ, in quibus Theologia scholastica secundum substantiam spectata, publice fuit edocta, ut testatur Eusebius [3] dicens de Schola Alexandrina : *Per idem tempus, fidelium scholæ præerat vir doctrinæ causa celeberrimus, nomine Pantænus, quippe jam a priscis temporibus Sacrarum Litterarum schola in ea civitate erat instituta, etc.* Ergo perperam Novatores christianas academias, ut novum et a gentilitate emendicatum, fideique perniciosum inventum lacessunt et insectantur.

Prob. et exponitur secunda pars, ex communi Historicorum consensu, docentium Theologiam ad methodum dialecticam fuisse primo redactam a Div. Joan. Damasceno initio VIII sæculi in quatuor libris, *de fide orthodoxa*, inscriptis. Post ipsum hanc methodum sectati sunt nobiliores Theologiæ magistri, inter quos principem locum obtinuit *Petrus Lombardus*, Episcopus Parisiensis, magister sententiarum ideo dictus, quod Sanctorum Patrum sententias redegit in quatuor libros sententiarum dictos, quem subsecuti sunt Doctor irrefragabilis Alexander de Hales, Albertus Magnus, Doctor Seraphicus D. Bonaventura, et tandem Doctor Angelicus D. Thomas, qui universam Theologiam scholasticam in unam Summam compegit, quam in tres partes distribuit.

In prima parte agit de Deo uno, trino, creatore Angelorum et hominum, et de operibus sex dierum.

[1] Genes., 2. — [2] II Cor. 5, v. 14. — [3] L. 5 *Histor. Eccl.*, cap. 10.

Secundam partem in duas partes divisit : *in prima*, quæ *prima secundæ* dicitur, agit de Actibus humanis, Legibus et Gratia. *In secunda*, quæ *secunda secundæ* dicitur, tractat de Virtutibus, et Vitiis in particulari.

In tertia denique agit de Incarnatione et Sacramentis.

CONCLUSIO II.

Theologia, secundum substantiam spectata, simpliciter et absolute necessaria est toti Ecclesiæ, non vero singulis fidelibus.

Prima pars est contra Lutherum docentem Scripturam sacram facillimam esse, nec esse obscuram nisi superbis et infidelibus, proindeque Theologiam esse inutilem.

Prob. prima pars. Ea disciplina toti Ecclesiæ est necessaria, qua fides gignitur, nutritur, defenditur, ac roboratur; atqui ex D. Aug. Theologia est *scientia, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur et roboratur* [1]. Ergo, etc.

1. Per Theologiam fides gignitur dispositive, nimirum objecti revelati propositione et explicatione; siquidem: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei... quomodo autem audient sine prædicante* [2]? Ergo censet Apostolus aliquam esse doctrinam sacram, per quam Ecclesiæ Pastores et Doctores fidei mysteria non solum exponant, sed etiam omni momentorum genere firment; quod præstare non possunt, qui Theologi non fuerint.

2. Per Theologiam fides nutritur; ubi enim per discursum Theologicum probatur fidei articulos non esse contra, licet sint supra rationem naturalem, certum est intellectum magis inclinari ad firmiorem eis assensum præbendum, quo fit ut fides veluti nutriatur, et adolescat.

3. Per Theologiam fides defenditur, juxta illud [3]: *Oportet Episcopum sine crimine esse... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.* Atqui solus Theolo-

[1] Lib. 14 *de Trinit.*, cap. 1. — [2] Rom., 10. — [3] Ad Tit. 4.

gus id præstat; dum enim Hæreticorum sophismata dialecticæ face detegit ac solvit, fides tuta victrixque triumphat.

4. Per Theologiam fides roboratur; rationes enim, similitudines, exempla, quibus Theologi scholastici fidei articulos elucidant, et credibiles demonstrant, infirmam ac nutantem imbecillium fidem roborant; ita *ut jam non sint parvuli fluctuantes et circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum ad circumventionem erroris*, ait Apost. [1].

Prob. secunda pars : Rustici complures Theologiæ rudes penitus et ignari, fidei tamen articulos firmissime credunt, sacrisque Ecclesiæ Sacramentis muniti, salutem æternam consequuntur, juxta illud, Marci 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Hinc Apost. [2] distinguens officia, ait: *Numquid omnes Apostoli?... numquid omnes Doctores?... numquid omnes interpretantur?* Ergo.

Hinc, cum D. Petrus [3] jubet, ut omnes fideles sint *parati semper ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea quæ in ipsis est spe:* debet intelligi de satisfactione per simplicem articulorum fidei expositionem, non vero per eorumdem variis rationibus confirmationem, et ab Hæreticorum fallaciis defensionem.

Objicies : *Contra primam partem*, 1. Si quæ sit necessitas Theologiæ, maxime ut sacram Scripturam interpretetur, variasque illius solvat obscuritates; sed ad hoc est prorsus inutilis. Ergo.

Prob. min. Scriptura sacra fidelibus est ita clara, ut absque ullo interprete ac Doctore genuinus illius sensus percipiatur. Ergo, etc.

Resp. *nego ant.*

Prob. ant. Ex Apost. [4] *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi* (id est, diabolus, ut Patres [5] interpretantur) *excæcavit cor*

[1] Eph. 4, v. 14. — [2] I Cor. 12, v. 29.
[3] Epist. 1, cap. 3, v. 15. — [4] II Cor. 4, v. 3 et 4.
[5] Aug., l. 1, contra Faust., cap. 9, et Cyrill. apud œcumenicum

los infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi. Ergo fidelibus omnibus Scriptura est aperta et facilis.

Resp. *nego conseq.* Apostol. enim id non loquitur de facili, vel difficili Scripturæ intelligentia, sed de fide in Christum, quam, prædicantibus Apostolis, plures ex malitia, et mentis excæcatione, repellebant, eo quod veritates Evangelicas sensuum voluptati et rationi naturali repugnare censerent.

Inst. 1. Psalm. 18. *Præceptum Domini* dicitur *lucidum, illuminans oculos.* Et Proverb. 6, dicitur : *Mandatum lucerna est, et lex, lux.* Ergo Scriptura fidelibus est ita clara, ut non egeat Doctore, nec Theologia.

Resp. *nego conseq.* Tum quia illi textus non de omnibus Scripturis intelliguntur, sed tantum de præceptis dominicis, quæ sunt clara et manifesta ; tum quia Scripturæ dicuntur lucidæ, *lux*, *lucerna*, non quod facile intelligantur, cum et ipse Regius Psaltes postulet a Domino intelligentiam Scripturarum, Psalm. 118. *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua ;* sed quod intellectæ cum fuerint, mentem illustrant, et iter ostendunt ad Christum, qui est verus sol justitiæ.

Inst. 2. Atqui Scripturæ dicuntur *lucerna*, *lux*, hoc sensu quod facile intelligantur. Ergo.

Prob. subsumpt. Ex Div. Chrysost. [1], ubi, cum ostendisset Philosophos obscure locutos, subdit : *Apostoli vero et Prophetæ omnia contra fecerunt manifesta, claraque prodiderunt veluti communes orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea quæ discuntur ex sola lectione.* Ergo Scripturæ facile intelliguntur.

Resp. *dist. conseq.* Scripturæ aliquæ, *concedo conseq.* omnes, *nego conseq.* Testatur enim ibi D. Chrysostomus se loqui de historia, et rebus similibus, quam etiam asserit non esse

[1] Homil. 3 *de Lazaro.*

omnibus claram; subdit enim : *Sume librum in manus, lege historiam omnem, et quæ nota sunt, memoriam tene; quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem.* Quæ verba eo magis sunt notanda, quod solum Chrysostomum nobis objicere soleant Hæretici.

Objicies 2. *Lutherus;* Patres suas sententias probant ex Scriptura; atqui non debet probari quod notius est, per id quod est minus notum; ergo Scripturæ sunt clariores, quam Commentaria Patrum.

Resp. *nego conseq.* Argumentum enim est putidum sophisma; nam ex illo philosophorum principio : *minus notum ex magis noto probandum est* : quod a Philosophis intelligitur de notitia veritatis rei, in eo positæ, ut quis intelligat id quod dicitur esse verum, Lutherus concludit notitiam verborum, quæ in perspicuitate sententiæ consistit, quemadmodum dicimus notiorem esse, id est, clariorem, sententiam propriam, quam figuratam.

Itaque Patres sententias suas Scripturarum testimoniis confirmant, quia notius est verum esse quod in Scripturis habetur, quam quod habetur in Patribus : et tamen iidem Patres commentariis suis Scripturas illustrant, quia verba Scripturæ sunt obscuriora, quam verba Patrum.

CONCLUSIO III.

Theologia Scholastica Ecclesiæ non est absolute necessaria, est tamen utilissima.

Prob. prima pars : Ecclesia cum sola Theologia positiva diu stetit, diuque floruit sine ope scholasticæ, quæ primum apud Græcos ortum habuit sæculo VIII, et apud Latinos sæculo XII. Ergo, etc.

Prob. secunda pars : 1. Authoritate Concilii Constantiensis, sess. 8, ubi inter alios Wiclefi articulos hunc damnat : *Universitates, studia, collegia, et magisteria vana garrulitate intro-*

ducta sunt. Tum ex sensu, et decretis summorum Pontificum quorum unum refero Honorii III [1] statuentis : *Ad Theologiæ professionis studium aliqui destinentur, qui cum docti fuerint in Dei Ecclesia, velut splendor fulgeant firmamenti : ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire*. Ad quam utilitatem attendentes, cæteri Summi Pontifices, aliique Principes Christiani ad studium Theologiæ excitarunt, variis privilegiis et honoribus, quibus academias scholasticas ornarunt.

Prob. 2. Quia Scholastica tria tantum addit Theologiæ positivæ, nempe, 1. stylum pressiorem ac dilucidiorem : 2. certam methodum : 3. dialecticæ usum; atqui hæc tria sunt utilissima, et maxime proficua. Ergo, etc.

I. Stylus dilucidior ac pressus est maxime proficuus; quia per eum melius cognoscitur quæstionis propositæ status; ambiguitates, si quæ sint, accuratius enodantur; Hæreticorum sophismata enucleatius deteguntur. Ergo.

II. Certa methodus, qua utuntur scholæ, est utilissima; quia ordo est obstetrix, sicut, e diametro, confusio est noverca omnium disciplinarum; ordo enim res singulas ad propria capita revocat; quæ connexa sunt, copulat; quæ a se invicem discreta, sejungit; ergo maximam doctrinæ lucem affert.

III. Dialecticæ usum fidei muniendæ et contra Hæreticos tuendæ perutilem esse docent antiquiores Patres. *Dialectica*, inquit D. Basilius [2], *muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi et quorumlibet incursioni patere*. Et Clemens Alex. [3] dicit eamdem esse vineæ Christi *sepimentum*, ne a sophistis catholica veritas proculcetur, et *l.* 1. *Strom.* multas affert causas cur Philosophia sit Theologo utilis. *Prima*, quia est necessaria ad Philosophos edocendos, sicut enim

[1] Cap. super specula, *de Magistris*. — [2] In cap. 2, Isaiæ. — [3] L. 6, Strom.

Apost. *Judæis Judæus, et omnia omnibus* factus est, *ut omnes lucrifaceret* [1], ita Theologiæ professor fiat necesse est Philosophus Philosophis, ut eos per propria ad fidem perducat veritatis. *Secunda*, quia est necessaria ad refellendos Sophistas. *Tertia*, quia quod varie multiformique argumento suadetur, id firmius hæret animis discipulorum. Hinc Melchior Canus [2] ait : *Rationem si a Theologia submoveas, Theologia ipsa et rem amittet et nomen, nec enim quidquam aliud Theologia, quam sermo ratioque de Deo; si autem rem ipsam quæras, est rerum divinarum, scientia vero non nisi per syllogismum quæritur.*

Objicies 1. Omnis novitas cavenda est, et ab Ecclesia eliminanda; atqui Theologia scholastica est nova. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Omnis novitas dogmatum, *conc. maj.* omnis novitas methodi doctrinæ tradendæ, maxime si clarior sit et facilior, *nego maj.* imo Christus [3] laudans Theologum ait : *Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Non quod nova dogmata docere debeat, sed quod vetera nova methodo doceat et explicet, ut monet Vincentius Lirinensis [4] dicens : *Eadem quæ didicisti, ita doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.* Hoc autem præstat scholastica Theologia; non enim nova tradit dogmata, sed quæ a veteribus fusius et stylo oratorio fuerunt tradita, hæc strictiori ac dialectico modo concludit, et ideo majori commendatione videri debet.

Inst. In Theologia scholastica variæ quæstiones ad salutem inutiles pertractantur; ergo, ut inutilis, rejicienda est.

Resp. *dist. ant.* In scholastica quæstiones ad salutem inutiles pertractantur, vitio ipsius Theologiæ, *nego ant.* vitio Theologi volentis sapere plusquam oportet sapere, *conc. ant.* Fateor præscindendas esse omnes illas quæstiones vanas;

[1] Epist. 1, cap. 3, v. 15. — [2] II Cor. 4, c. 3 et 4.
[3] Math. 15, v. 52. — [4] In commonit., cap. 27.

verum firmiter teneo servandas esse, ac discutiendas eas, quæ fidei dogmatibus explicandis et illustrandis deserviunt.

Objicies 2. Scholastica est fidei nociva. Ergo.

Prob. ant. Quod fidei meritum evacuat et extinguit, est fidei nocivum; atqui, etc.

Prob. min. Ex S. Gregor. [1] dicente : *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Resp. *dist. ant.* Cui humana ratio præbet experimentum rei credendæ, ut in S. Thoma, qui noluit prius credere Christum resurrexisse, quam palparet ejus cicatrices, et de quo loquitur Div. Gregorius, *conc. ant.* cui humana ratio præbet experimentum earum rerum quæ persuadent Deum vere revelasse quæ ad credendum proponuntur, *nego ant.* Porro scholastica non demonstrat evidenter propositionem revelatam, v. g. Christum esse Patri consubstantialem, sed demonstrat solummodo eam propositionem esse revelatam ac proinde fide divina credendam; unde non inducit intellectum, ut ei assentiatur propter evidentiam rationis, sed solum propter certam et infallibilem revelantis auctoritatem.

Inst. 1. Scriptura et SS. Patres rejiciunt usum Philosophiæ tanquam noxium fidei. Ergo.

Resp. *nego antec.*

Prob. ant. Ex Apost. [2] *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, et inanem fallaciam.* Et D. Aug. [3] : *Nihil nobis cum Philosophia, ne fidem nostram per elementa mundi hujus traducat a vero.* Ergo usus Philosophiæ est fidei nocivus.

Resp. *nego conseq.* Usus Philosophiæ est fidei nocivus per accidens, nimirum ex perversa philosophantium malitia, *conc. conseq.* per se, *nego conseq.* Loquuntur ergo Apostolus et Patres de Philosophia falsa et sophistica supra auctoritatem Scripturæ et traditionis dominativa, quæque tota est ad simplicitatem fidei circumveniendam, ut liquet ex his

[1] Hom. 26, in Evangelia. — [2] Coloss. 2, v. 8. — [3] In Psalm. 118.

verbis : *Et inanem fallaciam* : non vero loquuntur de vera Philosophia, quam adhibent Theologi ad detegenda et solvenda Hæreticorum sophismata, et quæ captivatur in obsequium fidei, a qua regitur ut ancilla, nec dominari permittitur : alias sibi contradiceret D. Aug. [1] cum dicit : « Paulus « erat dialecticus, et ideo conferre cum Stoicis non time- « bat, quia non solum acute, sicut illi, sed etiam veraciter, « quod non illi. » Et subdit : « Cave ne cuiquam dialecti- « cam pro crimine objeceris, qua usos Apostolos confi- « teris. »

Inst. 2. Inter scholasticos perpetuæ ardent contentiones et dissidia; ex quo nihil certum apud illos reperiri potest. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Perpetua ardent dissidia, in his quæ ad fidem spectant, *nego ant.* in his enim sunt perfecte concordes. In aliis, quæ ad fidem non spectant, *subdist.* Vitio Theologiæ, *nego ant.* vitio quorumdam Theologorum, qui in rebus philosophicis luxuriantes, varias quæstiones metaphysicas circa fidei ac morum dogmata superflue coacervarunt, *conc. ant.* Porro ad illorum petulantia ingenia coercenda sapientissimum decretum edidit Concil. Trident. sess. 5, § *Propterea.*

Objicies 3. Scholastica utitur multis terminis barbaris, qui virum sapientem dedecent, v. g. *materialiter*, *formaliter*, *reduplicative*, *etc.*, imo nonnumquam utitur solecismis, v. g. *opus operatum*. Ergo.

Resp. *nego conseq.* Ratio est, quia illis terminis, alioquin barbaris, conjunctæ sunt ideæ, quibus mysteria clare, et absque æquivocatione explicantur, unde mirum videri non debet, quod illa vocabula usurpet Theologia. ut suum objectum valeat sine æquivocatione exponere.

[1] L. 2, contra Cresconium.

DISSERTATIO III.

De objecto Theologiæ.

Nota 1. Triplex esse objectum alicujus disciplinæ, materiale scilicet, formale *quod*, et formale *quo*.

Objectum *materiale* est res ipsa, circa quam disciplina versatur.

Objectum *formale quod*, est formalitas, sub qua disciplina attingit suum objectum materiale.

Objectum *formale quo*, est medium, seu motivum, per quod disciplina attingit suum objectum tum materiale, tum formale *quod* : v. g. paries est objectum materiale visus; color est objectum formale *quod;* lux est objectum formale *quo*, seu est medium, per quod visus attingit parietem coloratum.

Nota 2. Objectum materiale subdividitur in adæquatum, seu totale *communitatis*, adæquatum, seu totale *attributionis*, et inadæquatum, seu partiale.

Objectum totale *communitatis* est omnis res, circa quam disciplina versatur, unde adæquat totam scientiæ latitudinem.

Objectum totale *attributionis* est res quæ in disciplina ita præcipuum locum habet, ut ad eam omnia alia, quæ in ea disciplina tractantur, referantur.

Objectum *inadæquatum* est quælibet pars objecti adæquati; constat autem objectum inadæquatum Theologiæ primarium, esse Deum; secundarium, esse quamlibet rem quæ ad Deum refertur, et per discursum ex revelatis deducitur.

Nota 3. Aliquam propositionem posse dici revelatam, I. *immediate* et *explicite*, id est, in se, qualiter ista est revelata: *Deus est unus*. 2. *Virtualiter* et *mediate*, cum nempe in veritate immediate revelata continetur, quomodo in ista propositione, *Christus est homo*, hæc alia continetur, *Christus habet humanam voluntatem*. His præmissis :

CONCLUSIO I.

Objectum Theologiæ adæquatum communitatis *est Deus ipse, et res omnes quæ ad Deum aliquo modo referuntur, et ex revelatis deducuntur; objectum vero adæquatum* attributionis *est ipsemet Deus.*

PROBAT. PRIMA PARS : Objectum adæquatum *communitatis* Theologiæ, est omnis res, circa quam versatur : atqui omnis res, circa quam Theologia versatur, est ipse Deus, et omnes res, quæ ad Deum aliquo modo referuntur, et ex revelatis deducuntur. Ergo, etc.

PROBAT. SECUNDA PARS : Objectum adæquatum *attributionis* est illud, ad quod omnia quæ in Theologia tractantur, referuntur : atqui omnia, quæ in Theologia tractantur, ad Deum referuntur, vel ut effectus ad causam, ut creaturæ; vel ut instrumenta quibus homines sanctificat, ut sunt incarnatio Verbi divini, gratia, sacramenta; vel ut media ad Deum assequendum ordinata, ut sunt actus humani, eorumque regulæ, nempe conscientia et lex; vel tamquam præcepta et prohibitiones ab ipso impositæ, ut sunt virtutes, et vitia. Ergo, etc.

OBJICIES 1. Deus nullo modo potest esse objectum Theologiæ. Ergo, etc.

RESP. *nego ant.*

Prob. ant. Nulla disciplina probat existentiam sui objecti, sed illud supponit; atqui Theologia probat existentiam Dei. Ergo.

RESP. *dist. maj.* Nulla disciplina probat existentiam sui objecti, a priori et per medium sibi intrinsecum, *conc. maj.* a posteriori, et per medium sibi extrinsecum, *nego maj.* et sic dist. min. *nego conseq.*

Itaque Theologia probat existentiam Dei per effectus, et ex principiis Metaphysicæ, sibi extrinsecis, ut ostendat Atheorum insipientiam, in quo nulla est repugnantia; sed existentiam Dei non probat per causam, et ex principiis

sibi intrinsecis, scilicet ex articulis fidei : considerat enim Deum ut est ens supernaturale quod fide creditur, nulla vero ratione probatur.

Objicies 2. Nulla res alia a Deo est objectum Theologiæ. Ergo, etc.

Prob. ant. Si quæ res alia a Deo esset Theologiæ objectum, maxime Verbi divini incarnatio; atqui incarnatio Verbi non est objectum Theologiæ, ex D. Basil.[1] dicente : *in Theologiam, id est, in ea quæ divinitatis propria sunt intenti, Assumptionis mysterium contemnamus.* Ergo, etc.

Resp. *dist. min.* Incarnatio Verbi non est objectum attributionis Theologiæ, *conc. min.* objectum attributum, *nego min.* Incarnatio enim refertur ad Deum tamquam instrumentum animatum, quo voluit reparare creaturam rationalem, et sic intelligi debent D. Basilius, et alii Patres.

CONCLUSIO II.

Objectum formale quod *Theologiæ, est ipsa divinitas, seu est Deus sub ratione deitatis.*

Prob. Objectum formale *quod* alicujus scientiæ est formalitas, sub qua illa scientia attingit suum objectum materiale; atqui ratio deitatis est formalitas, sub qua Theologia attingit suum objectum materiale; ergo, etc. *Major* est definitio; *minor* est certa, nam ipsa deitas est fons et radix omnium, quæ in Deo sunt et a Deo producuntur : ratio enim cur Deus est unus, trinus, infinitus, etc. est ipsa deitas; ratio cur sit creator, sanctificator, etc. est ipsa deitas. Ergo.

Objicies 1. Objectum formale *quod* alicujus scientiæ prædicari debet de omnibus objectis inadæquatis, quæ ab illa scientia attinguntur; atqui deitas nullo modo prædicatur de angelis, homine, legibus, sacramentis, etc.

Resp. *dist. maj.* Prædicari debet in recto, vel in obliquo,

[1] Epist. 141.

conc. maj. in recto semper, *nego maj.* atqui deitas de omnibus non prædicatur in recto, *conc. min.* non enim sunt Deus : in obliquo, *nego min.* sunt enim vel effectus Dei, vel media conducentia ad Deum, etc.

Objicies 2. Deus non potest a nobis cognosci sub ratione deitatis ; alias possent cognosci prædicata Dei essentialia ; ergo Deus sub ratione deitatis non potest esse objectum formale *quod* Theologiæ.

Resp. *dist. ant.* Deus non potest a nobis cognosci sub ratione deitatis, intuitive, *conc. ant.* abstrative per effectus, *nego ant.* nam ex Apost. [1] *Invisibilia ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus victus et divinitas.*

Inst. Atqui non sufficit cognitio abstractiva deitatis, ut ipsa sit objectum formale *quod* Theologiæ.

Prob. subs. Disciplina debet adæquare, et consequenter comprehendere suum objectum formale *quod.* Atqui cognitio abstractiva, cum sit finita, non adæquat Deum infinitum sub ratione deitatis. Ergo, etc.

Resp. *nego maj.* Sufficit enim ut disciplina cognoscat suum objectum formale in quantum est cognoscibile ex suis principiis : atqui Theologia cognoscit Deum sub ratione deitatis in quantum cognoscibilis est ex principiis revelatis. Ergo.

CONCLUSIO III.

Objectum formale quo *Theologiæ est veracitas in revelando, quatenus per discursum Theologicum applicatur.*

Prob. Objectum formale *quo* est medium, seu motivum, per quod disciplina attingit suum objectum tum materiale, tum formale *quod;* atqui per veracitatem Dei in revelando nobis per discursum applicatam, Theologia attingit suum objectum materiale, et formale *quod.* Quare enim Theolo-

[1] Rom. 1 v. 20.

gus certus est Christum habere humanam voluntatem, nisi quia Deus, qui est summe verax, revelavit Christum esse hominem? Ergo veracitas Dei in revelando est motivum assensus, quem Theologus præbet conclusioni Theologicæ, non quidem veracitas sola; alioquin assensus Theologicus non discreparet ab assensu fidei, qui datur propter veracitatem Dei revelantis, sed veracitas per discursum Theologicum applicata.

Objicies. Quod convenit tam fidei, quam Theologiæ, non est objectum formale *quo* Theologiæ; atqui veracitas Dei in revelando, etiam per discursum applicata, convenit fidei. Ergo.

Resp. *nego min.*

Prob. min. Ex dicendis [1] propositio legitime deducta ex præmissis immediate revelatis, quales sunt articuli de substantialitate Verbi cum Patre, de duplici voluntate in Christo, etc., est de fide divina; ergo veracitas Dei per discursum applicata convenit fidei.

Resp. *dist. ant.* Propositio legitime deducta ex præmissis immediate revelatis, est de fide divina, si spectetur materialiter, id est quatenus continetur in revelata, *conc. ant.* si spectetur formaliter, id est quatenus deducitur ex præmissis, *nego ant.* Sic enim est assensus Theologicus. Ratio est, quia motivum assentiendi conclusioni spectatæ formaliter, est discursus artificialis applicans divinam revelationem; ac motivum assentiendi materialiter spectatæ, est divina revelatio, in qua conclusionem contineri certo cognoscitur per illationem legitimam. Hinc patet articulum de consubstantialitate esse simul conclusionem Theologicam, et articulum fidei in Theologo catholico; esse vero simplicem articulum fidei in christiano Theologiæ ignaro, qui non curat de applicatione revelationis, et cui satis est quod sit certus Deum aliquam veritatem revelasse

[1] Dissert. *de fide*, c. 1, q. 4.

DISSERTATIO IV.

De proprietatibus Theologiæ.

Quæritur hic, 1. Qualis sit habitus mentis Theologiæ. 2. Utrum sit supernaturalis.

CAPUT I.

QUALIS SIT HABITUS MENTIS THEOLOGIÆ.

Nota. Ex Logica, quinque esse habitus mentis, nempe, intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, et artem. Certum est autem Theologiam non esse intelligentiam, cum non sit cognitio primorum principiorum unicuique lumine naturali absque discursu cognitorum; nec prudentiam, cum non tractet de rebus, quæ in particularibus circumstantiis agendæ sunt; nec artem, cum non versetur circa factibilia.

Restat ergo expendendum, 1. An sit scientia; 2. Qualis sit scientia; 3. An sit sapientia.

QUÆSTIO I.

AN THEOLOGIA SIT SCIENTIA.

CONCLUSIO.

Theologia est scientia vere ac proprie dicta.

Prob. Ad scientiam proprie dictam duo sufficiunt, nempe, *evidentia consequentiæ*, id est, connexionis quam habet conclusio cum præmissis; et *certitudo consequentiæ*, id est, veritatis, quæ ex præmissis deducitur; atqui illa duo reperiuntur in Theologia nostra; ergo, etc. Hinc Scriptura [1] Theologiam appellat scientiam : *Dabo vobis Pastores... et pascent vos scientia et doctrina.*

[1] Jerem. 3, v. 15.

Objicies 1. Scientia ex Aristotele, est cognitio certa et evidens : atqui Theologia nostra non est evidens, nititur enim principiis revelatis, et consequenter obscuris. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Scientia, quæ nititur principiis naturalibus, debet esse evidens, *conc. maj.* scientia, quæ nititur principiis supernaturalibus, *neg. maj.* Aristoteles autem definit scientiam naturalem, quæ non potest esse physice aut metaphysice certa, nisi ejus principia sint evidentia, cum certitudo scientiæ petatur ex certitudine principiorum; e contra Theologia nostra habet ex suis principiis, nempe ex divina revelatione, omnem certitudinem, ita ut Theologus sit prorsus imperturbabilis in sua scientia, quam clare videt sequi ex fidei principiis, licet illa principia evidenter non cognoscat. Ergo.

Objicies 2. De singularibus et contingentibus non datur scientia proprie dicta; atqui Theologia agit de singularibus, v. g. de Verbi incarnatione, passione, etc., agit item de contingentibus, v. g. de actibus humanis, merito, justificatione, etc. Ergo.

Resp. *dist. maj.* De singularibus et contingentibus non datur scientia proprie dicta, si spectentur in se, *conc.* si spectentur quatenus divinæ aut revelationi, aut ordinationi, subsunt, *nego maj.* atqui Theologia agit de singularibus et contingentibus, prout subsunt divinæ revelationi, aut ordinationi, *conc. min.* prout sunt in se, *nego min.* sic enim considerata sunt mutabilia et incerta; verum considerata prout subsunt divinæ revelationi, aut ordinationi, sunt immutabiliora, longeque certiora, quam universalia, aut necessaria ordinis naturalis.

QUÆSTIO II.

QUALIS SCIENTIA SIT THEOLOGIA?

Hic quæritur, 1° utrum Theologia sit speculativa, ve

practica; 2°utrum sit certior scientiis naturalibus; 3°utrum sit subalternata scientiæ Beatorum.

ARTICULUS I.

UTRUM THEOLOGIA SIT SCIENTIA SPECULATIVA, AUT PRACTICA?

Nota. Scientia *mere speculativa* est ea quæ sistit in contemplatione sui objecti.

Scientia *mere practica* est ea quæ ordinatur ad operationem.

Scientia *partim speculativa*, *et partim practica* est ea, quæ, præter objecti sui speculationem, voluntatem dirigit ad operationem. His notatis :

CONCLUSIO.

Theologia est scientia speculativa simul et practica.

Ita D. Thomas [1] contra Scotum et Scotistas, qui docent Theologiam esse mere practicam.

Prob. Illa disciplina, quæ contemplatur suum attributionis objectum, ac insuper ad ejus possessionem dirigit, speculativa simul est, et practica; atqui Theologia contemplatur suum attributionis objectum, naturam nimirum Dei, ejusque proprietates, ac insuper ad illius possessionem dirigit per virtutis exercitium et peccati fugam; ergo.

Objicies 1. Differentiæ, quæ specifice opponuntur, non possunt convenire eidem habitui : atqui speculativum et practicum sunt differentiæ, quæ specifice opponuntur. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Differentiæ specifice oppositæ non possunt convenire eidem habitui, si habitus sit unus unitate simplicitatis, *conc. maj.* unitate ordinis et compositionis, *nego maj.* Licet ergo Theologia sit una unitate ordinis et compositionis, quatenus omnia, quæ in ea tractantur, referuntur

[1] 1 p., q. 1, art. 4.

ad Deum, qui est hujus objectum attributionis, non est tamen una unitate simplicitatis; constat enim multis partibus juxta diversitatem rerum de quibus tractat; unde sub uno respectu est speculativa, quatenus nempe versatur circa Deum, ut est in se; et sub altero est practica, quatenus versatur circa Deum, finem ultimum consequendum.

Objicies 2. Omnes conclusiones Theologicæ vel formaliter, vel virtualiter ordinantur ad praxim; ergo est totaliter practica.

Prob. ant. Si quæ sint conclusiones Theologicæ, quæ ad praxim non ordinarentur, maxime istæ : *Deus est unus, trinus, pater generat filium, etc.* Sed illæ sunt practicæ saltem virtualiter. Ergo.

Prob. min. Illæ cognitiones, *Deus est unus, trinus, etc.*, amorem erga divinas illas personas accendunt; ergo sunt saltem virtualiter practicæ.

Resp. *dist. ant.* Illæ cognitiones amorem erga personas divinas provocant, ex se, et ex fine intrinseco, *nego ant.* per accidens, et ex fine extrinseco, nempe Theologi nolentis Deum cognoscere, nisi ut eum diligat et honorificet, *conc. ant.* Porro, ut habitus sit totaliter practicus, requiritur ut per se, et ex fine intrinseco, omnes suas cognitiones ad praxim dirigat, quod certe non præstat Theologiæ pars nobilior.

ARTICULUS II.

UTRUM THEOLOGIA SIT CERTIOR ALIIS SCIENTIIS NATURALIBUS ET ÆQUE CERTA AC FIDES.

Nota . Certitudo duplex est, nempe *objecti*, et *subjecti*, seu motivi.

Certitudo *objecti* est immutabilitas et invariabilitas rei quæ cognoscitur.

Certitudo *subjecti*, seu motivi, est adhæsio intellectus alicui veritati cognitæ per aliquod medium, seu motivum certum.

CONCLUSIO I.

Theologia omnibus aliis scientiis naturalibus certior est, certitudine tum objecti, *tum* subjecti.

PROB. PRIMA PARS : Scientia quæ fertur in objectum magis immutabile et invariabile, est certior certitudine objecti; atqui talis est Theologia, quæ fertur in Deum, qui majorem habet immutabilitatem et necessitatem essendi, quam objecta aliarum scientiarum naturalium. Ergo.

PROB. SECUNDA PARS : Certitudo subjecti petitur ex certitudine motivi, propter quod intellectus assentitur alicui veritati; ergo major est certitudo, quo motivum est certius et firmius; atqui motivum propter quod intellectus assentitur conclusioni Theologicæ, est certius ac firmius eo quod in aliis scientiis intellectum determinat ad assensum ; est enim divina revelatio, quæ certe longe majorem habet certitudinem, quam principia lumine naturali cognita, quæ sunt motiva scientiarum naturalium. Ergo, etc.

OBJICIES 1. Quod est causa certitudinis conclusionis Theologicæ, est certius conclusione Theologica : atqui quandoque principia naturalia sunt causa certitudinis conclusionis Theologicæ. Ergo.

RESP. *nego min.*

Prob. min. Conclusio Theologica quandoque deducitur ex una præmissa revelata, et altera non revelata; atqui præmissa non revelata est causa conclusionis Theologicæ; ergo quandoque principia naturalia sunt causa conclusionis Theologicæ.

RESP. *dist. min.* Tunc præmissa non revelata est causa conclusionis Theologicæ, adæquata, *nego min.* inadæquata *subdist.* si spectetur separata a præmissa revelata, *nego min.* si spectetur conjuncta cum præmissa revelata, *conc. min.* et, sic distincto consequente, *nego conseq.* Porro præmissa naturalis non revelata. conjuncta cum revelata, certior est,

quam si sola foret, et consequenter conclusio Theologica certior est qualibet conclusione scientifica.

Inst. Ex Logica, *conclusio sequitur debiliorem præmissam* : ergo quando una præmissa est naturalis, conclusio Theologica acquirit tantum certitudinem naturalem, consequenter non est certior aliis scientiis.

Resp. *nego conseq.* Ut enim verificetur præfatum axioma, sufficit quod conclusio non adæquet perfectionem nobilioris præmissæ, non autem necesse est quod sit æque imperfecta ac præmissa ignobilior. Porro conclusio deducta ex una præmissa revelata et altera naturaliter evidente, non est tam certa, quam præmissa revelata, verum propter sui consortium cum præmissa revelata, est certior ipsa præmissa evidente.

Objicies 2. Assensus Theologicus non potest esse certior assensu primorum principiorum, qualia sunt : *Totum est majus sua parte : quodlibet est, vel non est.* Ergo. *Resp. nego ant.*

Prob. ant. Eo quod est certissimum non potest dari certius; atqui prima principia sunt certissima. Ergo, etc.

Resp. *dist. maj.* Eo quod est certissimum, tam ex parte objecti, quam ex parte subjecti, non potest dari certius, *conc. maj.* eo quod est certissimum ex parte objecti tantum, non potest dari certius, *nego maj.* et sic ad minorem.

Itaque notitia primorum principiorum est certissima ex parte objecti; verum conclusio Theologica est certior ex parte subjecti; certitudo enim subjectiva conclusionis Theologicæ desumitur ex motivo, quod certius est quibuscumque principiis naturalibus.

Inst. 1. Nihil est certius evidentia; atqui evidentia est motivum assensus scientifici. Ergo.

Resp. *nego maj.*

Prob. maj. Nihil est certius eo quod ab intellectu excludi omnem dubitationis motum; atqui evidentia excludit ab intellectu omnem dubitationis motum, cum in assensu Theologico sæpe adsit talis motus dubitationis. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Nihil est certius in eodem ordine, *conc. maj.* in diverso eoque superiori, *nego maj.* Porro evidentia est in ordine naturali, revelatio in ordine supernaturali; supernaturale autem est certius eo quod est evidens; ergo conclusio Theologica est certior conclusione evidenti naturali. *Præterea,* Deus potest permittere in pœnam peccati, ut quod videtur evidens, sit falsum; e contra nullo unquam casu potest permittere, ut quod revelatum est, non sit verum. *Fidelis enim permanet, negare seipsum non potest,* ait Apost. [1].

Ad id autem post dicitur: in assensu Theologico sæpè adest dubitationis motus, *dist.* per accidens, quia quandoque Theologus magis attendit ad difficultates, quæ contra fidem ex humana ratione nascuntur, quam ad divinam revelationem, *conc.* per se et ex natura assensus Theologici, cujus motivum magis distat a falso, quam id quod videtur evidens, *nego.*

Inst. 2. Assensus necessarius certior est assensu libero; atqui assensus scientificus est necessarius, assensus vero Theologicus est omnino liber. Ergo.

Resp. 1. *aist. maj.* Assensus necessarius est certior assensu libero, si assensus liber oriatur ex motivo opinativo, *conc. maj.* si oriatur ex motivo infallibili, *nego maj.* Porro motivum assensus Theologici est prorsus infallibile, et tam necessarium, quam ipse Deus, qui *seipsum negare non potest.*

Resp. 2. *dist. min.* Assensus Theologicus est liber ei qui non attendit ad veracitatem Dei revelantis, *conc. min.* ei qui attendit, *nego min.*

CONCLUSIO II.

Conclusio Theologica non est æqualis certitudinis cum fide.

Prob. Quia conclusio Theologica tantum certa est propter præmissas, quarum saltem una est de fide; ergo præmissæ

[1] 2 ad Tim. 2, v. 13.

conclusionis Theologicæ sunt illa certiores, juxta illud Philosophiæ effatum : *Propter quod unumquodque est tale, et illud magis.*

Dices : Illa propositio, quam qui negat est hæreticus, æqualis est cum fide certitudinis; sed qui negat conclusionem deductam ex principiis fidei, est hæreticus; ergo conclusio Theologica æqualis est cum fide certitudinis.

Prob. min. Monothelitæ damnati sunt in VI Synodo, ut Hæretici, quia negabant hanc propositionem :*Christus habet duas voluntates;* sed illa propositio est conclusio Theologica deducta ex hac propositione fidei, *Christus habet duas naturas.* Ergo.

Resp. *dist. min. primi argum.* Qui negat conclusionem deductam ex principiis fidei, præcise, ut est illata per discursum Theologicum, est hæreticus, *nego min.* quatenus illa propositio est etiam revelata, vel continetur in revelata, *conc. min.* Ergo conclusio Theologica æqualis est cum fide certitudinis, si spectetur ut est revelata, vel ut continetur in revelata, *conc. conseq.* si spectetur ut est per discursum illata ex revelata, *nego conseq.*

Itaque conclusio Theologica considerari potest 1. Quatenus illata est per discursum, et sic non est de fide, nec qui eam negaret, esset hæreticus. 2. Quatenus continetur in propositione revelata et apprehenditur omnino eadem cum illa, et sic est de fide, et qui eam negaret, esset hæreticus; sic Monothelitæ, negantes hanc propositionem *Christus habet duas voluntates*, damnati sunt ut hæretici, quia illa propositio continetur in ista, quæ est immediate revelata, *Christus habet duas naturas;* unde est immediate, saltem implicite, revelata, quia impossibile est naturam intellectualem separari a sua voluntate.

ARTICULUS III.

UTRUM THEOLOGIA NOSTRA SIT SUBALTERNA SCIENTIÆ BEATORUM ?

CONCLUSIO.

Theologia nostra improprie quidem, sed non proprie, est subalterna scientiæ beatorum.

PROB. PRIMA PARS : Ad subalternationem improprie dictam, requiruntur, ac sufficiunt duæ conditiones. *Prima*, ut scientia subalternans sit superior subalterna. *Secunda*, ut subalternata ordinetur ad comparandam subalternantem; atqui scientia beatorum est superior Theologia viatorum, et Theologia viatorum ad scientiam beatorum comparandam ordinatur. Ergo.

PROB. SECUNDA PARS : Theologia, respectu scientiæ beatorum, non habet conditiones ad proprie dictam subalternationem requisitas. Ergo.

Prob. ant. Ad subalternationem proprie dictam tres requiruntur conditiones.

Prima, ut scientia subalternata habeat idem objectum ac scientia subalternans, sed contractum per aliquam rationem realem accidentalem, sub qua a subalternante non consideratur : sic Medicina, quæ subalternatur Physicæ, considerat corpus naturale *ut sanabile*; Physica vero, quæ subalternat Medicinam, idem corpus naturale considerat, sed *ut naturale* est.

Secunda, ut scientia subalternata desumat sua principia a subalternante, quomodo Medicina desumit sua principia a Physica, nam *ibi incipit Medicus, ubi desinit Physicus.*

Tertia, ut scientia subalternata sit compatibilis cum subalternante in eodem subjecto; atqui Theologia nostra nullam habet ex his conditionibus respectu scientiæ beatorum. Ergo.

1. Enim Theologia nostra habet idem omnino objectum,

nulla differentia reali contractum ac Theologia beatorum, nempe Deum sub ratione deitatis.

2. Theologia nostra non desumit sua principia a scientia beatorum; quia principia nostræ Theologiæ sunt propositiones fidei, quæ non reperiuntur in scientia beatorum.

3. Theologia nostra et Theologia beatorum non possunt esse in eodem subjecto, cum Theologia nostra sit obscura et inevidens, Theologia vero beatorum sit clara et evidens : atqui evidentia excludit obscuritatem, obscuritas evidentiam. Ergo.

Dices *contra secundam partem :* Objectum Theologiæ et scientiæ beatorum est idem, aliqua differentia accidentali contractum. Ergo.

Resp. *nego ant.*

Prob. ant. Objectum Theologiæ nostræ est Deus obscure cognitus, objectum scientiæ beatorum est Deus clare visus; atqui illa differentia obscuritatis et evidentiæ satis est, ut scientia alteri proprie subalternetur. Ergo.

Resp. *nego min.* Quia differentia quæ requiritur in objecto scientiæ subalternatæ, debet se tenere ex parte ipsius objecti, cui debet per se et realiter convenire, quomodo sanabilitas per se et realiter convenit objecto Medicinæ; sed obscuritas cognitionis non se tenet ex parte objecti Theologiæ, quod non est per se obscurum, sed tantum ex parte subjecti, nimirum hominis viatoris, qui per accidens, ratione scilicet sui status, Deum clare videre non potest.

QUÆSTIO III.

AN THEOLOGIA SIT ETIAM SAPIENTIA?

Theologia viatorum est vera sapientia.

Prob. 1 *ex Script.* Nam sanctus Paulus [1] de Theologia sermonem faciens, ait : *Sapientiam loquimur inter perfectos, non*

[1] 1 Cor. 2, v. 6

sapientiam hujus sæculi, neque principum hujus sæculi qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, etc. Hoc ipsum Apostolis promiserat Christus [1]. *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.* Unde omnes Patres Theologiam nostram *perfectæ sapientiæ* titulo nobilitant.

Prob. 2, *ratione.* Sapientia ex Philosophis est *cognitio rerum altissimarum per altissimas causas :* atqui Theologia nostra est cognitio *rerum altissimarum*, nempe Dei rerumque divinarum, *per altissimas causas;* nimirum per revelationem divinam, quæ haud dubie est causa altissima. Ergo.

Objicies 1. Ex Aristotele [2] : Vera sapientia debet tradere et probare communia omnium scientiarum principia; atqui Theologia nostra hoc non exequitur. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Sapientia philosophica quæ versatur circa prima principia lumine naturali nota, *conc. maj.* Sapientia supernaturalis, *nego maj.* Ratio disparitatis est, quia sapientia naturalis ejusdem est ordinis cum aliis scientiis, quibus consequenter, cum sit habitus universalis, tradit principia, illaque probat; e contra sapientia præsuppositive supernaturalis, non est ejusdem ordinis cum scientiis naturalibus, unde non ejus est illorum principia tradere et probare.

Objicies 2. Idem habitus non potest esse sapientia simul et scientia; atqui, ex dictis, Theologia est scientia. Ergo.

Resp. *nego maj.*

Prob. maj. Sapientia et scientia sunt membra, in quæ Philosophi dividunt habitum mentis; atqui membra legitimæ divisionis debent esse inter se opposita. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Sunt membra, in quæ Philosophi dividunt habitum mentis, tanquam totum potentiale in suas potentias, *conc. maj.* Tanquam totum integrale in sua membra, ut hominis pars, alia caput, alia manus, alia pes, etc., vel tamquam genus in suas species, ut animal, aliud rationale

[1] Lucæ 21. — [2] Lib. 1 Metaph., c. 1.

aliud irrationale, *nego maj.* Atqui membra legitimæ divisionis debent esse inter se opposita, si agatur de divisione totius integralis in sua membra, vel de divisione generis in suas species, *conc. min.* si agatur de divisione totius potentialis, qualis est habitus, in suas potentias, *nego min.*

Itaque : partes, quæ dividunt totum potentiale, debent quidem esse diversæ, sed non debent esse oppositæ : sic intellectus et voluntas in quæ anima tanquam totum potentiale dividitur, sunt quidem partes diversæ, sed non sunt inter se oppositæ, cum in eodem subjecto reperiantur; similiter Theologia est scientia quatenus est cognitio certa per discursum comparata, et est sapientia quatenus est cognitio rerum altissimarum per altissimas causas.

CAPUT II.

UTRUM THEOLOGIA SIT SUPERNATURALIS.

Nota. Non est hic quæstio de Theologia sumpta *præsuppositive,* ratione scilicet principiorum quibus innititur, quæ sunt veritates a Deo revelatæ : certum est enim, quod Theologia, sic sumpta, sit omnino supernaturalis; sed quæstio est de Theologia sumpta *entitative,* quatenus est habitus per discursum deducens varias conclusiones ex principiis revelatis, de qua sit :

CONCLUSIO.

Theologia est habitus mere naturalis.

Prob. Ille habitus est pure naturalis, cujus ratio formalis specificativa est pure naturalis; talis est enim entitas rei, qualis est ejus ratio constitutiva, et specificativa; atqui ratio formalis specificativa Theologiæ, est mere naturalis; est enim discursus, per quem nostra Theologia a scientia beatorum, et fide distinguitur; discursus autem est actus intellectus agentis secundum suam vim naturalem. Ergo.

Objicies 1. Illa scientia, quæ causam habet supernatu-

ralem, est supernaturalis; atqui causa Theologiæ est supernaturalis, nimirum divina revelatio. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Scientia quæ habet causam proximam supernaturalem, est supernaturalis, *conc. maj.* causam tantum remotam, *nego maj.* et sic distincta min. *nego conseq.*

Itaque, causa proxima Theologiæ est judicium de connexione quam habet aliqua veritas cum articulo expresse revelato : porro illud judicium est merus fœtus rationis, illam connexionem per discursum apprehendentis.

Inst. Scientiæ specificantur a suis principiis; sed principia Theologiæ sunt supernaturalia. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Scientiæ specificantur a suis principiis spectatis secundum usum et applicationem, *conc. maj.* spectatis secundum entitatem, *nego maj.* Porro principia Theologiæ, licet secundum entitatem supernaturalia, sunt tamen naturalia secundum suam applicationem, quæ fit per discursum Theologicum mere naturalem.

Objicies 2. Illa scientia est supernaturalis, cujus certitudo est supernaturalis; atqui certitudo Theologiæ est supernaturalis; nam ex dictis certutido Theologiæ est major certitudine omnium scientiarum naturalium; atqui illa major certitudo non potest desumi nisi ab ejus supernaturalitate. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Cujus certitudo est supernaturalis immediate et formaliter, *conc. maj.* remote tantum et resolutive, *nego maj.* et sic distincta minore, *nego conseq.* Itaque certitudo Theologiæ non est supernaturalis, nisi remote et resolutive, in quantum scilicet per discursum conclusiones Theologicæ resolvuntur in articulo, sicut per eumdem discursum ex illis articulis inferuntur, quod sufficit ut certitudo Theologiæ sit major certitudine omnium aliarum scientiarum naturalium.

TRACTATUS

DE REVELATIONE

SEU

DE VERA RELIGIONE.

DISSERTATIO UNICA.

Cum non pauci sint nunc homines, quos deistas et naturalistas vocant, qui nimium confidentes in solo humano rationis lumine, quo tute, ut aiunt, homo Deum potest perfecte cognoscere, regulasque morum sufficienter sibi comparare, unica contenti sunt religione naturali, et omnem prorsus supernaturalem religionem, omnemque revelationem, utpote supervacaneam, et hominis commentum rejiciunt; sicque sacrum totius traditionis fontem, non tantum temerant et labefactant ut hæretici, sed penitus excidunt [1]; hinc est quod in antecessum nobis necesse videtur præmittere quamdam dissertationem in qua tractabimus : 1° de divinæ revelationis possibilitate; 2° de ejus necessitate; 3° de notis quibus vera revelatio a falsis dignoscitur; 4° de ejus existentia. Quibus comprobatis

[1] Eorum vero placita ad tres sequentes propositiones convenienter reduci possunt. 1° Lex naturalis tam perfecta est ejusque præcepta tam evidentia et omnibus etiam rudibus obvia, ut, ad instituendam recte vitam, omnis revelatio inutilis et supervacanea sit. 2° Lex naturæ tam perfecta atque integra est, ut per illam unicuique hominum innotescant omnia officiorum suorum principia, ita ut per revelationem nihil hominibus innotescere possit, nullaque virtus ex supernaturali cultu possit oriri quod ex cultu naturali non consequatur. 3° Lex naturæ ita est completa et immutabilis, ut illius præceptis nulla adjici possint mandata positiva.

contra deistas, auctor de locis Theologicis sermonem prosequentur contra hæreticos.

CAPUT I.

DE DIVINÆ AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS POSSIBILITATE.

Nota. 1°. Religio, prout est virtus moralis dicitur vel a religare, et sæpe revolvere quæ sunt cultus divini, vel a reeligere Deum quem negligentes amittimus, juxta S. Aug. *de Civit.*, c. 4. Verum hic accipitur religio pro *cognitione* divinitatis et cultus quo illam colere debemus, et difiniri potest: est *societas* hominem inter et Deum, fundata in relationibus quæ necessario exstant inter creaturas rationales et creatorem. Unde in hoc sensu vox religio oritur a religando, ut dicit S. Aug. (*de Vera relig.* prope fine) quia secundum vim nominis, religio est collectio veritatum omnium et præceptorum quibus homo ligatur Deo ejusque præceptis subjicitur.

Nota 2°. Revelatio est alicujus rei ignotæ manifestatio, et prout hic accipitur, est alicujus veritatis, vel plurium etiam manifestatio a Deo hominibus facta, et hoc in sensu lato Deus nobis revelat etiam omnes veritates quas solo rationis lumine cognoscimus, quatenus ipse est hujus facultatis auctor et conservator. At vero per revelationem vulgo intelligitur manifestatio veritatum hominibus a Deo facta extraordinario quodam modo, id est supernaturali, præter ordinem naturæ consuetum, et *divina* nuncupatur.

Quærere autem an existat revelatio, est *dubitare* an Deus aliquam doctrinam religiosam docuerit homines, vel per se, ore proprio, vel per aliquot homines deputatos.

Nota 3°. Duplici modo Deus veritates revelare potest, vel uni aut pluribus hominibus, vel omnibus hominibus indiscriminatim. Si primo utitur modo, revelatio dicitur *particularis* et *privata*. Si secundo, *generalis* et *communis* vocatur. Rursus, revelatio dicitur *immediata* respectu ad illum cui

facta fuit, *mediata* autem respectu ad alios ad quos per venit.

Nota 4°. Ex iis quæ a Deo manifestari possunt, alia sunt quæ captum hominis non superant sed semel propalata, per intellectum humanum probe intelliguntur, unde revelatio se habet ad intellectum humanum, sicut in rebus physicis telescopium, ut ita dicam, ad oculos, quo mediante remotissima percipiuntur corpora, quæ sine tali adminiculo semper citra oculorum aciem extitissent. Alia sunt captui humano prorsus impervia, ac mysteria nuncupantur.

Jam vero inter incredulos, alii possibilitatem revelationis quamcumque denegant; alii *mediatam* ut minus saltem hominibus accommodatam respuunt; alii tandem non diffitentes Deum posse aliquas veritates hominibus revelare, sive immediate, sive mediate, contendunt mysteria, seu veritates captum humanum superantes non posse a Deo creaturis manifestari. Contra quos omnes, tres sequentes statuemus propositiones.

CONCLUSIO I.

Possibilis est divina Revelatio immediata.

Prob. Possibilis est divina revelatio immediata si neque repugnat ex parte Dei revelantis, neque ex parte hominis revelationem excipientis, neque ex parte rei revelatæ; atqui nulla ex parte repugnat. Ergo, etc.

Prob. min. 1° *Neque ex parte Dei* : 1° Deus enim quatenus infinite intelligens omnia noscit quæ supra captum hominis sunt posita, et quatenus infinite potens et sapiens, quas vult veritates et per infinitos modos sibi cognitos potest hominibus revelare, suasque voluntates illis manifestare. 2° Cunctis hominibus competit facultas sensa sua quæcumque aliis manifestandi; ergo a fortiori Deo, alioquin minus posset efficere quam homo. 3° Lex ipsa quæ dicitur naturalis quid est nisi revelatio, seu intimatio homini a Deo

facta ab initio. Quod autem Deus valuit semel, potest et semper.

2° *Neque ex parte hominis revelationem excipientis.* Siquidem homo est intelligens et ratione præditus habens facultatem aliis sensa sua communicandi, illorumque vicissim percipiendi; quid ergo impedit quominus propositam a Deo sibi veritatem percipiat?

3° *Neque ex parte rei revelatæ.* Cum illa ad gloriam et honorem Dei procurandam, ad bonos mores informandos, ad proximorum utilitatem vertant, digna absque dubio sunt quæ a Deo manifestentur, ut patet; ergo, etc. Aliunde neque ex parte Dei, neque ex parte hominis repugnat revelatio immediata; ergo possibilis est.

OBJECT.

OBJ. Revelatio divina, si possibilis est, certa et clara esse debet; atqui incerta et ambigua semper est quæcumque revelatio; ergo est impossibilis.

Prob. min. 1°. Qui revelationem recipit nunquam ita certus de ea esse potest, ut nullam moveat suspicionem erroris et fallaciæ. 2°. Experientia quotidiana docet multos misere deceptos, qui falsa, turpia et ridicula pro revelatis habent, nec distinguere possunt quo spiritu aguntur. Ergo, etc.

RESP. *dist. min.* Ad probationem distinguo in eodem sensu: incerta et ambigua est *per se*, transeat; spectato interventu Dei revelantis, *Nego*. Attento quidem hominis ingenio, propter nativam præcipitationem, inconsiderationem, socordiam aliaque motiva, seipsum decipit vel decipi potest; ast cum Deus revelat aliquam veritatem ad alicujus bonum, et a fortiori si ad bonum multitudinis, potest et debet ita certum reddere hominem cui revelat, de sua præsentia et de veritate revelationis, ut nullam prorsus relinquat dubitationem et metum deceptionis. Potest inquam, alioquin plus valeret efficere homo quam Deus. Insuper et debet, sin

autem deficeret in sua sapientia et providentia. Ergo, etc.

Nec officit quod multi decipiantur, vel quod plura ut revelata maxime in falsis religionibus pervagantur absurda, turpia et ridicula, quodque multi somniatores et visionarii somnia et effectus phantasiæ pro revelatis habeant, sicut enim non sunt respuenda bona propter mala, sic nec vera propter falsa. Cum autem Deus se suis creaturis manifestat, ita clare id facit, sic suam præsentiam probat, infinitis utique modis, ut v. g., per somnia, per aliquam locutionem, per symbola, aliaque horum similia, ut homo dubitare non posset, etiamsi vellet. Præterea, si oculis clausis, amicum loquentem probe agnoscimus et ab aliis distinguimus, eccur Deus auctor istius, non posset seipsum præbere manifestum oculis mentis et affectui cordis nostri, etc. Ergo, etc.

CONCLUSIO II.

Possibilis est divina revelatio mediata.

Prob. 1°. Ex una parte tam potest homo ea quæ audivit aliis communicare, quam quæ propria scientia cognoscit; quis enim unquam denegavit alicui facultatem testificandi de his quæ per alicujus communicationem accepit? Ex altera parte, auditores pariter possunt ejus testimonium suscipere, illique fidem adhibere si testimoniis veritas facti, præsertim miraculis et vaticiniis comprobetur. Ergo, etc.

Prob. 2°. Illud admittendum est ut naturæ humanæ consonum, quod ubique, quod semper fuit admissum. Atqui revelatio *mediata*..... 1° Nullus est enim populus, nulla religio quæ suos non habeat vates, et illos quasi legatos a latere divinitatis religiose non excipiat. 2° Sic possibile, imo necessarium habuerunt commercium hominis cum Divinitate, sic proni præbent aures ad omnia quæ quasi ut revelata traduntur, ut antiqui religionum auctores et legislatores, ut sibi majorem vel divinam comparent auctori-

tatem, apud populos se a diis missos dixerint. Uti legitur de Mino, Lycurgo, Numa et aliis. Ergo, etc.

Prob. 3°. Possibilis est revelatio quæ valde utilis est et proficua hominibus; atqui, talis est revelatio mediata.

Prob. min. Homines cupiditatibus obruti valde proni sunt ad abutendum revelatione communi, eodem modo ac abusi sunt lege naturali quam primævam vocant revelationem; singuli enim ad cohonestanda turpia, ad propriæ mentis deliria commendanda, in medium proferrent inspirationes divinas, eo etiam majori temeritate, quo minus argui possent fallacitatis : ac totidem essent religiones quot capita. Hinc dissensiones, discordiæ et bella sine fine, prout evenisse in primæva revelatione, seu lege naturali, et apud hæreticos, quibus ratio individualis et inspiratio communis unica sunt credendi regula, historiæ et experientia quotidiana testantur. Nec relinqueretur via fraudem evitandi, nisi a singulis efflagitaremus miracula et vaticinia, quod quam absurdum sit, nemo non videt. Ast vero, revelatio *mediata* iis omnibus occurrit incommodis, ut rite animadvertit R. P. Perronne [1] his verbis : « Hoc habetur emolumentum « ex mediata revelatione, quod scilicet unitas atque con- « sensio, quæ sunt præcipuæ veræ religionis notæ, inde « exsurgant, tum publica hominum societas atque professio, « necnon publicum societatis istius et professionis vincu- « lum. » Ergo, etc.

Object.

Obj. 1°. Revelatio quæ fraudibus innumeris est obnoxia, quæque non solum privatos homines, sed etiam populos in errorem traxit, rejicienda est ut Deo indigna; atqui revelatio *mediata* his malis est obnoxia. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Si nulla suppetunt media externa ad discernendum veras a falsis revelationibus, C. Si contra, *Neg.* Atqui plura sunt media externa ad talem discretionem

[1] *De Vera Rel.*, c. 1, prop. 2, ad 5.

aptissima. Quæ autem sint, dicemus ubi de notis veræ revelationis. Interdum numerari possunt sanctitas vitæ et miracula testificantis, prophetiæ eventu comprobatæ aliaque horum similia. Ergo, etc.

Obj. 2°. Veritatibus revelatis fides est adhibenda quatenus sunt verbum Dei; ad hoc autem certitudinem habere debemus, quæ prorsus omnem formidinem errandi excludat; atqui, in revelatione mediata nonnisi moralem certitudinem habemus, quæ profecto omnem formidinem non excludit. Ergo, etc.

Resp. *Neg. min.* Si enim certitudo moralis sit summa et perfecta, tam excludit omne dubium omnemque metum errandi ac certitudo physica et metaphysica; certitudo enim moralis in legibus quibus reguntur creaturæ rationales nititur; illæ autem leges non minus sunt certæ et constantes quam leges quibus regitur natura physica. Nec enim in rebus moralibus, inter quas annumeratur actus fidei, alia certitudo quam moralis requiritur; sic homines actus suos dirigunt, bona fortunæ exponunt, vitæque dispendio se tradunt sola innixi morali certitudine. Ergo, etc. Quandonam vero habeatur hæc certitudo moralis, a logicis et criticis traditur.

CONCLUSIO III.

Possibilis est revelatio illarum veritatum quæ rationis humanæ captum excedunt, seu est possibilis mysteriorum revelatio.

Nota. Mysterium, quod idem significat ac res occulta, accipitur hic pro veritate quæ longe ab intelligentia nostra disjuncta est, non in eo sensu, quod plane nos lateat hujusmodi veritas, cum ejus cognoscamus terminos, sed quod, terminorum ejus nexum non assequentes, veritatem ipsam non percipiamus. Et ideo Deus aliquando mysteria nobis revelat, et illa credere jubet, sive ad exercendum fidem nostram, sive ad obtinendum nostri in eum obsequii et obedientiæ experimentum.

PROB. 1°. *Ex ignorantia multorum in qua versamur.* Sunt multæ veritates sive in iis quæ spectant Dei naturam ejusque perfectiones, sive in iis quæ ad hominem et illius statum seu præsentem seu futurum attinent nobis occultissimæ et supra rationis humanæ captum positæ; nullus enim sic stolidus est, ut existimet nihil nobis impervium esse, cum tot tantisque mysteriis obruamur, etiam in naturalibus; nihil in tota philosophia magis exploratum; atqui illa Deo utpote infinite intelligenti comperta sunt; ergo potest eas manifestare si illi placuerit.

PROB. 2°. *Ex supremo Dei in omnes creaturæ rationalis facultates dominio.* Quisquis Deum agnoscit à quo, quidquid facultatis habent, homines acceperunt, simul agnoscere debet summum Dei in omnes hominis facultates imperium : Deus enim non potest in suum opus dominio se exuere : atqui inter facultates hominis eminet ratio, quæ cæteras non ideo regit et moderatur, ut suum in creatorem sit rebellis; ergo Deus supremum habet in rationem humanam imperium; ergo illud exercere potest, ac proinde quædam revelare dogmata supra rationem humanam posita, eorumque fidem exigere.

PROB. 3°. *Ex comparatione.* Qui ab ortu cæcus aliis hominibus fidem denegaret in his quæ de coloribus referunt, nonne ridiculus haberetur? Ast tamen nullas colorum ideas habet. Varios igitur existere colores non credit, nisi quia id ipsi testantur homines. Jam vero, si quis ab ortu cæcus aliis hominibus fidem præstare debeat in iis quæ mente non capit, quis sanus fidem negat Deo esse adhibendam, cum eas veritates revelat, quæ hominis intelligentiam fugiunt? si hominum testimonium credere oporteat, numquid Deus cum ratione humana tyrannice agere censendus est, quando præcipit ut iis mysteriis firmiter adhæreat, quæ divino ipsius testimonio nituntur?

PROB. 4°. *Ex ipsiusmet rationis postulatis.* Nedum rationi repugnet, ut ea quæ humano captui impervia sunt sibi re-

velentur, valde id exoptat, ut demonstrat communis hominum agendi ratio. Cum enim humanam intelligentiam angustis limitibus circumscribi cognoscat, ratio bene ordinata ducit ad fidem in iis quæ per Dei testimonia tantum comparantur; sic naturaliter pueri ad seniores, sic ad historicos, ad geographos, ad philosophos, chimicos, astronomos, etc., idiotæ recurrunt, ut quæ sua ratio non dictat eorum testimonio comparentur; hinc ait poeta: *La raison conduit à la foi*, ni dicas scientiam fine comparatam non esse scientiam, quod repugnat; hinc J.-J. Rousseau, inter tot absurda, hæc verissima dicit de essentia Dei: *Mais elle est, cela me suffit; moins je la conçois, plus je l'adore; le plus digne usage de ma raison est de m'anéantir devant elle.*

OBJECT.

OBJ. 1°. Deus non potest sibi contradicere; atqui sibi contradiceret, si veritates supra rationis captum positas revelaret, illarumque fidem exigeret. Ergo, etc.

RESP. *Neg. min.* Nedum sibi contradicat Deus mysteria revelando, quorum fidem exigat, suam e contrario sapientiam demonstrat. Duobus enim potissimum vitiis laborat genus humanum, superbia vanaque curiositate; hinc ortum habuerunt primorum parentum lapsus et infelicitas; inde manarunt tot errores, in quos turpiter impegerunt ipsimet philosophi. His autem vitiis efficacius mederi, ingenitamque hominis superbiam reprimere non potuit Deus Christus, nisi mysteria rationi inaccessa revelando. Præterea, dum mysteria ab humano ingenio remotissima nobis credenda proponuntur, exercendæ fidei nostræ, Deoque integrum obsequium præbendi locus datur, quod fieri non posset, si in religione omnia nuda et rationi pervia essent.

Denique revelatio variis humani ingenii erroribus occurrit, hominemque e turbulentis oppositarum opinionum fluctibus eximit, dum latissimam ipsi monstrat viam, qua veritatem certo assequatur; ergo revelatio summam Dei sapientiam probat, nullamque involvit contradictionem.

Inst. Ille sibi contradicit qui rationem homini concedit, illiusque usum interdicit; atqui sic ageret Deus mysteria revelando credenda. Ergo, etc.

Resp. *Neg. min.* Dum enim jubet Deus mysteriis revelatis fidem adhiberi, id unum præcipit, ut nempe suo auctori, summæque veritati sese ratio subjiciat; atqui in ea re nihil est quod prudentem rationis usum adimat; in eo quippe potissimum situs est legitimus rationis usus, ut scilicet supremo suo Domino docilem et obsequiosam sese præbeat, cum aliquid ab ipso revelatum esse certo noverit. Eæ sunt itaque rationis partes, ut argumenta externa quibus nititur revelatio, facta scilicet, testimonia, miracula discutiat, et iis peractis, illam religiose amplectatur; non vero intimam mysteriorum naturam sibi imperviam curiosius rimetur.

Obj. 2°. Mysteria sunt supra rationem; ergo contra rationem.

Resp. *Neg. conseq.* 1° Quia illud supra rationem positum dicitur, quod a mente humana cognosci non potest et cujus intimam veritatem comprehendere non valemus; id vero contra rationem est, quod repugnare probatur eo quod evidentiæ principiis contrarium percipitur; atqui hæc duo maxime discrepant, ut patet.

2° Quia inepte concluditur mysteria esse contra rationem eo quod sint suprà. Ad illud enim recte pronuntiandum necesse esset ut claras mysteriorum ideas haberemus; atqui, licet mysteria non sint omnino incognita, ut infra dicemus, sunt tamen ex parte occulta, nempe ex parte nexus terminorum. Hinc auctor (la foi justifiée de tout reproche de contradiction avec la raison, 2e prop.) : « *Pour qu'un principe soit contraire à la raison, il faut qu'il y ait une opposition formelle entre les idées qu'il comprend, de telle sorte que l'une doive nécessairement exclure l'autre.... Or, dès qu'on suppose l'homme incapable de tout concevoir, n'est-il pas incontestable qu'un dogme peut être au-dessus de la raison et dépasser les*

bornes de l'entendement humain, sans qu'il présente aucune opposition dans les termes, ni qu'il renferme la négation d'aucune vérité cachée ; qu'il peut n'être pas conforme à nos idées relatives, sans être pour cela contraire à la raison ? » Aliunde quod est contra rationem, evidentiæ principiis est plane contrarium, ut diximus, ac proinde absurdum, nam absurditas est evidentia falsitatis, seu formalis prædicatio contradictoria de eodem objecto et sub eodem respectu a ratione clare apprehensa. Si ergo mysteria sunt contra rationem, eo quod supra illam sunt posita, sequitur mysteria esse clara simul et obscura, mysteria simul et non mysteria; clara utique cum illorum pateat absurditas, seu terminorum nexus repugnantia; obscura autem, seu arcana, utpote supra captum rationis posita. Quod est absurdi cumulus.

3° Quia ex principio quod refellimus, sequeretur intellectum humanum suis in cogitationibus ab intellectu divino non differre; quod est absurdum.

4° Quia si quidquid rationi inaccessum est, ipsi contrarium sit, de religione etiam, quam *naturalem* vocant deistæ, et cui soli inhærent, actum est et conclamatum; etenim dicant quid sit immensitas, æternitas, aliaque Dei attributa? an vere ratio apprehendat illa? Hinc J.-J. Rousseau : *Si je viens à découvrir successivement ces attributs, dont je n'ai nulle idée absolue, c'est par le bon usage de ma raison : mais je l'affirme sans le comprendre.... J'ai beau me dire : Dieu est ainsi, je le sens, je me le prouve ; je n'en connais pas mieux comment Dieu peut être ainsi.*

Imo pessumdaret omnes scientias humanas in quibus non pauca sunt obscura, incompleta, mysteriosa, ut præ cæteris ostendit Feller[1], nec diffitentur deistarum coryphæi Voltaire, Hume, Diderot et alii.

Obj. 3°. Revelatio mysteriorum haberi non potest quin et evanescant ipsa mysteria; ergo impossibilis est mysterio-

[1] *Catéchisme philosophique*, suite du liv. 4, c. 5, art. 1, § 418 et seqq.

rum revelatio. *Prob. ant.* revelare enim est manifestare quod occultum est; si igitur mysterium revelatur, jam desinit esse mysterium. Ergo, etc.

Resp. *Neg. ant. Ad prob. dist.* Non est amplius mysterium ex ea parte qua revelatum est, C. non est mysterium quoad sui intimam naturam, quæ revelata non est, N. duo enim sunt apprime distinguenda, existentia scilicet veritatis et ejus natura. Per revelationem mysterii patefit existentia occultæ veritatis et alia quæ per rationem possunt esse cognoscibilia, at vero natura ipsius rei manet occulta. Sic non pauca sunt in natura phænomena quorum certe cognoscimus existentiam, et naturam ignoramus. Ludunt ergo deistæ in ambiguo, dum talia opponunt.

Obj. 4°. Mysteria sunt 1° Inutilia, et sufficiunt dogmata quæ ad mores informandos pertinent. 2° Sunt et nociva, dum propter illorum insitam obscuritatem esse non possunt nisi perpetua feraxque disputationum ac discordiarum seges. Ergo rejicienda ut Deo indigna.

Resp. ad primum. *Neg. ant.* 1° Posito enim quod Deus mysteria revelare voluerit, jam non possunt absque impietate tanquam inutilia rejici; Deus enim summe sapiens nihil frustra, et sine consilio agit, licet illud aliquando nos lateat, nam *vias Domini quis investigavit, aut quis consiliarius ejus fuit* [1]?

2° Sed et multæ rationes afferri possunt, propter quas Deus mysteria quædam nobis revelare voluerit, 1° ad splendidiorem sui ideam præbendam, 2° ad fidem nostram exercendam, superbiamque rationis nostræ retundendam, 3° ad obsequium nostrum sibi comparandum, 4° ad divinitatem religionis maxime comprobandam. Etenim si in religione christiana nulla prorsus essent mysteria, forsan ut inventum haberetur humanum. At per mysteria jam divina sua asseritur origo. Cum enim mysterium sit veritas

[1] Rom. 11, 34.

supra rationis humanæ captum posita, nec rationi repugnet, ut probatum fuit, patet quod, nisi Deus illam manifestasset, numquam humanus intellectus invenire valuisset. 5° ad moralem disciplinam explanandam et promovendam; quia mysteria sunt tanquam basis ac fundamentum firmissimum moralium virtutum et officiorum et incitamentum ad sublimiorem perfectionem. Numquid Filii Dei, v. g. incarnatio, mors acerbissima, resurrectio, hominis per Adamum perditi restitutio et reparatio, vividos acerrimosque grati animi affectus in nobis excitare non debent? Ergo, etc.

Resp. ad secundum. Mysteria sunt perpetua feraxque disputationum seges, ex natura sua, N. vel *dist.* ex defecta obsequii erga auctoritatem a Deo constitutam, C. respectu illorum qui erga ejusmodi auctoritatem sunt obsequiosi, N. etenim pro catholicis, unum est baptisma, una fides. Quando auctoritas a Deo instituta locuta est, causa finita est: experientia id constat. Quoad inobedientes et hæreticos, ipsi suas defendant partes, si possunt. Cæterum, non solum circa mysteria, sed circa omnes religionis articulos, circa qualemcumque scientiam, ex ingenii humani abusu semper fuerunt quæstiones et contentiones.

Inst. Mysteria verbis exprimuntur sensu vacuis et quibus nullæ subjiciuntur ideæ; unde revelare perinde est ac ignota lingua loqui in qua mera audiuntur verba, præterea que nihil; ergo hujusmodi mysteria sunt inutilia.

Resp. *Neg. maj.* Nam mysteria quæ revelantur, non sunt ex omni parte incognita, ut pro loco probabitur, sed tantum quoad nexum terminorum. Ex quo fit ut ignoremus *quomodo* se habeat revelata veritas quoad suam intimam naturam. Sit in exemplum: quum dicimus in una natura divina tres esse personas, duas ideas enuntiamus nobis bene cognitas, licet non assequamur modum seu nexum quo conjunguntur; ergo non vacua sunt verba. Quis enim arguet nos vaniloquii cum dicimus: Dei filius, ad salvandum

hominem, naturam assumpsit humanam et ad victimam ut agnus ductus est, mortuus est et sepultus, resurrexit, etc.? Exinde vero cognoscimus existentiam veritatis, unde maximum referimus emolumentum. Nam ut aliqua res sit nobis utilis, parvi refert quod intrinsece cognoscamus qualis sit; sic pene innumera sunt in physicis v. g. ignis, lux, vis magnetica, electricitas, quorum penitus nos latet intima natura, et tamen magnum ex illis reportamus emolumentum. Ergo, etc.

CAPUT II.

DE REVELATIONIS NECESSITATE.

Nota 1°. Revelatio divina, ut ex superiori capite colligitur, est illa supernaturalis Dei operatio, qua Deus quosdam peculiares homines veritatibus imbuit, quibus ipsi deinde homines reliquos ad religionem et officia instruant.

Nota 2°. Deistæ ac rationalistæ, legem quam vocant *naturalem* perfectam putantes, clamitant illam esse divini throni assistricem sapientiam, nobis communicatam; ejus tabulas omnium hominum mentibus exhiberi integras, atque in tam perspicua luce, ut qui percurrit legerit eas. Hinc vehementer nos arguunt quasi humanæ rationis viribus, hominisque dignitati ac conditioni injuriam inferentes, eas scilicet deprimendo ad astruendam nostræ revelationis necessitatem.

Nota 3°. *Objectum* revelationis est vel veritas ordinis superioris et supra rationis humanæ captum posita, quæ *mysterium* vocatur, necnon ea quæ a libera Dei voluntate pendent, sed limites humanæ rationis non excedentia, quæ quidem, seposita revelatione divina, ratio humana cognoscere non valeret, quorum tamen notitia summopere hominis interest; vel veritates quæ rationis limitibus continentur et in lege quam vocant naturalem complectuntur,

v. g. existentia Dei, animarum immortalitas, officia quibus Deo societatique obstringimur, et horum similia.

His positis, contra Deistas et Naturalistas quadruplici propositione probabimus revelationis necessitatem.

CONCLUSIO I.

Nullus populus, divina revelatione destitutus accuratam Dei notitiam obtinuit; nullus dignum Deo cultum exhibuit; nullus tandem qui in absurdos contra sanæ moralis principia errores delapsus non fuerit. Ergo divina supernaturalis revelatio fuit necessaria.

Probatur propositio ex constanti, publico et universali experimento quod in dubium nefas est revocari [1].

Prob. primam partem. *Quoad accuratam Dei notitiam.* Per accuratam Dei notitiam hic eam intelligimus quæ nullum admixtum habet errorem quo deturpetur pura et sublimis supremi numinis notio, *natura* scilicet, *omnium quæ excogitari possunt optima et perfectissima*, ut dicit Cicero [2]. Atqui non solum populi etiam cultissimi sed et insigniores philosophi circa genuinam Dei notionem turpiter erraverunt. Et 1° quidem omnes populos revelatione destitutos plures coluisse et etiam nunc colere Deos, explorata res est, ita ut: *Tout était Dieu, excepté Dieu*, inquit Bossuet. Astrolatria apud orientales præcipue populos, Chaldæos, Persas, Phœnices obtinuit. Alii virgulta, alii cæpas, solem, lunam, ignem, lapides alii tanquam Deos habuerunt; bobus, crocodilis et vilissimis animalibus condita fuerunt templa splendidissima; sua etiam habuerunt delubra, non solum virtutes sed et fortuna, sed febris, sed metus et ipsa impudentia; Japonenses plurimi

[1] Si ex rationis humanæ infirmitate, ex nativa hominis levitate, curarum hujus mundi implicatione, cordis passionibus et cupiditate, aliisque horum similibus vis procedere, confer Hooke, lib. *de Vera relig. de Revelat. utilit.*, diss. 1ª, c. 1, prop. 1ª.

[2] Lib 1 *de Nat. deor.*, n. 28.

priscos quosdam homines colere[1], plurimi solem, nonnulli lunam[1].

Ipsimet philosophi antiquitatis præstantiores circa Dei naturam turpissimos in errores prolapsi sunt[2]. Quorum de numinis notione, quam varia et pugnantia fuerunt placita, patet ex istis Tullii verbis : *Qui Deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestia sit dinumerare sententias*[3].

Prob. secundam partem. *Quoad cultum Deo debitum.* Certum est omnem cultum, effigies obscœnas, festa, sacrificia, in quibus non solum sanguine libabatur humano, sed et ipse pudor sacrificabatur, scelera et flagitia, v. gr. ebrietatem sub Bacchi, scortationem etimpudicitiam sub Veneris, furtum sub Mercurii nominibus, publica religione fuisse consecrata. Quis horrore non corripitur, si legat quæ apud Origenem[4], Tertullianum[5], Clementem Alexandrinum[6], et Lactantium[7], de cruentis et obscœnis ejusmodi superstitionibus narrantur! In cultu externo, quam multi ritus ridiculi sacerdotum ministerio perficiebantur! Quam vana augurum et aruspicum disciplina et omnis veterum divinatio!

Prob. tertiam partem. *Quoad mores populorum.* Omnes populi vel cultissimi, et ipsimet philosophi, revelatione divina destituti circa gravissima legis naturalis præcepta

[1] S. Franç. Xav., epist. 5, lib. 3, Lugd. an. 1683.

[2] Thales aquam veluti rerum omnium principium admittit; Anaximenes aerem; Pythagoras ejusque discipuli materiam sui motricem animamque universalem; Lucipus, Democrites, Epicurus, atomos æternas fortuitumque casum; Stoicis Deus igneus erat. Plerique necessitatem ferream et ineluctabilem Deo ceterisque rebus imposuerunt. Plato modo ens unicum, modo quamdam animam dicit universalem.

[3] Nec philosophi increduli temperantiores concordioresque sunt, licet lux revelationis illos circumfulgeat; omnium enim errores antiquorum variis novisque solum sub formis recoquunt. Sic Cousin, Quinet, Jouffroy, Strauss, Kant, Hegel, etc.

[4] Orig. contra Celsum. — [5] Apol., c. 14, et in lib. *de Idololatr.*, c. 1 et seqq. — [6] In Cohortat. ad Gentes. — [7] *De Falsa Relig*

errarunt. Multa enim apud gentes etiam politiores licita putabantur quæ sanæ Ethicæ legibus repugnant; sic apud Persas matres ducebantur uxores, apud Ægyptios in Heliopoli mulieribus utebantur promiscue, apud Thibetanos polyandria legibus consecratur, apud Hircanos feris dilaniandos objiciebantur patres, apud Græcos et Romanos feralibus gladiatorum spectaculis oculi pascebantur, et liberi deformes exponebantur; fornicatio neque inter vitia quidem computabatur. Uno verbo, corruptionis scholæ erant ipsorum theatra et spectacula, ita ut nos pudeat tot truculenta et nefanda vel meminisse, inquit R. P. Perronne.

Non minus cæcutiebant philosophi circa gravissima quædam legis, quam naturalem vocant, officia. Ut enim de Epicureis aliisque dissolutioribus taceam, Plato ipse uxorum communitatem commendabat : concubitus vagos seu fornicationem permittebat, conjugia inter fratres et sorores non improbat; nudos utriusque sexus homines gladiari præcipit, ebrietatem in Bacchi festis non damnat; infantium expositionem, ubi non essent bene conformati, commendavit. Aristoteles partuum abortiones non condemnat, neque in infantes crudelitatem; turpes et lascivas deorum imagines approbat. Stoici tandem maxime erant in scriptis obscœni; ipse etiam bonus Epictetus incestum etiam a natura maxime abhorrentem patris et filiæ non horrebat. Quam absurda sunt eorum dogmata! paria sunt peccata.

His adumbratis, concludendum est legem rationis nullo sensu perfectam esse, ut summa non sit et semper fuerit revelationis necessitas, et homines in summa non sint ejus indigentia [1].

[1] Neque apud unum aut alterum populum hæc impura instituta obtinuerunt, sed apud omnes prope modum : nec solum ad breve tempus, sed ab antiquissima ætate; nam Ethnica superstitio apud omnes populos, quantumvis temporis et loci longinquitate divisos, invaluit. Sola illa gens, quæ Deum verum habuit appropinquantem sibi, a quo acceptam legem gloriatur, a

OBJECT.

OBJ. 1° Lex naturalis, seu ratio hominibus data est a Deo ad eorum vitam regendam : atqui nisi esset perfecta et contineret omnia præcepta ad institutionem optimam vitæ pertinentia, non responderet huic fini et Deus sapientia caruisset. Ergo, etc.

RESP. 1°. Argumenta Metaphysica contra facta clarissima nullam habere vim. Eodem plane ratiocinio (inq. Hooke) concluderes nullos nasci surdos vel cœcos, nam oculus datus est a Deo ad videndum, et aures ad audiendum, siquidem nihil Deus inutile facit. Conficeres etiam nullum esse in mundo malum physicum neque morale, quia hæc non consentire videntur cum ejus bonitate.

RESP. 2°. *Dist. maj.* Ratio, seu lex naturalis a Deo data hominibus recens conditis, natura adhuc integra et incorrupta, erat perfecta et apta ad perfectam vitæ institutionem, C. Lex naturalis ut, in præsenti conditione naturæ humanæ, cuique homini per facultates naturales innotescit, est perfecta, etc. N. fatemur quidem Deum dedisse homini legem relative ad conditionem ejus perfectam, optimam ad genuinam ejus informationem; absque dubio tamen est rationem cujusque hominis illam non habere perfectionem; sicut in ordine physico, certum est Deum non creasse hominem cœcum et surdum, et tamen constat aliquos nasci cæcos et surdos. Quid igitur concludendum est, nisi hominem eo statu perfectionis aliquando excidisse, in quo primum conditus fuerat. Non est hæc duplicis status distinctio petitio principii, sed conclusio evidentissima ex duobus principiis quorum unum accipitur a Deistis, alterum in experientia positum est.

OBJ. 2°. Datur perfectibilitas humanæ rationis per quam homo maxime distinguitur a brutis, ergo licet humanitas

communi contagione libera, recte de Deo et officiis sensisse deprehenditur. (Hooke, *de Vera Relig.* et *revelat. utilitate*, c. 1, prop. 1.)

a recto et honesto aliquandiu aberraverit, male concluditur populos in eadem semper ignorantia et erroribus, seposita revelatione, fuisse mansuros.

Resp. *Dist. ant.* Datur *perfectibilitas* in scientiis vel in artibus, quæ ad mores vel ad religionem minime relationem habent, C. in iis quæ ad religionem et mores pertinent, *subdistinguo*. si non obstent cupiditates, illecebræ et prava exempla, Esto. Positis ejusmodi obstaculis, N. Inclinamur utique ad virtutem sensu naturali; ast luctuosa experientia constat nos ad hæc naturæ monita obsurdescere, quamvis raræ dari possint exceptiones [1]. Non enim in abstracto sumenda est humanitas, sed in concreto, prout est illecebris abstracta et illecta. Nam quædam facta singularia non destruunt factum universale et constans. Jam vero, *vitia*, inquit Seneca [2], *de mercede sollicitant, avaritia pecuniam promittit, luxuria multas et varias voluptates, ambitio purpuram et plausum, et ex hoc potentiam et quidquid potentia ponit.* Hinc etiam Tullius : *Nunc natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat* [3].

[1] Fatemur quidem nonnullos, tamen paucissimos, ab illa universali superstitionum ac morum pravitate sibi temperasse, subsidio tum primævæ revelationis, tum cum Judæis vel postmodum Christianis consuetudinis, vel etiam, si velint, quia veritatis detegendæ fuerunt cupidi et vacui a prejudiciis, quod vix fieri potuit. At hoc de multitudine non esse exspectandum dicimus. Aliud est ergo loqui de individuis quibusdam, aliud de multitudine, quia leves sunt plerique homines, quia desides, quia impatientes laboris et contentionis, quia prævis sunt imbuti opinionibus. Hinc habet Aristoteles, *sicut in luce solis vespertilionum oculi, ita in rebus clarissimis mens humana.*

[2] Epist. 59.

[3] De educatione et pravis exemplis sic habet Cicero : .... Simul atque editi in lucem, et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur. Quum vero parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatæ natura ipsa cedat...Quum vero accedit eodem,

Aliunde si daretur *perfectibilitas* humanitatis in rebus religionis et morum, ut volunt Deistæ, sequeretur populum quo adultior fit, ec perfectiorem esse et ad virtutem magis ac magis accedere ; atvero, experientia et historicis monumentis contrarium probatur. Constat enim populos vegetiores et puriores fuisse, sive quoad cultum, sive quoad mores, in primævis suis temporibus, eo vero perditiores quo magis a sua discedunt origine, nisi a vivifica religione revelata renoventur. Sinenses neque scientiis neque artibus sunt destituti; attamen, eo deteriores quo antiquiores sunt, ita ut de illis dixerit quidam Ep. Missionarius in Sinis : *Imperium Sinicum est officina spurcitiarum, sylva arundinum, spelunca latronum.*

Inst. 1°. Generalem Polytheismum et idololatricam superstitionem irridebant philosophi sub fine Romanæ Reipublicæ, ex quibus maxime Tullius inter Latinos et Lucianus inter Græcos. 2° Hodierni deistæ qui revelationem rejiciunt, sola rationis ope, omnia legis naturalis officia detegunt; atqui talis progressus est humanitatis perfectibilitati tribuendus. Ergo, etc.

Resp. ad primum. *Dist.* Irridebant philosophi epicurei et athei qui maxime tunc Romæ dominabantur, C. magistratus et populi, N. Porro illi philosophi non solum polytheismum ac idololatriam, sed omnem plane religionem impugnabant, quin loco religionis aliquid substituerent, sicut hodierni faciunt plures pseudo-philosophi. Unde forsan deistæ erant oretenus, sed revera atheismum profitebantur. Hoc autem non est humanitatis progressus, sed retrogradatio. Interim, *Roma diligentissima superstitione habebat collectum, quidquid usquam fuerit vanis erroribus institutum* [1], et qui fuerit magistratuum sensus et populi ex tot martyrum historiis manifestum habemus.

quasi maximus quidam Magister, populus atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a natura desciscimus. (Tuscul. disput., lib. 3, c. 1.)

[1] S. Leo Papa, serm. 1 de SS. ap. Petro et Paulo

Resp. ad secundum. Non ex ratione sola, sed maxime ex revelatione quam ingrati rejiciunt, suam legis naturalis cognitionem hausere nostri Deistæ. Nam, nisi revelationis lux splendida densas paganismi tenebras depulisset, scopum ad quem dirigenda est ratio indigitasset, et legis quam naturalem vocant præcepta splendidiorem in lucem eduxisset, numquid plus essent Brachmanis ac Sinensibus philosophis sapientia et doctrina [1] ?

Aliunde, nedum ea omnia cognoscant Deistæ quæ ad legem naturalem pertinent, imo alii cultum externum rejiciunt, alii cultum internum, alii omnia habent perinde licita, alii negant virtutis et vitii discrimen, alii divinam providentiam, alii animæ immortalitatem, pœnas et præmia futuri seculi aut negant, aut in dubium vocant. Ergo, etc.

Obj. 3°. Si revelatione tantopere homines indigent, illa universalis esse deberet; atqui revelatio non est universalis. Ergo, etc.

Resp. *dist. min.* Non est universalis ex culpa hominis, C. ex culpa Dei, N. Quamvis enim gratia quæ nos illuminat, homini sit indebita, hanc tamen iis numquam denegat. Hinc ab ipso primæva facta fuit revelatio, deinde per patriarchas et prophetas, novissime per Filium suum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per apostolos quorum in omnem terram exivit sonus et in fines orbis terræ verba eorum. At non omnes obediunt evangelio. Hinc S. Aug.: *ut innotescat quod latebat... gratia Dei est;*

[1] Enimvero quando res aliqua nobis cognita est, jam intellectu facilis nobis videtur, eamque a nobis sine ullius subsidio detegendam fuisse credimus, illa tanquam bono nobis proprio fruimur. Sic viator qui per vias dublicas iter promptus facit, sibi de nervosis pedibus gratulatur, suamque diligentiam bonæ corporis constitutioñ attribuit. Vix attendit quantum ïis debeat, qui succisis arboribus, siccatis paludibus, extructis pontibus, iter fecere commodum. Sic Deistæ quos ingeniose dicit *la Bruyère* his infantibus similes qui, postquam ex optimo lacte quem traxerunt vegeti et busti evaserunt, suas nutrices percutiunt.

quod non adjuventur homines, in ipsorum causa est, non in Dei; Deus semper paratus est dare lucem suam nobis... sed non semper parati sumus accipere, cum rerum temporalium cupidine tenebramur [1].

Deinde, cum sic disputant male cauti deistæ, non attendant suum in ipsos retorqui posse argumentum. Necessariam enim esse dicunt omnibus Dei cognitionem; atqui tamen, sic permittente Deo, plurimi verum Deum ignorant [2].

CONCLUSIO II.

Generis humani, in omnem errorem et pravitatem prolapsi, reformationi philosophia præsidere noluit, nec potuit; ergo necessaria fuit supernaturalis revelatio.

Hic rursum factum adstruimus publicum, universale et constans.

PROB. PRIMA PARS. *Generis humani reformationi philosophia præsidere non voluit.* Ad hanc enim grandem molem peragendam requiritur *zelus* veritatis, *fortitudo* animi et *charitas* proximi; atqui philosophi neutrum habuerunt, nec habent. 1° Nonnulli quidem sententias, tractatus, dissertationes ediderunt de religione et moribus speculativas et generales, splendidas eloquentia et compositione sermonis, et quorum beneficia nostrum non interest negare. Atvero ut philosophi reformare possent humanum genus, debuissent imprimis esse generis humani vere amantes, ut quæ noscebant, homines verbis et exemplis docerent; jam vero vana gloria ducebantur, quia se ipsos, non populos pascebant, et ideo veritatem Dei in injustitia seris iniquæ voluntatis detine-

[1] 2 *de Peccat. merit. et remiss.*, c. 17, n° 26, et lib. 2 *de Serm. Domini in monte*, c. 3, n° 14.

[2] Pro hac quæstione, quæ ad nos non pertinet, enucleanda, vide tract. *de Gratia*. Hoc unum nobis fuit probare homines esse in maxima impossibilitate veritatis inveniendæ et virtutis exercendæ. Unde dicere possumus legem rationis esse prorsus imperfectam et homines esse in magna indigentia opis alicujus revelationis. (Vid. Hooke, *de Ver. Rel. et revel. utilitate*, c. 1, prop. 1.)

bant, ne exiret ad effectus et opera conformia veritati notæ. Hoc fassus est ipse Cicero de sui temporis philosophis: *Videre licet*, inquit [1], *alios tanta levitate et jactatione, ut iis fuerit non didicisse melius; alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum servos*, ut cum eorum *vita mirabiliter pugnet ratio* [2]; quod *quidem mihi videtur turpissimum*. Adde, falsas religiones suos etiam habuisse pseudoapostolos, pseudomartyres; at philosophia ne unum quidem habet martyrem. Quis unquam ex philosophis mortem sustinuit, aut sustinere voluit vel etiam pro doctrina cujus ipse fuit inventor [3].

2° Imo, et ipsi postquam ethnicam superstitionem irriserint, ipsa tamen idola, repugnante conscientia, adorarunt, invocarunt, placarunt, ut sibi populorum et principum auram amicitiæ compararent, vel eorum animadversiones declinarent. Hinc famosum illud apud eos effatum : *Expedire falli in religione civitates*. Quare Augustinus ex hac parte arguit philosophos contra Senecam scribens : *Colebat quod reprehendebat; agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat* [4].

[1] *Quæs. Tusc.*, l. 2, c. 4.

[2] Philosophos fuisse impurissimos et spurcissimos disce ex uno Diogeno Laëtio a lib. 2, usque ad lib. 10. Conf. etiam D. Paulum ad Rom. Qui vero tales magistri vellent in aliis reformare quod et ipsi faciunt?

[3] La religion part du cœur, elle saisit les sentiments du cœur et le rend capable de sacrifice, de dévouement. La philosophie, au contraire, n'est que dans la raison, c'est pourquoi elle est hautaine, arrogante, froide, timide, égoïste, n'agissant que pour elle-même.

[4] S. Aug. *de Civ. Dei*, l. 7, c. 10. Sic Socrates diis Græcorum sacrificavit, et inter alia gallum Æsculapio. Sic Plato eosdem colendos censuit quod lex Gentium ita juberet (Euseb., l. 4, præp. evang., c. 8 et 11). Sic et Seneca sacrificia laudabat, non quasi diis placita, sed quia legibus jussa (ibid.). Cicero ipse : *Mirari se cum Catone*, inquit, *quod non rideret aruspex, aruspicem cum videret*, docet tamen simulacra colenda esse ob metum legum politicarum (l. 1 *de Nat. deor.*) De Brachmanis Indorum philosophis et sacerdotibus, sic habet S. F. Xav. : *Hi Deorum cultum ac superstitionem tuentur, templa eorum colunt, simulacra custodiunt... In eo sunt toti, ut simplicem, imperitamque multitudinem quam cal-*

Hinc J.-J. Rousseau nervose philosophos insectatur : *Où est le philosophe qui, pour sa gloire, ne tromperait pas volontiers l'univers? Où est celui qui, dans le secret de son cœur, se propose un autre objet que de se distinguer ? Pourvu qu'il s'élève au-dessus du vulgaire, pourvu qu'il efface l'éclat de ses concurrents, que demande-t-il de plus ? L'essentiel est de penser autrement que les autres. Chez les croyants, il serait athée ; chez les athées, il serait croyant* [1]. Ergo non habuerunt voluntatem... etc.

Prob. secunda pars. *Et si voluissent, non potuissent,* idque ex triplici defectu ipsis inhærente, *unitatis,* videlicet, *auctoritatis* et *sanctionis.*

1° Quidem ex defectu *unitatis.* Nam, philosophia duce, numquam confici potuit præceptorum perfecta collectio. 1° Quia philosophorum nulla schola totam veritatem tenuit. 2° Quia clarissimi philosophi plerumque anxii ac dubii extiterunt circa ipsa religionis et morum fundamenta. 3° Quia non solum scholæ, sectæ et Academiæ, sed et philosophi singuli inter se discreparunt, nam quod una schola vel Academia aut secta probabat, altera negabat; sæpe discipuli in magistros insurgebant, unde scepticismus universalis ortum habuit [2].

2° Ex defectu *auctoritatis.* Quia neque *personali,* neque *doctrinali,* neque *reali* potestate gaudebant apud populos. Hinc Lactantius : *Permulta quidem præcipiunt, et ad verum*

lidissime fallant.... Unum esse Deum cœli terræque conditorem, agnoscunt, illumque ab ipsis coli oportere, nam idola nihil aliud esse quam dæmonum simulacra... Statuto die hanc unam precationem identidem lingua sua usurpant : Veneror te, Deus, tuamque opem in perpetuum imploro. Hanc precationem jurisjurandi religione adstricti submissa admodum voce iterant sæpius. (Ep. 5, l. 3, edit. Lugd. 1682.)

[1] Emile, l. 4, p. 27.

[2] Conf. opus cui tit. ***Histoire comparée des systèmes de philosophie considérée relativement aux principes des connaissances humaines,*** par M. Gerando. In qua autem quinque Epochos philosophiæ distinguit.

frequenter accedunt, sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, et auctoritate majori, id est divina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quam esse ille qui præcipit [1]. Aliunde, qua auctoritate gaudere potuissent, cum inter se essent perpetuo divisi, sui invicem detractores? Vitia hominum carpebant, vitiis ipsi mancipati, sicque præceptis suis omnem vim adimebant, testante ipsomet Tullio [2].

3° Ex defectu *sanctionis*. Sanctio sunt præmia vel pœnæ in observatores vel transgressores legum a legislatore statuta. Jam vero, nulla præmia, nullamque pœnam observatoribus vel transgressoribus suorum præceptorum promittere potuerunt, cum nullam in populum haberent potestatem. Hinc in derisum ab omnibus habebantur quæ poetæ de Elysiis vel Stygiis sedibus cecinerunt [3]. Diximus *ex triplici defectu ipsis inhærente*, ut probe sciant nostri deistæ ac rationalistæ hoc etiam triplici defectu laborantes, prorsus esse impares, seposita revelatione divina ac supernaturali, ad idem præstandum, quod et philosophi antiqui præstare non valuerunt. Ergo generis humani in omnem errorem et pravitatem delapsi reformationi philosophia præsidere non potuit, aliunde nec voluit. Ergo necessaria fuit, etc.

OBJECT.

OBJ. Deus dedit humanam rationem non *excultam*, sed semper excolendam; atqui excolitur per investigationes et dissertationes philosophicas, maxime circa legem naturalem; ergo sperandum foret, ut ratio humana, face philosophiæ prælucente, tenebrarum errores abigat, mores in melius mutet.

RESP. 1°. *Dist. min.* Ratio excolitur circa legem naturalem, præsidio revelationis supernaturalis, quam impii ingrati rejiciunt, C. Excolitur seposita ejusmodi revelatione, N.

[1] Lib. 3, c. 27. — [2] Lib. 1 et 2, 4. — [3] Ita J.-J. Rousseau.

Etenim, jam demonstravimus non dari *perfectibilitatem* humanitatis in iis quæ relationem dicunt ad Religionem vel ad mores, sed tantum in iis quæ ad scientias profanas et artes mecanicas pertinent; idque probatur per factum publicum, universale et constans, quod assertiones gratuitæ, et theoriæ imaginariæ destruere non valent. Luctuosa quippe experientia constat, eo deteriora fuisse tempora, quo philosophia majus obtinuit imperium.

Resp. 2°. *Ad cons.* Hæc est philosophorum prophetia; interim experientia contrarium evincit, ut patet ex dictis. Aliunde, non agitur de eo quod *possit* ratio, sed de eo quod *fecerit*. Inepte quidem quis prætenderet solem vim habere res oculis hominum revelandi, si perpetuis et densissimis orbis terræ involveretur tenebris.

Inst. 1°. Atqui magna reformationis affulget spes ex unione fere omnium philosophorum; jam vero dubitari nefas est, quin in rebus gravissimis omnes fere philosophorum scholæ inter se conveniant. Ergo, etc.

Resp. *Neg. min.* Quam mirabilis sit ista philosophorum consensio, si de antiquioribus agitur, patet ex historiis; si vero quæstio est de recentioribus, unum ex illis in testem adducere sufficiat, J.-J. Rousseau [1]. Claret etiam ex perpetuo rationalistarum conflictu, qui in Germaniæ scholis adhuc viget, et ex eorum libris.

Inst. 2°. Inter philosophos, haud paucos invenimus, qui

[1] Je consultai les philosophes, je feuilletai leurs livres, j'examinai leurs diverses opinions : je les trouvai tous fiers, affirmatifs, dogmatiques, même dans leur scepticisme prétendu, n'ignorant rien, ne prouvant rien, se moquant les uns des autres; et ce point commun à tous, me parut le seul sur lequel tous ont raison. Triomphants quand ils attaquent, ils sont sans vigueur en se défendant; si vous pesez leurs raisons, ils n'en ont que pour détruire; si vous comptez les voix, chacun est réduit à la sienne; ils ne s'accordent que pour disputer : les écouter n'était pas le moyen de sortir de mon doute. Je conçus que l'insuffisance de l'esprit humain est la première cause de cette prodigieuse diversité de sentiments, et que l'orgueil est la seconde. (*Émile*, l. 4.)

præclare de Religione ac virtute sentientes, doctrinam Jesu Christi decretis ac præceptis haud absimilem in medium protulerunt et proferunt; ergo datur consensio inter eos in rebus gravissimis.

Resp. *Dist.* Præclaram doctrinam protulerunt, sed prorsus imperfectam, sed absque fundamento solido, absque connexione, missione, auctoritate, et sanctione, et quidem generalem et theoricam, C. Doctrinæ et præceptorum collectionem perfectam, bene connexam, practicam, dictantem morum regulas in particulari, N. Nulla porro falsa doctrina est, quæ non aliqua vel etiam multa vera intermisceat. Veteres igitur philosophi, et eo magis recentiores deistæ, qui tot sunt subsidiis revelationis instructi, nonnullas sententias, tractatus, dissertationes, de Religione et moribus proferre potuerunt; ast vera cum falsis inordinate promiscuunt et eorum systemata nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale, nihil certum demonstrant, eo sane quod sine solido sint fundamento auctoritatis, sive unitatis et sanctionis. *Errarunt*, inquit Lactantius de veteribus, *velut mari magno, nec quo ferrentur intelligebant; quia neque viam cernebant, nec ducem sequebantur*. Nostrates vero deistæ perfectiorem complexionem legum naturalium confecerunt, an quia Pythagoram, Socratem, Platonem vicerunt ingenio et gravitate, annon potius propter illam revelationis lucem, quam ingrati aspernantur? Ergo, etc.

Inst. 3°. Inter eos ipsos qui Revelationem sequi professi sunt, multa opinionum diversitas obtinuit, et obtinet, quin generis humani reformatio præpediatur, ut contendimus; ergo à pari... etc.

Resp. *Dist.* Multa opinionum diversitas obtinet inter eos qui divinam Revelationem sequi se profitentur, sed mutilam, ac rejecto Ecclesiæ magisterio, et se habent refractarios, et perduelliones, C. inter sinceros catholicos, qui totam revelationem sub auctoritate Ecclesiæ sequuntur, pariter *dist.* in rebus levioris momenti quæ ad substantiam

dogmatum vel morum non attingunt, nec definitæ sunt, C. Secus N. Etenim inter illos viget hæc S. Aug. regula : *In certis unitas; in dubiis libertas; in omnibus charitas.*

CONCLUSIO III.

Humana ratio ex se motiva sufficientia non præbet ad homines in officio continendos, et a vitiis retrahendos; ergo Revelatio divina ac supernaturalis fuit necessaria, etiam in iis quæ naturali rationis lumine cognosci possunt.

Hic rursum *factum* enuntiamus universale ac constans.

Nota. Legis cujuscumque duplex est pars : *præceptum*, quo indicatur quid agendum sit, omittendumve, et *sanctio*, qua imponitur necessitas moralis parendi præcepto. In lege perfecta, utraque pars perfecta esse debet. Ratio [1] igitur cujuscumque hominis lex perfecta dici non potest, nisi clare de rebus ad Religionem et ad mores pertinentibus, saltem in gravioribus, præcipiat, et ea simul proponat motiva quæ efficaciora sunt ad homines incitandos ad præstandum ejusmodi legibus obsequium. Luce clarius jam convicta est ratio de sua ad præstandum primam partem imparilitate. Esto tamen, hæc omnia præcepta et documenta, v. g. Deum unicum colendum esse, animam esse immortalem, præmia pœnasve ipsam manere post mortem, vitium esse fugiendum et virtutem sectandam, aliaque hujus generis plurima possit per se comparare, attentis tamen humanorum animorum conditione ac dispositionibus, ejusmodi notiones non præbent sufficientia motiva, ut in omnibus rerum adjunctis homo præstet obsequium præceptis naturalibus.

Prob. 1°. Quia, admodum pauci sunt qui assequuntur vim naturalium demonstrationum, maxime cum plures philosophi eas in dubium vocaverint.

[1] Hic non quærimus utrum ratio sit hominis facultas legem investigans, vel ipsa lex : Ad sensum magis attendimus quam ad verbum.

2°. Quia sæpissime ita ad vitia sollicitamur, ita sensus alta voce clamant et invitant, ut motiva ex ratione adducta sint prorsus insufficientia. Etenim, illa motiva duplicis sunt generis, *temporalia* scilicet et *æterna;* porro, ad motiva temporalia, ut sunt metus, naturales ægritudines, et alia hujus generis, quibus revocaremur à vitiis, obsurdescimus, atque potius pœnas luimus post patrata facinora, quam a perpetrandis criminibus prohibemur ; ex altera parte, pœnæ æternæ, quatenus futuræ, minus tangunt, dum adest ante oculos aut merces criminis, aut oblectamentum.

3° Quia virtus, in pluribus rerum adjunctis, quasi stultitia videtur. Quam sæpe siquidem accidit, ut ipsa sua simplicitas atque candor bonis causæ sint ærumnarum, et ruinæ fortunarum suarum, dum ex adverso scelere consequuntur improbi utilitates suas! *Virtus laudatur, et alget,* dum peccatores prosperantur in viis suis. Huic maximæ tentationi resistere norunt hi soli qui in virtutis palæstra sunt exercitati. Hinc propheta : *Pene moti sunt pedes mei, pene effusi gressus mei, pacem peccatorum videns.*

4° Quia, qui in conflictu reperiuntur, facile cedunt seipsos decipiendo. Motiva subjiciuntur vana; ratio imbecillis passionibus tunc delinita, numquam earum satis severa judex, hallucinatur; mens dubiis implicatur et obcæcatur, nec videt amplius quæ antea evidenter cognoscere sibi videbatur; in subsidium adsciscit sapientium dubia, et sic falsum dictamen sibi efformat.

5° Cum ratio nihil certi, nihil positivi statuat de cultu Deo debito, de præmiis vel pœnis virtuti aut vitio debitis, an sint æterna vel ne, homines ea habent perinde ac si non essent. Ergo ratio humana non suppetit motiva... etc. Ergo revelatio.....

OBJECT.

OBJ. Deus providentissimus omnia alia animalia iis viribus ditavit, ut instinctu naturali ad suum finem recto per-

veniant tramite; ergo a fortiori hominibus concessit facultatem ea omnia intelligendi et observandi quæ ad suos obtinendos, scilicet ea quæ ad officia peragenda et ad religionem colendam spectant. Ergo ratio humana sufficit homini.

Resp. *Neg. parit. et cons.* Cætera enim animalia, cum libertate careant, instinctuque necessario agant, iis utique mediis a Deo instructa esse debent, quibus suum finem attingant; at homines, cum ratione et libertate sint prædíti, possunt utique fine suo aberrare, bona vel mala facere, officia sua adimplere vel prætermittere, vitam vel mortem eligere. Porro, luctuosa evincit experientia, illos hac sua abutendo libertate, enormiter errasse, et nunc quoque temporis turpiter errare circa officia sua, tum in religione, tum in moribus. Velint, nolint deistæ, luctuosum et miserrimum, sed constans et universale illud *factum* quod argumenta metaphysica destruere non possunt, admittere debent, et agnoscere imbecillitatem rationis ad continendum homines in officio suo, nisi aliquo externo adjumento roborentur, scilicet, divina ac supernaturali revelatione. Pugnant ergo quasi aerem verberantes et sibi mentiuntur, cum plenis buccis vires rationis exaltant, dum solemne factum eos contradicit.

Insr. 1°. Homo rationem tenere debet tanquam supremam cognoscendi vim, cujus decreta in omnibus cognoscibilibus et operabilibus servare debet; ergo ratio humana sufficit ad dirigendos homines.

Resp. *dist. ant.* Posita plena ac perfecta officiorum cognitione, et motivorum ad illa efficaciter adimplenda, C. Sublata ejusmodi plena cognitione, N. et hoc est præcise de quo quæritur. Jam vero plusquam satis compertum est, perpetua comprobante experientia, humanam rationem, quævis illi supponatur vis et facultas, nec plenam ac perfectam officiorum habere cognitionem, nec motiva præbere ad illa efficaciter impellentia. Turpiter decipiuntur deistæ,

si tamen decipiuntur; cum humanæ rationis vires calculo subjiciunt in abstracto, id est, non attentis ineffabili cordis humani pravitate ejusque ad malum proclivitate, passionum illecebris, carnis et oculorum concupiscentia et superbia vitæ, quibus obcæcatur ratio et mens hebetatur, illos tanquam ex hoc mundo peregrinantes facile haberes. Nonne stulte quis pronunciaret navem, quæ vires quasi ad quadraginta habet, adverso flumine navigare posse, absque alieno adjumento, cum vires fluminis computentur ad centum? sic se gerunt nostrates deistæ.

Inst. 2°. Si ratio non est suprema vis in cognoscibilibus et operabilibus, ad supernaturalem quidem revelationem est recurrendum, cui sine ulla dubitatione, cæco quodam instinctu aut sensu parendum sit; atqui, hæc agendi ratio veram hominis naturam et dignitatem adimit, quod fieri non potest. Ergo, etc.

Resp. *Cui cæco quodam instinctu parendum sit, Dist.* Partibus factis quæ rationi competunt, C. inconsulta omnino, vel exclusa et spreta ratione, N. hoc vero non contendunt qui rationem revelationi subjiciunt. Etenim, ultro concedimus, imo contendimus rationis usu fidem præcedi; at vero, rectæ rationis munia in revelationis negotio in eo sita sunt, ut credibilitatis motiva perpendat, ad veras criticæ regulas adducat facta et rationes seu momenta quibus innititur revelatio, quod ratio ipsa dictat. Homo enim non potest revelationi firmum præbere assensum, quin de illius divinitate intime persuasus sit; persuasio autem necessario argumenta supponit, et argumentorum cognitionem; sed hac semel persuasione firmiter constituta, ratio se submittat necesse est in iis quæ ejus captum superant; in cæteris vero quæ supra se non sunt posita, multa habet indaganda, quæ per revelationem discit. Vides quanta rationi relinquatur provincia! Hæc igitur agendi ratio non est cæco quodam instinctu aut sensu parere revelationi, nec veram hominis naturam et dignitatem evertere, sed ratio-

nem firmare, et impedire quominus vera hominis natura et dignitas rursum concidant, prout necessario eveniret, nisi hoc fulciatur adjumento [1].

CONCLUSIO IV.

Plurima sunt humanæ rationi impervia, quorum tamen notitia summopere hominis interest; ergo revelatio divina ac supernaturalis est necessaria.

Nota. Hactenus quæstio fuit de rebus per rationem cognoscibilibus, id est, quæ illius captum non superant, quas tamen, propter rerum adjuncta, nunquam homines aut nonnisi pauci, et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum investigare potuissent absque externo præsidio; ex quo consequitur revelationis divinæ ac supernaturalis necessitas. Nunc autem statuimus homini absolute necessariam esse revelationem, ut plurima cognoscat, quorum notitia summopere illius interest; quia quamvis ea ratio clare percipiat, si patefiant, nunquam tamen, etiam mutatis prædictis rerum adjunctis, per se investigare potuisset.

Prob. 1°. Hominis magnopere interest cognoscere quænam fuerit tot miseriarum quibus conflictatur causa et origo; caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem. Vidimus meliora, probamusque, deteriora sequimur... Atqui tot miseriarum quænam fuerit causa; quomodo possunt in eodem homine conciliari dotes adeo discordes, ænigma est rationi prorsus inextricabile.

2° Demonstrare quidem potest ratio naturalis, Deo externum quemdam cultum deberi; at cultus, quem sibi Deus vult exhiberi, speciem et naturam definire, citra revelationem non potest; id enim a libera Dei voluntate pendet, quam nisi ipse manifestet, investigare non possumus [2].

[1] Qui plura desiderant, conf. R. P. Perronne.

[2] Hic semper fuit intimus hominum sensus. Vid. Plato, *in Epinomide*,

3° Nihil homini magis est necessarium, quam tutas cognoscere vias, quibus in gratiam cum Deo redire, et peccatorum veniam obtinere possit : atqui ad impetrandum illud beneficium quid agere oporteat, sola revelatione nobis innotescere potest. Dubitare enim non permittit ratio, quin legum Dei transgressores simus in multis, divinæque vindictæ obnoxii : at exploratum non habet utrum sola criminum pœnitentia seu displicentia sufficiat ad obtinendum a Deo peccatorum veniam. Ipse enim solus certum nobis aperire valet modum cum eo nos reconciliandi; id quippe a libero ipsius decreto pendet, quod sine revelatione pernoscere nequit humana ratio. Ergo etc.

Corollaria.

Ex hactenus dictis colligitur: 1° quando religio aliqua ut divinitus revelata proponitur, hominem non licet esse indifferentem. 1° Quia ex dictis patet revelationem esse absolute necessariam hominibus, ut se ab innumeris erroribus et ignorantia quibus implicati erant, expedirent, et quidem in rebus maximi momenti. Cum ergo hominis ante omnia intersit, in rebus ad ejus felicitatem quam maxime pertinentibus non falli, profecto indifferens manere non potest, cum revelatio aliqua ut divina ipsi proponitur. 2° Quia si Deus aliquam religionem revelavit, necessario ab hominibus exigit obsequium. 3° Quia indifferentia religionum supponit absurdum : supponit enim omnes religiones esse æqualiter veras, cum invicem opponantur tum in credendis, tum in agendis. 4° Quia indifferentismus pestis est societatis, siquidem omni divinitate religionem exspoliando, frena quibus homines continentur penitus disrumpit, et *jam ruet prosiliet frenis natura remotis* [1].

2° Optima veræ revelationis indagandæ via est examen

et dialog. cui titulus : *Secundus Alcibiades*. Socrates, Minos, Lycurgus, Numa ex Legislatoribus.

[1] Horat., lib. 2, sat. 7

auctoritatis, non vero philosophica rerum et veritatum, quæ revelatæ dicuntur, disquisitio. 1° Quia revelatio ex parte Dei est actus liber, qui rationibus metaphysicis probari non potest. 2° Quia revelatio est factum; factum autem argumenta externa tantum admittit. 3° Quia Deus potest revelare mysteria, ut probatum est; atqui ineptum esset veritates rationi impervias ad rationis tribunal adducere. 4° Quia cum religio sit res maximi momenti et bonum aliquod omnibus hominibus commune, necesse est ut ad eam perveniri possit via tuta et facili; jam vero *veritas de Deo per rationem investigata*, inquit S. Thomas [1], *a paucis hominibus et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum proveniret.*

3° Sed eæ sunt rationis partes ad amplectandum religionem revelatam, ut motiva credibilatis expendat, id est, ut argumenta externa, facta scilicet, testimonia, miracula, quibus nititur revelatio excutiat, examen circa auctoritatem cui credendum est, instituat. 1° Quia homo non potest, ut supra diximus, revelationi firmum præbere assensum, nisi de illius divinitate intime persuasus sit. 2° Quia, cum multæ religiones revelatæ dicantur, cumque non omnes possint simul esse veræ et divinæ, necesse est veram a falsis discernere; hoc autem sine examine fieri nequit. 3° Quia Deus infinite justus et sapiens non potest ab homine exigere ut revelationi se subjiciat, quam divinam esse scire non potest, sed ut illud sciat examen credibilitatis motivorum adhibeat necesse est, quod capite sequenti exequemur.

CAPUT III.

DE NOTIS DIVINÆ AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS.

Nota. 1° Si homines alloqui dignetur Deus, dubium non est, quin voci suæ certas divinitatis notas imprimat. Illæ

[1] 1, q. 1, a. 1.

notæ duplicis sunt generis, aliæ scilicet *negativæ*, aliæ *positivæ*. Notæ revelationis *positivæ* eæ sunt, quibus præsentibus, concluditur revelationis veritas ac divinitas; notæ *negativæ* eæ dicuntur, quibus absentibus, revelationis concluditur falsitas.

2° Imprimis apud omnes certum esse debet, et in confesso, revelatam doctrinam cum ratione pugnare non posse; nam etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissentio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ab uno eodemque immutabili fonte, Deo optimo maximo, oriantur, atque sibi mutuo opem ferant.

3° Nulla posterior revelatio priori opposita esse potest, quia verum cum vero pugnare nequit.

4° Suspicio gravis est, non esse vere doctrinam aliquam a Deo revelatam, qua non promoveatur Dei gloria et vera hominis felicitas, quæ non insigni quadam præsentia se commendet; nec illum esse vere prophetam, qui non affert hominibus a Deo valde utile aut necessarium.

5° Vix credibilis erit illa revelatio, quæ ad homines defertur per præcones nullatenus pietate et virtute conspicuos (potest tamen Deus in singulari quadam circumstantia impium quoque cogere ad veritatis declarationem). Illæ notæ prædictæ ac similes sunt *negativæ* tantum, sive conditiones sine quibus nulla est vera revelatio.

6° Ast notarum potissimæ et *positivæ*, sunt miracula et prophetiæ, quæ si vere existant in confirmationem alicujus doctrinæ, vel ad comprobandam alicujus missionem a Deo acceptam, illam ut divinam haberi necesse est.

7° Jam vero Deistæ ac Rationalistæ, qui nullam supernaturalem revelationem agnoscunt, omne respuunt opus divinum supernaturale ad eam confirmandam. In eorum systemate, religio supernaturalis nihil aliud est quam religio naturalis, ut vocant, sub forma *positiva*, Dei nomine proposita, cui nonnulla addita fuerunt instituta arbitraria, et quædam naturalia facta quæ stylo et ingenio

poetico sub portentosis formis narrantur, et *mythos* appellant, ut illa plebeiorum admirationi vel etiam instructioni cedant. Hinc e medio miracula ac prophetias tollunt, sacras narrationes *mythologicas* vocant, et miracula omnia juxta leges naturales explicant: contra quos duobus articulis agemus, 1° de miraculis, 2° de prophetiis.

ARTICULUS I.

DE MIRACULIS.

Nota. Ex adversariis miraculorum, alii cum Spinosa [1] eorum possibilitatem negarunt; alii, concessa possibilitate, ipsa non agnoscunt ut notam certam et ineluctabilem divinæ revelationis, tum quia tuto ea discernere non valemus ab effectibus naturalibus vel ab operatione dæmonum; tum quia assensum eis præstare non possumus propter defectum historiæ certitudinis; contra quos, in quinque paragraphis agemus: 1° de natura et definitione; 2° de possibilitate; 3° de causis et auctoribus; 4° de vi probante miraculorum. [2]

§ I.

De miraculi natura et definitione.

Miraculum a *Mirando* dicitur, quia mirari homines solent effectus extraordinarios, quorum causa eos latet, quamvis ita omnino naturalis; omne tamen *mirum* vel *mirabile* non est miraculum. Varii varias miraculi protulerunt definitiones. Paucis verbis præcipuas referemus, et quænam anteponenda sit aperiemus.

1° Non satis accurate Lockius miraculum definit: *Operatio sensibilis, quæ excedens captum spectatoris et cursui naturæ contraria credita, ab eo divina prædicatur.* 1° Quia

[1] *Tract. Theologico politico.* Voltaire, Hume, Bolingbroke, inter quos adscriptus est ex Hæbræis auctor recens J. Salvador, *Histoire des institutions de Moïse et des Hébreux.* — [2] Quoad characteres, vide *De Regulis fidei*

miraculum tale est in se et ante omne spectatoris judicium, nec ex varia hominum opinione et cogitatione pendet. 2° Quia sequeretur sua cuique esse miracula. 3° Quia circulatorum fallaciæ totidem essent vera miracula, modo a spectatoribus crederentur contra solitum naturæ cursum fieri, quod est absurdum.

2° Haud felicius Clarckius miraculum definit : *Opus entis homini superioris, scilicet angeli, sive boni, sive mali.* 1° Quia, ipso fatente, nos latet quæ sit angelorum potestas; ergo gratis asseritur ipsis competere vis miracula patrandi. 2° Quia unum ex duobus sequeretur, aut vera miracula edi ad æqualiter probandum bonum et malum, quod Deo dignum esse nequit, aut non ex miraculis doctrinam, sed doctrina miracula esse probanda, quod falsum esse dicemus ubi de vi miraculorum probante.

3° Cl. Abbas de Houteville [1] miraculum definit : *Effectus rarus et stupendus ex legum generalium concentu, et harmonia dimanans.* Unde nedum miracula sint infractiones legum naturalium quibus corpora reguntur, sunt e contrario earumdem consectaria, ac non minus necessaria quam effectus quotidiani, quos minime miramur. Hanc elegit definitionem ut contra incredulos miraculorum probaret possibilitatem. Ejus ratio hæc est : Deus, inquit, utpote summe sapiens, viam simpliciorem sequi tenetur; atqui nihil hac via simplicius, siquidem in hoc systemate opus non fuit duobus actibus instituere, primum leges naturales, deinde earumdem derogationem; sed miracula, sicut alii effectus naturales sunt ordinata in serie causarum et eventuum illius ordinis quem Deus creator elegit. Hinc series causarum, v. g. quæ a mortuis Lazarum excitarunt, jam ab initio dispositæ fuerunt, eo ordine, ut illæ causæ non operarentur nisi adveniente Christo ad sepulchrum, et cla-

[1] La religion démontrée par les faits. — Item Bonnet Carolus, *Palingénésie philosophique*, c. 5 et 6.

mante : *Lazare, veni foras.* At hæc sententia suis non caret difficultatibus. 1° Quia gratis asseritur Deum teneri ad viam simpliciorem ; aliunde quid divinæ potestati sit simplicius nemo dicere valet. 2° Quia rem, ut videtur, plane impossibilem credendam nobis proponit, nempe perfectam cursus rerum mechanici attemperationem voluntatibus liberis et meritis creaturarum spiritualium [1]. 3° Quia falsa essent hæc Evangelii verba (ut christiani cum christiano loquamur) : *Data est* (Apostolis) *potestas... ut curarent omnem languorem et infirmitatem.*

4° Rectius cum D. Thoma definiri potest miraculum : *Id quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ* [2], vel, ut alibi se explicat : *Illa simpliciter miracula dicenda sunt, quæ divinitus fiunt præter ordinem communiter servatum in rebus* [3] ; vel, si placuerit, sic definiri licet : *Est opus rarum, quod, vel ratione substantiæ, vel ratione modi, fit præter ordinem et vires totius naturæ creatæ, corporeæ scilicet et spiritualis.*

Unde 1° patet verum miraculum opus esse solius Dei et confundi non posse cum mirabilibus, quæ fieri queunt vel a natura, vel ab angelis sive bonis, sive malis. Vulgo tamen Theologi, late sumentes verbum *miraculum*, quædam mirabilia in certa miraculorum specie annumerant. Ideo miracula dividunt in miracula *primi ordinis*, seu proprie dicta, et in miracula *secundi ordinis*, sive improprie dicta.

Unde 2° si miraculum spectetur ratione *principii*, seu causæ, videtur esse respectu ad nos suspensio, vel derogatio, vel violatio legum quibus creaturæ reguntur, fieretque

[1] Potestne, v. g., pestilens vapor hunc corripere ut dignum morte, alium præterire precantem, et sic in eodem cursu suo cum quadam arbitrii specie dividere vitam et mortem, pro meritis rationem habere sacrificantis et non sacrificantis ? (Conf. Hooke, *de Vera Relig.*, § 3 *de Providentia*, art. 3, q. 3.)

[2] 1 p., q. 110, a. 4, O. — [3] *Contra Gentes*, lib. 3, c. 101.

supra, vel *præter*, vel *contra* ipsarum naturam. At nulla habetur derogatio proprie dicta, vel exceptio : sed simplicissimus est divinæ voluntatis actus talem individuum in datis adjunctis peculiari modo regentis [1]. Si miraculum spectetur ratione *termini*, seu quoad effectum physicum et sensibilem, est vel *transformatio*, vel *alteratio*, vel mera *translatio*.

Habetur *transformatio*, cum introducitur nova organisatio, qua constituitur corpus intrinsece diversum ab eo quod erat antea, v. g. cum aqua a Christo in vinum convertitur. *Alteratio* vero ea est mutatio quæ intimam corporis structuram non attingit, sed aliquam tantum e qualitatibus sensibilibus, v. g. colorem, formam, etc. *Translatio* autem nihil est præter mutationem situs et loci.

Jam vero translationes, alterationes et transformationes patrantur vel applicando activa passivis proportionata, vel nulla aut improportionata. Si prius, id est, si proportionata, nullum est miraculum, aut est tantum improprie dictum. Si posterius, ad miracula primi ordinis revocari debent.

Unde 3° ad verum miraculum requiritur tantum, ut superet vim et efficaciam cujuscumque agentis naturalis. Sed ut miraculum pro aliqua doctrina vim habeat probativam requiritur insuper : 1° ut sit effectus sensibilis; 2° ut fiat in testimonium hujus doctrinæ.

§ II.

De miraculorum possibilitate.

CONCLUSIO.

Possibilia sunt miracula.

Prob. Sane illud est possibile, quod nullam involvit re-

[1] Vide infra annotat. ex R. P. Perrone, pag. 72.

pugnantiam; atqui miraculum nullam... etc. Si quæ enim esset, vel staret ex parte causæ efficientis, scilicet Dei, vel ex parte hominis; atqui neutrum dici potest.

1° Quidem non ex parte materiæ, sive creaturæ. Idonea quippe est creatura recipiendæ actioni divinæ et speciali ex qua nascuntur miracula. Creatura quidem ita subjicitur creatori, ut sicut primam, ita quamvis aliam potest recipere modificationem, ut patet.

2° Neque ex parte causæ efficientis, sive Dei. Deus enim qui libere condidit mundum, potest suum ad arbitrium legibus a se constitutis derogare, illas suspendere, intercumpere, mutare. Ast ubi legum naturalium intervenit derogatio, ibi habetur miraculum.

3° Neque ex parte hominis cujus gratia fiunt miracula. Licet enim miraculum excedat cognitionem nostram quoad modum quo existit, non tamen excedit quoad existentiam sui, siquidem apprime percipitur, ab operibus naturalibus dignoscitur, et in alterius cognitionem, scilicet Dei, per virtutem divinam nos ducit. Ergo, etc.

Id confirmatur ex populorum consensu. Nullus est enim populus qui suæ religioni ut fidem et auctoritatem conciliet, in ejus gratiam facta fuisse miracula non contendat merito vel immerito; atqui prius est miracula credere possibilia, quam ea sibi vindicare. Ergo, etc.

Object.

Obj. 1° Non possunt fieri miracula, quin Deus mutetur; leges enim naturæ sunt ipsa Dei decreta; atqui decreta divina mutari non possunt, quin Deus mutetur. Ergo, etc.

Resp. *Neg. maj.* Leges enim naturæ divinis quidem decretis conditæ sunt, et stabilitæ, sed ab his distinguntur, sicut effectus a sua causa. *Vel Dist.* sunt ipsa Dei decreta quæ habent pro objecto tam leges, quam earum exceptiones in suo tempore faciendas, C. Secus N. Materiæ leges arbitrariæ sunt, in mero Dei placito, non in materia vel aliarum

rerum essentia positæ. Hinc sequitur eas esse immutabiles, juxta nostrum concipiendi modum, non respectu legislatoris. Deus enim [1] sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Dum igitur *opera mutat, non mutat consilium* [2]; igitur leges sunt æternæ eo tantum sensu, quod ab æterno Deus eas liberrime decrevit; quo sensu etiam æternæ sunt earum legum interruptiones, quas certis circumstantiis Deus existere voluit [3].

Obj. 2° Miraculum in Deo levitatem aut ignorantiam arguit. Vel enim causam futuræ derogationis noverat, vel non; si primum, inconstantiæ arguendus, si secundum, ignorantiæ. Ergo.

Resp. *Neg. ant.* Deus enim opera mutat, non mutato consilio, cum eam mutationem vel derogationem ab æterno perspexerit ac voluerit. Quis enim principem inscitiæ vel levitatis accusaverit, si quo tempore legem aliquam statuit, decernat simul se velle eam in his vel illis circumstantiis non obligare? Ergo, etc. [4].

[1] S. Thom., p. 1, q. 105, art. 6, ad. 3, item quæst. disputatis 4, *de Miraculis*, q. 6, art. 6, et lib. 3 contrà Gentes, cap. 99, n° 7.

[2] S. Aug., *Conf.*, lib. 1, c. 2.

[3] Hinc apposite R. P. Perronne : Etenim Deus, si proprie loqui volumus, non regit *genera* vel *species* quæ non sunt nisi *ideæ* abstractæ, sed regit *individua* quæ sola realia sunt, neque regit legibus universalibus, quæ pariter non sunt nisi in conceptu nostro, exinde ortæ quod nos conspiciamus Deum *modo uniformi* individua talis classis regere, sed regit voluntate peculiari individua singula, quo fit ut dum decernit talem planetam, v. g. sisti, non deroget alicui legi, sed decernit ejusmodi planetam moveri circa solem ad tantum tempus, postea sisti, ac rursum postea moveri prout libet. Nulla igitur habetur derogatio proprie dicta vel exceptio, sed simplicissimus divinæ voluntatis actus, quo fit ut tale naturæ individuum in datis adjunctis hac potius vel alia ratione se habeat. (Tract. *de Vera Relig.*, c. 5, prop. 1.)

[4] Hinc merito J.-J. Rousseau : Dieu peut-il faire des miracles, c'est-à-dire, peut-il déroger aux lois qu'il a établies? Cette question, sérieusement traitée, serait impie, si elle n'était absurde : ce serait faire trop d'honneur

§ III.

De causis et auctoribus miraculorum

Nota. Causa efficiens ea dicitur quæ alquem operatur effectum. Duplex distinguitur, alia *principalis*, quæ propria virtute et auctoritate effectum procurat; alia *instrumentalis*, quæ alieno nomine, alienaque virtute operatur. Rursum, causa alia est *sui juris* et libera, quæ in agendo proprios motus sequitur; alia *ministerialis*, quæ alieno obsequitur imperio. Tandem distinguendum est inter virtutem naturalem *in potentia*, ut dicitur, quæ est nativa conditionis appendix, et virtutem *expeditam*, seu licentiam suas vires exercendi. Fieri enim potest potestatem naturalem, propter varias causas, ultra naturalia amplificatam fuisse, vel citra eadem fuisse restrictam. His notatis, sit :

CONCLUSIO I.

Deus solus est causa efficiens et principalis miraculorum, saltem proprie dictorum.

Prob. Ex ipsa miraculi definitione; insolitum est enim opus totius naturæ vim superans, naturæ legum suspensio ac derogatio : atqui ejusmodi operis solus Deus potest esse causa efficiens principalis, solius enim illius est naturæ leges suspendere, qui illas condidit. Ergo, etc.

Huic suffragantur Scripturæ variis in locis, v. 9, Psal. 17: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus*, et Psal. 76 : *Quis Deus Magnus sicut Deus noster? Tu es qui facis mirabilia*, et Psal. 135 : *Qui fecit mirabilia magna solus.*

CONCLUSIO II.

Homines, etiam mali, possunt esse causa instrumentalis miraculi, etiam proprie dicti.

Prob. Illi miraculi causa instrumentalis esse possunt,

à celui qui la résoudrait négativement que de le punir, il suffirait de l'enfermer.

quibus Deus uti potest ad illud operandum; atqui Deus ad patrandum miraculum uti potest hominibus, etiam malis. Siquidem miraculi, sicut prophetiæ donum, utpote in aliorum utilitatem concessum, sanctitatem non exigit, nulla quippe est sanctitas sine caritate; jam vero tum miraculi, tum prophetiæ donum, in iis etiam reperiri contingit qui caritate sunt destituti; quod aperte docet Christus [1] his verbis: *Multi mihi dicent: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus? et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos: discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Hinc etiam affirmat Apostolus [2] se absque caritate nihil fore, etiamsi loqueretur linguis hominum et angelorum, et prophetiam habuerit, tantamque fidem ut montes transferret. Ergo etc.

Certum est tamen homini, sive bono sive malo, nullam esse virtutem nisi impetratoriam et instrumentalem ad miracula, etiam improprie dicta.

Quæritur utrum etiam angeli, sive boni sive mali, virtute sua naturali possint miracula improprie dicta operari?

Resp. Plures sunt sententiæ: *Prima*, quæ est Jacobi Serres, presbyteri angli, miraculorum potestatem omnem Deo reservat, eamque angelis sive bonis sive malis penitus abjudicat. *Secunda*, quæ est Samuelis Clarcki, quem secutus est Paschalius, et multi post eum Theologi, contendit dæmones, virtute naturali, cujusvis generis prodigia patrare posse, aut saltem ita simulare, ut forsan a veris miraculis distinguere nequeant homines, nisi mediante una ex quatuor his conditionibus, ut scilicet: 1° Vel in se vel in circumstantiis, nihil Deo manifeste indignum præ se ferant. 2° Ut non afferantur in confirmationem doctrinæ manifestissime absurdæ. 3° Ut antea illos Deus non monuerit miraculis illis credendum non esse. 4° Ut ab aliis miraculis, vel æque vel magis splendidis, non impugnentur.

[1] Matth. 7, 22, 23. — [2] 1 ad Cor., c. 13.

Tertia sententia affirmat dæmones, quæcumque naturalis vis illis sit, nullam habere licentiam; ac ubi se nostris rebus immiscent, divinorum judiciorum esse ministros, non suo arbitrio unquam relinqui, neque unquam per eorum ministerium, in confirmationem falsi, quæcumque mirabilia patrari, nisi, aiunt quidam ejus defensores, fiant in contrarium miracula majora. *Quarta* tandem *sententia* communior dicit angelos, sive bonos sive malos, virtute sua naturali in materiam agere posse, atque ideo miracula tantum improprie dicta operari, etiam, ita permittente Deo, in confirmationem erroris. Hujus sententiæ patroni dæmonum potestatem intra debitos limites coercent, 1° Ratione *objecti*, ut nempe, nec simul nec successive, omnia corpora movere vel transformare possint. 2° Ratione *circumstantiarum*, quia non conceditur forsan ut singulis instantibus, singulis in locis, erga singulos, quidquam agere possint. 3° Ratione *resistentiæ* bonorum angelorum a quibus oppugnantur sæpius, et vincuntur. 4° Ratione *prohibitionis* divinæ, quia nihil omnino facere possunt, nisi quod Deus permiserit.

Has quatuor sententias circa causam efficientem miraculorum exposuisse satis est, nec enim eorum momenta nobis expendere in animo est, cum ex illarum diversitate nihil detrahatur efficaciæ miraculorum ad probandam veritatem revelationis supernaturalis, ut patebit ex paragrapho sequenti.

§ IV.

De vi probante miraculorum.

CONCLUSIO.

Miracula certissimam notam exhibent ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem.

Prob. 1° Miraculum, ex dictis definitionibus, non potest esse nisi a Deo tanquam causa efficiente ac principali:

Atqui Deus non potest, neque per se neque per dæmonis vel alterius ministerium, in gratiam erroris patrare miracula; ergo si Deus miracula efficiat in favorem revelationis, quæ ejus nomine proponitur, miracula necessario certissimum perhibent veritatis testimonium.

Prob. min. 1° Deus enim veritas est; ergo nunquam potest vel adstipulari errori et falsitati, vel suæ auctoritatis sigillum apponere, nec creaturæ ministerio uti ad confirmandum errorem, quin error ille in eum tanquam causam principalem refundatur. 2° Deus bonus est; ergo nec velle potest homines decipere, nec decipi : atqui deciperet eos, et in errorem ineluctabilem induceret, si, aut per se aut per alium, miraculum faceret, aut fieri pateretur in gratiam erroris : nam miraculum editum in confirmationem alicujus doctrinæ, habetur velut Dei voluntatis testimonium, tanquam Dei sigillum. Deus siquidem omnipotens nullo testimonio quidquam apud homines confirmare potest quod efficacius sit attestatione miraculorum. Ita enim a natura, vel potius a Deo comparati et propensi sunt homines, ut altius infixum animo habeant, Deum per miracula loqui, eaque certissima esse veritatis argumenta [1]. Cum ergo Deus nec possit nec velit nos decipere, nec decipi permittere, sequitur eum neque per se neque per alium posse miracula efficere in gratiam erroris; ergo miracula certissimam notam exhibent, etc.

Sed quia plura et diversa objiciuntur contra conclusio-

(1) Hinc Bellarminus *de Sacramentis in genere*, lib. 1, c. 14 : « Eade.. est vis sigilli et miraculi. Semper etenim sigillum regium notius est et firmius quam litteræ regis. Sigillum enim omnes norunt discernere, litteras non omnes discernunt, et sigillum sine litteris auctoritatem habet, litteræ sine sigillo non habent. Sic etiam miraculum notius est et efficacius quam prædicatio : omnes enim qui vident cœcum illuminari, intelligunt illud esse opus supernaturale et divinum et proinde moventur ad credendum id quod tali testimonio confirmatur : non autem omnes qui audiunt prædicata continuo intelligunt ille esse verba Dei. »

nem quæ cardo divinæ revelationis est certitudinis, et ex quintuplici fonte deducuntur, ideo claritatis causa distincte ac divisim ea exponemus.

Object. — *Ex ratione.*

Obj. 1° Ea facta vim argumenti non habent, de quorum authenticitate nunquam constare potest : atqui nunquam constare potest de authenticitate miraculorum. Ergo, etc.

Prob. min. Cum nemo perfecte cognoscit naturæ vires, miracula discerni non possunt a factis naturalibus. Ergo, etc.

Resp. *neg. min.* Ad probationem, *dist.* nemo perfecte cognoscit *positive* et quidem omnes naturæ vires, C. nemo cognoscit *negative* et saltem quoad illas ex quibus judicari debet de miraculo, N. non omnes quidem innotescunt nobis naturæ vires, sed neque omnes ignoramus. Jam vero aliquas cognoscere, satis est ut merito affirmemus miracula esse facta quæ iis legibus adversantur. Cum enim sibi constet naturæ systema, fieri nequit ut phænomenon, quod legi alicui repugnat, effectus sit legis alterius incognitæ; ergo, quamvis non omnes cognoscamus leges naturæ, jure merito pronunciamus de miraculo. Nonne ridiculum esset pronunciare cogitandi facultatem materiæ temere denegari, donec omnes et singulas ejus facultates noverimus; vel cadaver jam quatriduanum et fetidum non posse ad vitam et omnia hominis officia resurgere, donec perspectas habuerimus leges quibus anima cum corpore jungitur ? Peccatum autem adversariorum insanabile, est ad abstractiones semper confugere ratiocinando, dum in agendo agunt sicut cæteri. Certe, quamvis ignoremus quousque se attollat nobilissima medicinæ ars, certe tamen scimus infirmos non sanari, ossa confracta non consolidari, oculos effossos in suo loco non reponi, mortuos quatriduanos sepulchro non surgere solius voluntatis nutu, vel nuda voce medici; nam *herbis non verbis, salus datur ægrotis,* ut fert

adagium. Quæ tamen si contingant, deistæ sicut alii, relictis suis abstractionibus, et contortis argumentis, miraculum proclamant. Sunt ergo similes eorum qui, deambulantes, motus existentiam inficiebant.

Inst. 1° Omni ætate semper extiterunt qui credulum vulgus falsis prodigiis deciperent; ergo constare non potest de miraculorum authenticitate.

Resp. *Neg. Cons.* Nam illæ generales fraudis et fanatismi suspiciones non magis homini sensato suadebunt nulla existere vera miracula, quam nulla facta historica vera esse, quia quædam falsa sunt. Imo, non sunt homines qui credulum vulgus præstigiis decipere attentant, nisi ex antiqua et certa de vi probandi miraculorum opinione; quia *in omnibus*, ait, Tertullianus, *veritas imaginem antecedit, post rem similitudo sequitur*. Valent autem falsa prodigia ne statim omnia quæ circumferuntur miracula, avide et sine debito examine instituto, combibamus, non vero ad infirmandum vim miraculorum.

Inst. 2° Rudes homines quibus constat fere tota humana societas sunt impares ad judicandum quid natura valeat, ejusque legibus adversetur, quia ejusmodi examen instituendum eorum captum excidit; ergo, dato vera sint miracula, discerni tamen non possunt, ideoque nullam vim obtinent ad probandum.

Resp. *Dist. ant.* In nonnullis difficilioribus casibus, *tr.*, in recensitis, N. Rudes præterea, si eventus aliquantisper sit implicatus, ad doctores et sapientes recurrere debent, nec Deus tenetur altam scientiam docere omnes, aut specialibus studiis omnes submittere, sed jubet dicens : *Interroga majores et dicent tibi* [1]. Præterea Deus ad testificandum de veritate suæ revelationis utitur iis portentis in quibus nemo decipi potest, id enim ad suam providentiam ac bonitatem spectat, quod nimis facile obliviscentur deistæ.

[1] Deut. 32, v. 7.

Inst. 3° Miraculi existentiam testari est affirmare Deum naturæ leges interrumpere voluisse; atqui decretorum divinorum quis se conscium asserere præsumpserit? Igitur miraculi existentiam testari nequimus. Ergo, etc.

Resp. *Neg. min.* Profecto nulla temeritas est asserere Deum legibus physicis derogare voluisse, cum ejus decreta sensibilibus et apertis omnium oculis revelantur. Ergo, etc.

Object. — *Ex dæmonum efficacia.*

Obj. Dæmones possunt mira quammulta patrare, quæ vel miracula sunt, saltem impropriè dicta, vel eis æquivalent quoad effectum, in confirmationem erroris, videlicet cultus idolatrici; ergo vera miracula, si dantur, nullam habent vim, cum a falsis secerni non possint.

Resp. 1° Cum existentia angelorum nobis nota non sit nisi per revelationem, adversarios licet in hunc nodum perstringere : Revelationem agnoscitis, aut inficiamini. Si prius, admittendum necessario quod revelatio docet, nimirum, non obstante dæmonum potentia, miracula vim probationis servare, ac certissimam notam exhibere ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem. Si posterius, objectio petita ex principio quod falsum reputat objectator, penitus radicitusque in se nulla est. Quod si procedunt per argumentum *ad hominem*,

Resp. 2° *dist. ant.* Dæmones mira quammulta patrantur, quæ miracula sunt, aut eis æquivalent, per se, et seorsim sumpta, *tr.* reipsa faciunt, et nulla suppeditat via ad secernendum opera dæmonis a Dei miraculis, ita ut necessario in errorem ducantur homines, N. *ant.* Licet enim habeant probabiliter potentiam naturalem, imo quandoque licentiam mira patrandi, etiam in confirmationem erroris, intra tamen debitos limites coercitam et obligatam omnes agnoscunt, ac media ad illa diabolica præstigia secernendum ut certa supponunt ex Dei providentia ac bonitate

et veracitate, ut dictum est; ergo vim miraculorum non inficiantur [1].

INST. 1° Hæc dæmonum præstigia pariunt incertudinem de veris miraculis, siquidem semper incertum erit, deficiente criterio, num ea quæ miracula credimus quatenus excedunt vires naturæ nobis cognitas, divinæ an diabolicæ operationi tribuenda sint; ergo vim penitus destruunt miraculorum.

RESP. *Neg. ant.* Nam omnes defensores cujuscumque sententiæ apponunt conditiones, per quas certitudo miraculorum sarta tecta manet, ut patet ex superius dictis, hanc præsertim, quod si illa patrantur ad confirmationem doctrinæ promoventis temporale et spirituale hominis bonum Deique gloriam, a dæmone non veniant infensissimo hominum hoste. Attendendum est etiam, inquiunt, ad qualitates *morales* ejus qui miracula patratur, quia docet Christus a fructibus eorum esse discernendos; ergo vis miraculorum non perimitur.

INST. 2° Ad hoc instituendum esset examen de bonitate doctrinæ, priusquam feratur de auctore miraculi judicium; hoc autem esset probare miraculum per doctrinam, non vero doctrinam per miraculum, quod penitus inficiatur vim miraculi. Ergo, etc.

[1] De mensis circulatoriis, quæ nunc maxime aguntur, jam agebatur apud gymnosophistas paganorum. Illas Apollonius Thyaneus vidisse Philostrato testatur. Cæterum, vel ipsi pagani nihil in iis nisi naturalia, licet diabolica, agnoscebant; unde per argumentum ad hominem sic paganos perstringebat Tertullianus in suo apologetico : *Porro si magi phantasmata agunt... si multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt, si et somnia immittunt habentes semel invitatorum angelorum et dæmonum assistentem sibi potestatem, per quos et capræ, et Mensæ divinare consueverunt..., si eadem et angeli et dæmones operantur quæ et dii vestri : ubi est ergo præcellentia divinitatis, quam utique superiorem omni potestate credendum est?* Ut concludat, ergo dæmones sunt dii, vel dii vestri non sunt nisi dæmones; atqui christianis cedunt dæmones, ergo et dii vestri.

Resp. *dist. maj.* Esset instituendum examen de bonitate doctrinæ *generale*, quatenus ea non sit evidenter falsa et nihil Deo manifeste indignum, et homini nocivum præ se ferat, C. deberet institui examen doctrinæ *analyticum* et *particulare*, N. Quilibet porro rudis ac bardus homo ad tale examen idoneus est. Addimus iterum ex attributis divinis concludendum aut Deum non permittere ut diabolus opera divina imitetur, aut, si permittat sive ad bonorum probationem, sive ad ultionem malorum, in dictis rerum adjunctis viam præbere tutam ad secernendum suam a dæmonis operationem, vel celebriora miranda efficiendo, vel virtutes dæmonis impediendo, vel dæmonis ministros confundendo, ita ut veritas clareat, nec inevitabilis error evadat, prout evenisse legitur in Exod. (c. 7.) cum magi, Moysis miraculis victi, dixerunt ad Pharaonem : *digitus Dei est hic.*

Nota. Scriptura sacra potestatem hanc faciendi prodigia et miracula, saltem improprie dicta, *videtur* dæmoni tribuere pluribus in locis [1] : in aliis autem textibus ipsamet eadem scriptura multa submministrat monita adversus pseudoprophetas [2]. Diximus *videtur*, quia etiam non pauci negarunt in citatis locis agi de veris miraculis nec in se, nec quoad nos, eo quod S. Paulus illa vocet *signa mendacia*, seu mendacii, ut fert textus græcus, simulque proferunt loca scripturæ in quibus omnis denegatur diis gentium potestas ad bonum, vel ad malum faciendum. Illa igitur dæmonis opera nihil aliud esse dicunt, quam præstigiatorum, astrologorum, divinorum et sacerdotum paganorum mendacia, vel incertas et æquivocas prædictiones, vel facta naturalia solertiam hominis non excedentia.

[1] *Genes.*, c. 3, ubi dæmon serpentis organo usus est ad protoparentes decipiendos. *Exod.*, c. 7. Ubi per Magios prima Moysis miracula imitatus est. *Apoc.*, c. 13. Ubi ignem faciet de cœlo descendere in terram, et alia permulta quæ singulatim longum esset exponere.

[2] *In Deut*, c. 13, 1. *Jerem.*, c. 23, 32. *Matth.*, c. 24, 24. 2ª *ad Thessal.*, c. 2. *Apocal.*, c. 13 e aliis sexcentis in locis.

OBJECT. — *Ex historia.*

OBJ. Quod veritati et falsitati ex æquo patrocinatur non potest esse veritatis argumentum : atqui miracula, etc., nulla enim est religio, quæ in sui confirmationem non habeat miracula; sic v. g. Vespasianus cæcis visum restituit et alium manu affectum sanavit; Æsculapius mortuum ad vitam revocavit, et pluribus sanitatem donavit; Tucia vestalis aquam e Tiberi haustam cribro, neque profluentem transtulit in templum, et alia id genus plurima [1]; nec illa negabant antiqui christianæ religionis defensores ut Tertullianus, Lactantius, S. Aug. etc. [2] hæc autem vera sunt miracula. Ergo, vel omnem religionem veram esse dicendum est, vel miraculum nullius esse roboris ad astruendum alicujus religionis divinitatem.

RESP. 1° Inde patet quam turpiter secum pugnant deistæ; modo enim miracula tanquam impossibilia rejiciunt, modo volunt quamplurima pro idolorum cultu fuisse patrata.

RESP. 2° *Dist. min.* Si quæ patrocinantur falsitati sunt vera, C. secus, N. distincta minore, pariter distinguitur ejus probatio; nulla est religio quæ sua non habeat miracula vel vera vel ficta, C. vera, *subdistingo :* patrata in confirmationem alicujus virtutis, *trans.* Deus enim quatenus auctor virtutum moralium in ordine naturali, potest miraculum patrare ad istarum testificationem. At in confirmationem erroris, N. propter rationes superius allatas. Porro facta quæ ab adversariis objiciuntur carent fundamento historico. Igitur merito adducitur in dubium horum omnium, aut ut factorum, aut ut prodigiorum veritas; id est, si facta sunt, incertum an prodigia; si prodigia, non constat an facta sint. Primo quidem plerumque agitur de de phænomenis naturalibus, rarissimis quidem ac stupendis

[1] Ita passim graves auctores, v. g. Tacitus, Suetonius, Diodorus siculus, Valerius Maximus.

[2] Conf. R. P. Perronne, *de Vera Relig.*, c. 3, prop. 2, ad object. Lieberman de notis revel., § 5.

quæ imperitæ multitudinis, ob ignorantiam causæ, movent admirationem [1]: secundo vero, ne unus quidem ex citatis historicis fuit oculatus testis, sed ex incerto rumore ea referunt, quippe sæpius utuntur hac narrandi formula, *ferunt*, *memorant*, *fama est;* imo, monent se talibus portentis suam non commodare credulitatem, sed sui muneris esse ea scribere quæ fama publica vulgatur [2]; præterea, ea Tullius contemnit [3], Lucianus vero irridet [4] et sacerdotum fraudibus eadem plerique adscribunt [5]. Nihil igitur ex iis concludi potest. Ergo, etc.

OBJECT. — *Ex defectu certitudinis.*

OBJ. Quod caret certitudine non potest esse efficax revelationis olim factæ argumentum : atqui miraculum, etc.

Prob. min. Ad hoc enim mihi constare deberet de existentia miraculi; porro, cum miracula non viderim, aliorum testimonio fidem præstare teneor; atqui, mihi constare non potest utrum testes miraculorum non fuerint decepti nec deceptores. Ergo, etc.

RESP. 1° Ergo omnis historia et moralis certitudo est e medio tollenda. Hac enim argumentatione penitus incerta evaderent quæcumque historice facta narrantur.

RESP. 2° *N. min. et prob.* Etenim 1° constare potest testes miraculorum non fuisse deceptos, quia iisdem facultatibus

[1] Ægroti Babylone, et fortasse in pluribus aliis regionibus, primum in viis publicis exponebantur, ut transeuntes consulerent, et ab ipsis ea remedia acciperent quæ simili morbo affectos jam pridem ad valetudinem recuperandam conduxerant. Ægyptii in templa Serapidis et Græci in templa Æsculapii deferebant ægrotos, et media quibus sanati sunt, scripta in his fanis conservabantur : ex iis per experientiam cognitis medicamentis, progressu temporis ars medica in scientiam redacta est, primum in Ægypto, multo recentiori ævo in Græcia. Inde originem habuerunt mythologicæ illæ fictiones de sanationibus Æsculapii, Isidis, etc., R. P. Perronne, loco cit. in nota.

[2] Ita Titus Livius, Quintus Curt. Tacitus, Suetonius, etc.

[3] *De Divin.*, lib. 2, c. 28. — [4] In dial. Jupiter consectatus, etc.

[5] Valerius Max., lib. 1, c. 8, n. 6.

prædicti fuerunt, quibus nos sumus; jam vero, quis nostrum decipiatur circa facta quæ cadunt sub sensus nostros, palpantur et videntur, maxime si ea ad nos referuntur? Cum autem agitur de existentia miraculi, obtinetur certitudo ex relatione sensuum non minus ac si ageretur de facto mere naturali. Imo, tota quæstio est de facto mere naturali, siquidem miraculum, v. g. resurrectio mortui, tribus constituitur, duobus scilicet factis naturalibus, et conclusione ex iis evidenter deducta, id est de vita præterita, de morte subventa et de resurrectione vel vita præsenti. Quod autem magna testium oculatorum et idoneorum multitudo decipiatur circa factum naturale, palpabile, publicum et maximi momenti, majus esset miraculum quam ipsa mortuorum resurrectio; ergo, etc. Nec decipere potuerunt, nam, conspiratio ad decipiendum facta a numerosa gente, vel ex diversis populis sibi invicem ignotis, qui præjudiciis, studiis, cupiditatibus et commodis sunt diversi, tam legibus ordinis moralis adversatur, quam resurrectio mortui legibus ordinis physici. Ergo illa conspiratio impossibilis est, ac proinde testes nec volnerunt, nec potuerunt decipere; præterea non fuerunt decepti, ergo miracula non carent certitudine, et sunt efficax revelationis olim factæ testimonium.

Inst. 1°. Miraculum repugnat experientiæ ordinis physici, ideoque improbabile et incredibile, imo physice impossibile est: atqui res incredibilis et physice impossibilis nec credi nec ullo testimonio morali probari potest; ergo minus repugnat testium oculatorum error aut mendacium, quam legum generalium infractio, cum unum sine miraculo contingere potest, non alterum.

Resp. *dist. maj.* Miraculum repugnat experientia ordinis physici, si ab auctore hujus ordinis non derogetur, C. Secus, N. Repugnat quidem miraculum experientia ordinis physici, eo sensu quod nullum par sit in natura corporea medium ad miraculum producendum. Tunc enim simul

aliquid esset et non esset; exstaret cum cursu naturæ ordinario, cum nulla causa intervenerit ad illum suspendendum, et non exstaret ex hypothesi existentiæ miraculi. At ubi intervenit auctor legum, legi derogans, nulla apprehenditur repugnantia; quia, sicut potuit ejusmodi leges condere, sic valet eas suspendere, ac eis derogare. Ergo miraculum et credi et testimonio morali probari potest.

Inst. 2°. Ex hominum testimonio non consequitur nisi certitudo moralis; atqui certitudo moralis non excludit omne dubium de contrario; ergo testimonium hominum, quantumvis sit, non est efficax veritatis argumentum.

Resp. *Neg. min.* Nam leges morales non minus sunt certæ quam leges physicæ, ut probant philosophi, sic quidem per illas omnes hominum componuntur actus. Ergo moralis evidentia innititur principiis non minus evidentibus, in genere suo, ac ea quibus innititur mathematica demonstratio. Porro testimonium hominum, in prædictis rerum adjunctis, fundatur in his legibus moralibus; ergo parit evidentiam moralem, ac proinde efficax est veritatis argumentum.

Object. — *Ex intima hominis vi et efficacia*

Obj. 1°. Quis unquam naturæ vires perfecte noverit? Sed inter alias eminet vis imaginationis et phantasiæ, cujus prodigiosa, per experientiam quotidianam, constat esse phœnomena circa morbos, et illorum curationem. Ergo ratio dictat illi esse tribuenda miracula, quin ad ullam vim supernaturalem confugiamus. Ergo miracula non præbent notam certissimam, etc.

Resp. *dist. maj.* Non novimus vires humanæ naturæ ita perfecte ut probe noscamus quidquid possit, *Tr.* Non ita novimus ut nesciamus quid non possit, N. pariter distincta minore, *neg. cons.* quippe, ut certi simus aliquem non omnia cognoscere, necesse non est ut noscamus quid scit. Omnes quidem norunt ab experimento neminem posse vi imaginationis pluvias excitare, aliunde numquam siccitate

laborarent homines; neminem posse fulgura et tonitrua continere, fluctibus maris et ventis imperare, mortuos suscitare, vi sola imaginationis vivere, aliaque id genus patrare; ergo quantævis sint naturæ vires, aut imaginationis actio, ei talia et alia, si eveniant, tribui non possunt [1].

Inst. Miracula semper vivam supponunt fidem, vel in eo qui ea recipit, vel in eo qui ea operatur, et aliquando in utroque : Atqui fides illa seu fiducia nihil aliud est, quam effectus phantasiæ seu imaginationis. Ergo illi adstipulanda sunt miracula.

Resp. 1°. Miracula semper vivam supponunt fidem. *Dist. maj.* Tanquam conditionem, neque tamen in omnibus casibus, C. tanquam causam efficientem, et quidem semper, N. et 1° quidem, fides, quando requiritur, non est nisi tanquam conditio, ut sive recipiens miracula sive faciens indignos hujus beneficii non se præbeant, ac donum Dei agnoscant, sciantque miraculum non operari nisi a Deo, neque alium habere pro objecto nisi Deum, Christum aut sanctos ejus. Quod autem fides non sit causa efficiens, patet ex 2°. Non enim semper requiritur fides, siquidem mortui et sensibus destituti non possunt habere fidem, si de recipientibus sermo sit. Si vero de facientibus loquamur, in memoriam revocamus, homines etiam malos posse fieri causa instrumentalis miraculi, ut supra probavimus ex verbis Christi : *Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus.*

Resp. 2°. *Neg. min.* Fides enim toto cœlo distat ab imagi-

(1) Nota. Non officiunt ea quæ ex ***mesmerismo***, seu ***magnetismo animali*** objici possunt, tum quia plures doctiores ea ut nugas contemnunt, et Mesmer passim ut circulator traducitur; tum quia scriptores catholici, qui eum non ut merum prestigiatorum inventum, sed ut veram et insitam vim producendi quosdam effectus, quorum causa inter naturæ vires nos latet in tota sua extensione, agnoscunt, fatentur pariter eos non esse effectus supernaturales, quos in miraculis, vel mystica sanctorum vita cernimus. Vide Gœrres in præfatione novæ edit. (Barran, ***Exposition***, etc., tom. 2, 37° ***Entretien.***)

natione seu phantasia. Fides siquidem est virtus supernaturalis quæ phantasiam potius refrenat et dirigit, quam exaltat.

Libenter quidem fatemur nonnullas sanationes ortum habere ex imaginatione, in iis præsertim qui perturbata phantasia, vel amentia laborant; tunc enim plurimum confert persuasio recuperandæ valetudinis, ut apud omnes compertum est. Quare et hic casus in Congregatione Rituum præ oculis semper habetur, ubi agitur de miraculosa hujus generis morborum sanatione. At, quæso, num omnia miracula sunt sanationes? Deinde, insanientis est velle omnes sanationes per vim imaginationis evenire. Numquid per phantasiam ossa confracta reficiuntur, vel pulmones consumpti reintegrantur, aliique morbi insanabiles medentur?

Objicies 2. Accedit ad naturæ vires illa propensio, qua nos ad credendum doctrinæ miraculis confirmatæ propellimur, ut in conclusione diximus. Unde sic : Vel illusoria est miraculorum efficacia, vel omnes religioni christianæ assentirentur, imo dissentire liberum non esset, cum propensio sive naturæ dispositio supponatur invincibilis; atqui tamen quam plurimi religioni christianæ non assenserunt, nec assentiunt : ergo illusoria est miraculorum efficacia.

Resp. *Neg. antec.* Non contendimus eam propensionem esse physice insuperabilem, qualis propensio versus bonum in genere, sed moraliter tantum, nempe, cui ratio hominis sensati nullum non assentiendi motivum habens, acquiescit, si totis viribus libertatis obluctari non velit; et sic intelligitur quomodo vis probandi miraculorum, quamvis in se irrefragabile sit testimonium veritatis religionis christianæ, tamen sit talis ut ratio absolute et physice ei possit obsistere, si cupiditatibus et præjudiciis præfocari contingat prædicta propensio. Alias, dicant Deistæ qui tam alte legem naturalem efferunt, quare tam pauci sunt qui ei obsequuntur.

Corollarium.

Ex dictis patet miraculum in se et independenter a prophetia vim habere probandi, quamvis novum splendorem ex prophetiis mutuetur, quippe Dei est testimonium authenticum et divinitatis sigillum. Aliunde quid est prophetia quam miraculum? Ergo non magis miraculum a prophetia pendere debet, ut probandi vim habeat, quam miraculum unum ab alio. Hinc Christus, Apostoli et Religionis Apologistæ, Tertullianus, Origenes, etc., modo ad miracula, modo ad prophetiam seorsim, et modo ad utrumque provocant.

ARTICULUS II.

DE PROPHETIIS.

Nota. Cum prophetia sit genus quoddam miraculi, quod circa miracula effecimus, id ipsum præstabimus circa prophetiam adversus tum eos qui ipsam prophetiæ possibilitatem impugnant, tum eos qui ejusdem probationis vim inficiantur vel parvi pendunt, ideoque dicemus : 1° de natura et definitione prophetiæ; 2° de ejusdem vi et efficacia ad evincendam divinitatem supernaturalis revelationis.

§ I.

De natura et definitione Prophetiæ.

Prophetia recte definitur : *Prædictio futuri, quod a libera hominis aut etiam ipsius Dei voluntate pendet.*

Explicatur definitio, in qua omnes sunt caracteres veræ prophetiæ.

[1] In Scriptura sacra multiplex nomin[1] *prophetæ* acceptio : aliquando enim hac denominatione veniunt oratores, quo sensu Aaron dicitur *propheta* Moysis; interdum sic vocantur qui addicti sunt ad divinas laudes canendas; talis fuit *Saül inter prophetas*, vel cum *domi prophetabat*, psallente David : aliquando hoc nomine designantur doctores et interpretes legis; quo sensu nonnulli dicuntur filii, id est, discipuli prophetarum, nempe doctorum legis, ex quibus quidam veri prophetæ erant.

Dicitur 1° *Prædictio*, id est præsensio et prædicatio; *præsensio*, ut excludantur temerariæ prædictiones, casu quandoque veræ, sed factæ sine ulla præscientia; *prædicatio*, id est declaratio facta modo affirmativo, certa et non conjecturalis, et quidem ita certa, ut non accommodentur eventus prophetiæ, sed potius eventum determinet prophetia; ita præcisa, ut removeatur suspicio de concordantia fortuitæ prædictionis cum eventu.

Dicitur 2° *Futuri*, id est declaratio prior eventu; non simplex rerum abditarum, sive præsentium, sive præteritarum, revelatio.

Dicitur 3° *Quod a libera...*, quod proinde nec arte, nec scientia naturali etiam angelica cognosci possit : sic eximuntur a prophetiarum classe, astronomorum, physicorum et politicorum prædictiones, et omnes eventus, qui necessario ex certis naturæ legibus evenire et dignosci possunt ab aliqua intelligentia creata vel creabili.

Dirimus prophetiam esse aliquod miraculi genus, propter hanc rationem, quod scilicet, juxta leges generalissimas, mens humana, et generatim quælibet intelligentia finita, veritatem assequi non potest, sine accommodato cognitionis medio. Ubi igitur est cognitio et aptum medium cognitionis non est, aut finitam intelligentiam superat, statim deprehenditur miraculum. Sed prophetia præ miraculo hoc habet, quod probationem suam sibi suppeditat; siquidem quisquis conscius et certus de prophetia, ejus certam veritatem, per inspectionem eventus habere potest. Hæc enim duo facta, scilicet *prænuntiatio* et *verificatio actualis* probari possunt iisdem mediis, quibus probantur alia facta, ut diximus de miraculis.

Non tamen semper est expectandum eventum, ut pro vera habeatur prophetia; nam verificatio *futura* probari potest per miraculum aut prophetiam jam verificatam; modo miraculum aut prophetia jam verificata adducantur in probationem prophetiæ verificandæ, tunc enim habetur Dei testimonium de futura prophetia verificanda.

§ II.

De Prophetiæ possibilitate.

Nota. Prophetiæ, seu *divinationis*, ut vocabant veteres, possibilitatem ex antiquis negarunt Colophornius, Epicurus et Carneades; ex recentioribus vero, Spinosa, Sociniani, et nunc demum Rationalistæ. Contra quos sit :

CONCLUSIO.

Prophetia est possibilis.

Prob. Possibilis est prophetia, si Deus libere futura cognoscere, et hæc hominibus manifestare potest: his enim duobus constat prophetia : atqui Deus.....; illud quippe non repugnat sive ex parte Dei, sive ex parte hominis. 1° Quidem non ex parte Dei; nam omnes res singulas tum præsentes, tum præteritas, tum necessario aut contingenter futuras habet exploratas. Illud postulat ipsius entis perfectissimi natura, alioquin nec omnia præsentia Deus cerneret, nec omnia tempora complecteretur ejus æternitas, et divina intelligentia successive per cognitiones novas perficeretur, quod repugnat. Quod si ejusmodi libere futura Deus necessario cognoscit, hæc ipsa illum hominibus manifestare posse sequitur ex possibilitate revelationis, de qua supra disseruimus.

2° Illud non repugnat ex parte hominis, siquidem homo comparandæ futurorum notitiæ est idoneus, non minus ac præteritorum vel præsentium, ut patet. Ergo possibilis est prophetia, et revera ex illa opinione omnibus insita, nata est præsagiorum, auguriorum, et omnis generis revelationis disciplina, qua scientiam futurorum a Deo obtineri crederetur.

Objectiones.

Obj. 1. Quod nondum est, nihil est; quod autem nihil est, nec prævideri, nec prædici potest; atqui objectum prophe

iæ est id quod nihil est; ergo nec prævideri nec prædici otest; ergo impossibilis est prophetia.

Resp. *Dist.* Quod nondum est, nihil est *actu* existens. C. ihil est possibile et consequenter cognoscibile, N. atqui rophetia nihil est actu existens, C. nihil est possibile et onsequenter cognoscibile, N. Quod enim est possibile et uturum, habet realitatem futuram; ergo est cognoscibile, t a Deo cognoscitur, cujus intelligentia est infinita. Sumaur exemplum rerum præteritarum. Nihil sunt, cum sint præteritæ et tamen certæ fuerunt, et nobis cognitæ sunt; idem dicendum de rebus futuris respectu Dei. Imo apud Deum non sunt præterita, nec futura, sed omnia præsentia; propterea non est in eo præscientia et prævisio proprie dicta, sed simplex visio et scientia. Aliunde si objectio valeret, simili modo probaretur ab astronomis certo prædici non posse eclypses, quæ nondum sunt.

Obj. 2° Illud est impossibile, quod fatalismo favet, et libertatem hominis moralem tollit : atqui prophetia fatalismo, etc. Nam quod Deus prævidet et prædicit, id necessario evenire debet. Ergo, etc.

Resp. *nego min.* Non enim res eveniunt, quia prævisæ et prædictæ sunt; sed prævisæ et prædictæ fuerunt, quia evenire debent. Ergo si qua est necessitas in prophetia, non est antecedens, sed consequens, et hypothetica. Logice nim prius est aliquid esse, quam prævideri et prædici.

§ III.

De vi et efficacia prophetiæ ad probandam divinitatem revelationis.

Nota. Nostri rationalistæ nihil intentatum reliquerunt tu rim elevarent hujus argumenti supernaturalis revelationis, it legere est passim in suis lucubrationibus : contra quos it.

CONCLUSIO.

Prophetia est irrefragabile divinæ ac supernaturalis revelationis argumentum.

Prob. 1° Ex data definitione solus Deus causa est prophetiæ veræ et proprie dictæ efficiens : ergo quoties habetur vera prophetia eventu comprobata, toties ineluctabile divinæ ac supernaturalis revelationis exurgit argumentum.

Prob. 2° Ita a natura, seu potius a conditore Deo comparati sunt homines, ut impellantur ad religioni assentiendum, in cujus gratiam militant veræ ac proprie dictæ prophetiæ. Unde apud veteres sapientes invaluit istud de correlatione adagium, cujus meminit Cicero [1] : *ut si divinatio sit, dii sint, et si dii sunt, sit divinatio.* Atqui propensio universalis, constans et ineluctabilis, non potest in errorem inducere hominem, cum error iste in Deum refunderetur.

Confirmatur *ex facto.* Omnes populi admiserunt prædictiones libere futuri alicujus eventus, qui exitum sortitus fuerit, velut ineluctabile veritatis argumentum, et suam religionem probaverunt per prophetias.[2] Ergo, etc.

Object.

Obj. 1° Nulla est natio quæ suas non habeat prophetias, ut affirmat conclusio, seu divinationes libere futuri : ergo, vel omnes religiones sunt æqualiter divinæ, vel nullius est roboris argumentum ex prophetia deductum.

Resp. *disting. maj.* Habent prophetias veras, vel falsas, C. veras et proprie dictas quales nos propugnamus. N. nullum enim exemplum ex tota antiquitate proferri potest de

[1] *De Divin.*, lib. 1, c. 5.

[2] Vetus opinio est, inquit Cicero, jam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et Populi Romani et omnium gentium firmata consensu, versari quamdam inter homines divinationem, quam Græci *matixen* appellant, id est præsensionem et scientiam rerum futurarum. (*De Divin.*, lib. 1, c. 1.)

vaticiniis, saltem in confirmationem falsæ religionis editis, quæ omnibus conditionibus vestiantur a nobis superius requisitis.

Inst. Atqui, plura fuerunt apud ethnicos divinationes et oracula quæ, si cum biblicis conferantur, vix ullum inter ea deprehenditur discrimen, et inter alia notissima sunt carmina sybillina a paganis pariter et christianis admissa. Ergo, etc.

Resp. Plura fuerunt apud paganos oracula, quin edita sint in confirmationem erronis, *Tr.* Secus, N. Nam 1° quædam ethnicorum oracula sunt historice falsa; 2° multa fuerunt ambigua, ita ut quidquid accideret, prædictum fuisse videretur; 3° plurimorum ex eis non verificabatur eventus; 4° aliorum tandem humanam esse vel diabolicam constat originem. Quædam quidem explicari possunt per prævisiones humanas et conjecturas, quæ non superant intelligentiam creatam aut creabilem; quædam autem in fraudis sacerdotum suspicionem merito veniunt; illi etenim multis artibus credulum vulgus decipiebant [1]. Et si quædam a dæmonibus prolata sunt oracula, quod vix negari potest propter plurium SS. Patrum testimonia, prorsus falsa sunt, nec facultatem finitam excedunt; vel tandem si vera, non certo in erroris, sed veritatis gratiam edita fuerunt, et divinam habent originem, siquidem Deus potest dæmones

[1] Oraculorum sedes in regionibus montanis sitæ erant quæ antra et cavernas offerebant, fallaciæ maximæ occasio data. Ubi deerant naturales illæ decipiendi opportunitates, in eumdem usum parabantur quædam secreta ora adita, et interiores recessus. In cæca hæc penetralia, non admittebantur consultores; in ea vero per subterraneos et clandestinos anfractus sese insinuebant sacerdotes, ut constat de Beli ministris sapientia Danielis deprehensis. Interdum fundebantur oracula per statuas cavas quarum dorsa parietibus erant applicata, sacerdotes statuarum penetralia subeuntes inde responsa emittebant. In vita Constantini narrat Eusebius quot ejusmodi artes in paganorum templis detectæ fuerunt, quando illa dirui jussit iste imperator. Quantum vero in iis omnibus et aliis bene multis fraus esset facilis, nemo non videt.

compellere ad testimonium veritati perhibendum, ut diximus de miraculis.

Quod autem specialiter ad oracula sybillina attinet, Resp. 1° Nonnulli quidem Patres censent sybillas vere edidisse vaticinia sicut olim impius Balaam; et in hac hypothesi, supradicta distinctio est facienda; at tum ea quæ nunc prostant in Bibliotheca Patrum [1], tum quæ ex codicibus Ambrosianis et Vaticanis evulgavit Cl. Maius, ex omnium criticorum judicio, spuria sunt [2]. Sola remanent, quæ recensuit Virgilius [3], quæ certe de futuro Christi adventu prænunciant, quidquid contendant aliqui. At poeta, ipsomet teste, descripsit quod tunc in omnibus commemorabatur de ætate aurea, aut ex primitiva traditione servatum, aut maxime ex Isaia propheta [4] cujus verbis evidenter alludit poeta, ideoque tanquam testis vel historicus est habendus, non propheta.

CAPUT IV.

DE EXISTENTIA DIVINÆ AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS.

Nota. Comprobatis divinæ ac supernaturalis revelationis possibilitate ac necessitate : assignatis etiam characteribus ac notis quibus discerni possit, expendendum superest, utrum Deus homini defuerit, an vero eidem suo piissimo consilio reipsa per supremam aliquam revelationem auxiliatus fuerit. Negant Deistæ ac Rationalistæ; nos autem affirmamus, atque contendimus triplicem factam

[1] Conf. D. Pierre, petit. diss. de sybillis.

[2] Conf. Gallandi, tom. 1. Biblioth. P. P. proleg., c. XVI. Constat ex historia, antiquos sibyllarum libros, quos Romani tanquam sacros in Capitolio servabant, centum circiter annis ante Christum fuisse flammis combustos. Postea Romani huc et illuc miserunt, per Asiam, et Africam atque Siciliam qui colligerent ea sibyllarum carmina quæ tunc ferebantur. Hinc factum est ut omnia dubia et incerta sint quæ spectant ad deperdita sibyllarum carmina.

[3] Ecl. IV. — [4] Isa. 7, 14.

usse externam ac supernaturalem revelationem ad manitandum triplicem statum ejusdem unicæ veræ religionis, mpe christianæ, quæ a mundi primordiis ad consummanem usque sæculorum sese extendit. Prima a mundi exor immediate a Deo creatore ortum habuit, et dicitur *primi*. Revelatio secunda, primam amplificans, per Moysem et ophetas facta est, atque *Mosaica* et *prophetica* nuncupatur. rtia vero, utramque perficiens et consummans, auctorem buit Christum, quæ est finis legis Mosaicæ, *finis enim is Christus ad justitiam omni credenti* [1] et per Apostolos per em terrarum promulgata, quæque *Christiana* et *Apostoi* vocatur: unde quinque nobis incumbit probare: 1° priivæ, 2° mosaicæ et propheticæ, 3° christianæ divinæ ac pernaturalis revelationis existentiam, 4° præter tres relationes præcitatas nullam fuisse divinitus factam, 5° Nuln in futurum aliam esse faciendam. Agitur de quæstione *ti* quæ proinde monumentis dirimenda est; illam pauribus verbis quam tanta expostulat materia perstrinmus, studiosam juventutem ad S. Scripturæ professorem mittentes.

QUÆSTIO I.

DE REVELATIONE PRIMITIVA.

Nota. Hic agitur de revelatione, quatenus est complexio nium veritatum et officiorum hominis erga Deum, id est ritatum quas scire et credere debet, præceptorum moraum quibus obsequium Deo præstare tenetur et rituum seu ltus, quo Deus est colendus.

CONCLUSIO.

exordio mundi externa, divina ac supernaturalis extitit revelatio.

Prob. 1°. *Divino testimonio.* Genesis testatur revelationem imitivam a Deo positive et supernaturaliter factam: at-

[1] Rom. 10, 4.

qui testimonium Genesis est ineluctabile veritatis testimonium. Ergo, etc.

Prob. maj. Religio seu revelatio primitiva, sicut quælibet alia religio, triplici constituebatur elemento, *dogmatibus*, *cultu* et *præceptis*. 1° *Dogmata* traduntur revelata, nam ibi docetur fides Dei unius omnium supremi Domini: hominem creatum fuisse ad imaginem et similitudinem Dei [1]: discrimen inter bonum et malum; libertas hominis, ipsius immortalitas; formatio mulieris ex homine, unitas generis humani; institutio atque indissolubilitas matrimonii; titulus proprietatis hominis in res creatas; lapsus protoparentum seu dogma peccati originalis, ejusque in Adami posteros transfusio; promissio Redemptoris generis humani atque dogma Immaculatæ B. M. V. Conceptionis *(et ipsa conteret caput tuum* [2]). 2° Intimantur *Præcepta*. Præcipit Deus homini ut custodiat paradisum et operetur; prohibet ne manducet fructum de ligno scientiæ boni et mali; mandat ut protoparentes crescant et multiplicent [3], proinde ipsis imponit legem matrimonii, de mutuis obligationibus sponsorum, de perpetua vitæ societate, *relinquet homo, etc.* et officia consequenter erga liberos [4]. Nam genus humanum crescere et multiplicare nequit, nisi qui generantur conserventur liberi. 3° Tradit *Cultum*, quo Deus coli desiderat et cujus pars principalis est sacrificium; non enim ex alio fonte quam a divina revelatione *Sacrificium* ortum habuit, siquidem homo per rationem cognoscere non potest utrum et quodnam sacrificium Deo sit gratum et acceptabile, nisi suam Deus declaret voluntatem. Quod autem a primævis temporibus fuerint sacrificia, patet exemplis Abel, Cain, Abraham, Melchisedech, etc. Insuper circumcisionis ritus Abrahæ et ejus posteris fuit præscriptus in signum justitiæ

[1] Gen., c. 1, 26, 27. — [2] Gen., c. 3.

[3] Non expendimus utrum hic agatur de vero mandato vel tantum de licentia concessa, cum nihil intersit quæstionis. — [4] Gen., c. 2.

et fœderis specialis inter Deum et Sobolem Abrahamiticam. Ergo Genesis testatur de externa, divina ac supernaturali revelatione.

Prob. min. Atqui testimonium Genesis est ineluctabile veritatis testimonium, quia invicte probabimus infra, 1° ipsius auctoritatem historicam, 2° ejusdem inspirationem et divinitatem. Inspiratio enim et divinitas Geneseos consequitur ex divinitate Religionis seu revelationis tum mosaicæ, tum christianæ, quam mox vindicabimus. Ergo, etc.

Prob. 2°. *Ex testimonio humano.* Quod semper, quod ubique, quod ad omnibus affirmatur, hoc certissimum esse tenendum est : atqui omnes populi, omnes nationes et ipsi præstantiores philosophi, divinam ac supernaturalem revelationem affirmant in mundi primordiis fuisse factam. Ergo, etc.

Major patet, nec negari potest, nisi quis in Pirrhonismum historiam absolutam incidere velit, et certissimas ordinis moralis destruere leges.

Prob. min. Hoc est factum ex certissimis et quamplurimis monumentis demonstratum. Circa traditiones populorum, confer inter alios : *Essai sur l'indifférence de la Religion* [1]. *Etudes sur le Christianisme*, par Nicolas. *Rédemption du genre humain, annoncé par les traditions* [2]. *Annales de philosophie chrétienne* passim. F. Gaubit, *Traduction du Chou-King*. Navarette, *Histoire de la Chine. Démonstrations évangéliques* [3]. Quoad philosophos, inter alios citantur Socrates, Plato [4], Aristoteles [5], Cicero [6] : inter vero recentiores sunt etiam multi et præstantiores. Ergo.

Prob. 3°. *Multiplici ratione.* Quia 1°. Quidquid sit de systematibus rationalistarum et traditionalistarum, ut vocant, circa modum quo idæis homo instruitur, certum est apud omniores philosophos hodiernos [7] hominem sibi derelictum,

[1] Tom. 3 et 4. — [2] Par Schmit. — [3] Tom. 7, p. 1037 édit. de Migne. — [4] *Tim. oper.*, tom. 9, pag. 324. — [5] Metaph., lib. XII, c. 7. — [6] *De leg.*, lib. II, c. 8. — [7] Vid. de Bonald.

nihil certo cognoscere, nec loquelam adinvenire potuisse, nisi Deus revelasset; quanto igitur magis non valet assurgere ad veritates supernaturales, quas pluries commemoravimus! Ordo enim supernaturalis excedit omnes rationis naturalis vires. Hoc patet ex ipsamet termini notione. Unde si non adfuisset externa, divina ac supernaturalis revelatio, homo, in hac hypothesi, habuisset cognitionem veritatum seu dogmatum ordinis supernaturalis sine medio accommodato, sibi proprio vel alicui, quod repugnat. Ergo, vel neganda est existentia cognitionis ejusmodi veritatum, vel externa, divina ac supernaturalis est admittenda primæva revelatio; sed primum est *factum* publicum, universale ac perpetuum, quod negari non potest. Ergo, etc.

2° Probavimus divinæ ac supernaturalis revelationis necessitatem, ex insufficientia legis quam vocant naturalem, ut homo possit cognoscere omnes veritates sibi necessarias et officia erga Deum : atqui nunquam in necessariis Deus deficit; obstant enim suæ providentia et bonitas.

3° Deistæ ac rationalistæ contendunt religionem inventam fuisse ab homine, sine supernaturalis revelationis subsidio, scilicet, per principia rationis, quatenus eorum ope et post longum tempus posset veritates religionis detegere : atqui illud repugnat. 1° Quia hæc via humani intellectus imbecillitati non est accommodata; has enim investigationes pauci facere possunt, et in paucis, et cum maxima difficultate et erroribus; igitur veræ religionis expers fuisset genus humanum. 2° Quia si religionem invenissent homines, illa artibus ac vitæ corporis necessariis et utilibus posterior apparuisset, nam intellectus humanus in suis investigationibus procedit ab illo quod est materiale ad id quod spirituale est, a facili ad difficiliora; proinde ab artibus humanis ad religionem devenisset : at vero huic hypothesi factum historicum universale et constans contradicit; Religio enim omnibus artibus et inventionibus prior appareret, imo apud omnes populos etiam invenitur artibus mo-

raliter necessariis destitutos. 3° Quia si religio inventa fuisset, homines a fetichismo ad idololatriam, ab idololatria ad monotheismum processissent; jam vero factum historicum iterum contradicit, siquidem constat ex monumentis historicis, eo puriores, sive quoad cultum sive quoad mores, fuisse populos, quo magis ad suam originem accedunt; e contrario, eo deteriores, quo magis ab ipsa recedunt. Sic, præter Judæos, ceciderunt omnes a monotheismo ad adorationem spirituum, et a cultu spirituum, ad idololatriam et fetichismum [1]. 4° Apud omnes populos eadem multa vigent dogmata, quoad formam tantum adulterata, scilicet, dogma lapsus hominis, ejus reparationis, vis piacularis sacrificio inhærens, et alia similia : unde sic : vel admittenda est divina ac supernaturalis revelatio primitiva, vel ejusmodi dogmatum existentia est inexplicabilis.

Etenim, negata supernaturali revelatione primitiva, ex duplici tantum origine prodire potuerunt prædicta dogmata, nempe ex ratione humana, vel ex diffusione religionis Mosaicæ; atqui neutrum dici potest. 1° Non oriuntur ex ratione. Homines enim ita quidem sunt comparati ut sponte assentiant veritatibus primo intuitu evidentibus, minime vero si sint scitu difficiles, obscuræ, et rationi primo intuitu repugnantes : porro rationi primo intuitu repugnant, dogma de lapsu generis humani per inobedientiam unius, seu transfusio peccati originalis, dogma de redemptione omnium per merita unius, dogma de valore piaculari sanguinis effusioni annexo, et alia ejusmodi. Præterea, hæc dogmata sunt supra rationis captum posita, ut sæpe diximus; ergo nullum par humana ratio suppeditat medium ad illas detegendas; ergo hæc dogmata non oriuntur e ratione. 2° Hæc dogmata non oriuntur ex diffusione generali religionis Mosaicæ, 1° quia priora illa fuisse

[1] Conf. *Morale de Confucius*, ibid. Luc, *de Deo Segr.* Herodote, lib. II, n. 9. S. Aug., *de Civ. Dei*, lib. IV. Bolingbroke, tom. 5, pag. 277 édit. in-4°. Ozanam, *Analyse de Benjamin Bergman.*

lege Mosaica, patet ex monumentis historicis; v. g. Noe, Job, Abraham, Isaac, Jacob, Melchisedech, etc. illa cognoscebant, et inter motiva cur Deus ita sacrificia multiplicavit in lege Mosaicæ, id unum fuit, ne scilicet ad sacrificia et ritus gentium diffluerent. 2° Quia vigebant etiam apud populos qui nullum habuerunt commercium cum Hæbreis, v. g. apud Armenos. Adde quod diffusioni obstitissent inimicitiæ et intolerantia religionum aliorum populorum. 3° Tandem, hæc dogmata non oriuntur ex lege Mosaica. Etenim, vel adversarii divinitatem agnoscunt hujus religionis, vel non; si *prius*, causa cadunt, siquidem revelatio primitiva dogma est religionis mosaicæ; si *posterius*, inventio prædictorum dogmatum ex parte gentis judaicæ erit effectus sine causa, idest cognitio veritatum supernaturalium sine medio accommodato, quod repugnat; ergo non oriuntur e lege Mosaica; aliunde ortum non habent a ratione, ergo admittenda est externa, divina ac supernaturalis primitiva revelatio.

QUÆSTIO II.

DE DIVINIS AC SUPERNATURALIBUS REVELATIONIBUS MOSAICA ET CHRISTIANA.

Nota 1. Comprobata externa, divina ac supernaturali revelatione primitiva, ecce Moyses, prophetæ et Christus, et per Christum Apostoli tanquam ipsius testes et historici occurrunt, qui se tanquam divinitus missos ad divinam hominibus manifestandam voluntatem perhibent. Si itaque, ex certis monumentis constabit, ipsos, præter excellentiam doctrinæ et sanctitatem, miraculis ac prophetiis missionem suam confirmasse, evidens erit ipsos fuisse divinitus missos, divinamque esse religionem seu doctrinam quam hominibus tradiderunt, seu divinam ac supernaturalem esse revelationem ab ipsis traditam. Hæc autem monumenta consignata sunt in libris tam V. quam N. Testamenti, qui

scriptura sacra dicuntur. Certissima autem sunt hæc monumenta, modo constet de hujus scripturæ sacræ auctoritate historica, atque veritate dogmatica, et inspiratione divina. Nos autem, pro scopo nostro primam veritatem, scilicet sacræ scripturæ auctoritatem historicam, stabiliemus in sequentibus, remittentes quæstionem de inspiratione, de revelatione et veritate seu valore dogmatico ejusdem sacræ scripturæ ad tractatum de locis theologicis.

Nota 2. Ut autem sacrorum librorum historicam auctoritatem et fidem extra omnem dubitationis aleam ponamus, tria nobis probanda sunt: 1° librorum tum V. tum N. Testamenti authenticitatem; 2° illorum integritatem; 3° eorum veritatem, seu auctores illorum esse testes fide dignissimos; quod in duobus astruemus articulis.

ARTICULUS I.

VINDICATUR AUCTORITAS HISTORICA V. TESTAMENTI.

Nota. Libros veteris Testamenti summa veneratione prosequimur, neque eorum auctoritati quidquam detrahi patimur; nostri sunt, quia in repudiatæ Synagogæ jura intravimus. Nos tamen de Pentateucho, id est de quinque libris Moysis, scilicet Genesi, Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio, specialiter loquemur; 1° quia in eo tota Mosaica revelatio continetur: 2° quia cæteri libri canonici ad Pentateuchum jure ac naturaliter referuntur; quod si horum auctoritatem historicam adstruxerimus, causa cadere Deistas omnino necesse est, tum quia ea sunt prodigia quæ hic referuntur, ut divinam Moysis missionem esse necessario sit concludendum; tum quia constituta librorum illorum auctoritate, nequaquam poterit ulla arte aut industria obscurari.

§ I.

De Pentateuchi authenticitate et antiquitate.

Nota. Nomine authenticitatis, hic intelligitur Moysem

operis quod ab ipso scriptum dicitur genuinum esse auctorem. Non immorabimur in probanda Moysis olim existentia, quia nemo unquam fuit qui eam serio negavit; aut si quis, studio contradicendi abreptus, fictam esse Moysis personam significavit vel potius insimulavit, talis opinio e numero earum est quæ cum risu et contemptu excipiendæ sunt.

Omnes qui de Hebræorum rebus scripserunt, sive Judæi, sive Christiani, sive Ethnici, usque ad Spinosam, de Pentateuchi antiquitate nullum dubium moverunt, si excipiantur Hobbius, Pereirus, fortasse Aben-Ezra, Newtonus qui, in suo in Danielem commentario, Pentateuchi auctorem Samuelem existimat, et Deistæ recentiores : Contra quos :

CONCLUSIO.

Codex legum Judaicarum, qui Pentateuchus dicitur, coævus est Reipublicæ Hebræorum et ipsum est Moysis genuinum opus.

Prob. 1°. Nemo unquam in dubium vocare ausus est facta historica, quæ constanti ac perpetua traditione innumerorumque testium nube, tum domesticorum tum extraneorum, quorum nemo fidem suspicatur, nituntur : Atqui talis est authenticitas Pentateuchi. Ergo, etc.

Major negari non potest, quin universalis in omnia facta historica Pyrrhonismus invehatur; quod summa insania esset.

Probatur itaque minor. Fides seu traditio publica, alia dici potest *vocalis* seu oralis quæ posita est in omnium perpetua et consentiente voce atque opinione; alia *realis* posita in publicis temporum monumentis et ipsis rebus. Atqui antiquitas et authenticitas Pentateuchi constant tum ex perpetua et consentiente hominum voce, tum ex monumentis temporum et rebus ipsis.

1° Constans semper fuit et consentiens hominum vox, tum domesticorum tum extraneorum, a remotissimis Moysis temporibus ad hanc nostram ætatem : 1° *Testium domestico-*

rum; hujus enim mentionem faciunt libri Josue, Judicum, Regum, Danielis, Regii Prophetæ, uno verbo, omnia passim sacra volumina; Josephus, Philo, Paraphrastæ Chaldaici, Judæi tum veteres tum hodierni: Judæis hac in parte suffragantur Samaritani Judæorum hostes infensissimi, et ipse Christus, et omnes N. T. auctores omnesque Christianæ ætatis quorum magis intererat. 2° *Testium externorum:* fatentur Julianus Apostata, Celsus et alii sua incredulitate famosi, quibus accedunt auctores profani Diodorus Siculus, Strabo, Trogus Pompeius, Justinus, Plinius, Tacitus, Juvenalis ipsique Mahumetani, ut constat ex Alcorano.

2° Antiquitas Pentateuchi constat ex rerum ipsarum fide; nam monumenta publica ab origine reipublicæ a Moyse constituta cum historia descripta in Pentateucho concordant, sicut typus cum antitypo suo; ita perfecte et minutatim scripta Moysis tum symbolis tum institutis exprimuntur, ut hæc videantur historia materialiter monumentis exarata [1]. Jam vero hæc publica fides maximam efficit moralem evidentiam; 1° quia traditio perpetua et unanimis per plura annorum millia a nullo alicujus notæ auctore nota fraudis vel levissimæ est; 2° quia gentis magnæ suisque historiis addictissimæ tabularia fidem faciunt; 3° quia monumenta ab origine reipublicæ exstantia accuratam totius Pentateuchi picturam efficiebant; 4° quia liber ille tanquam divinus in omni ætate semper habitus est, et ideo cum summa cura et diligentia servatus; 6° denique, quia fuerunt multi in omni ætate, quorum maximi intererat fraudem, si qua esset, detegere.

Unde si Pentateuchus sit suppositum opus, nullum erit apud antiquos quod germanum opus sit illius cujus nomen gerit; opera v. gr. Homeri, Virgilii, Ciceronis non possent dici genuina illorum auctorum opera. Ideo vero talia censentur, quia fides publica, quæ errori subjacere non

[1] Vide apud commentatores hanc admirabilem concordantiam.

potest, testatur hæc scripta illorum esse quorum nomina exhibent; atqui pariter fides publica constansque traditio testatur Pentateuchum esse Moysis genuinum opus : Ergo a fortiori ut tale habendum est, nam antiquitatem Æneidos vel Catilinarum non adstruunt gentis Romanæ tabularia; non sunt Codices legum civilium et religiosarum, rituum, cæremoniarum, etc. Romanorum, sicut Pentateuchus est Judæorum. Ergo contra omnium auctorum asserta, contra publica populi Judaici monumenta, contra infensissimorum religionis tum Judaicæ tum Christianæ hostium confessiones, post tria et amplius annorum millia, ridiculæ sunt paucorum scriptorum conjecturæ et cavillationes.

Prob. 2°. *Ex evidenti suppositionis impossibilitate.* Nam si possibilis fuisset suppositio, vel ante Moysen, vel ipso vivente, vel post illius mortem : Atqui nihil horum dici potest.

1° Non ante Moysem; aut enim vera sunt quæ in Pentateucho continentur, aut falsa; si vera sunt, necesse est ut impostor, qui opus illud confecit, eximius fuerit propheta, utpote qui præviderit non solum Moysem existiturum, sed innumera quæ patravit miracula et quas edidit prophetias; sed Deus alicui impostori tam insigne et inauditum lumen unquam infudit; aliunde pariter causa caderent adversarii, ut patet. Si falsa sunt quæ in Pentateucho referuntur, hæc nunquam apud Hæbreos fidem obtinuissent; in Pentateucho enim maximi momenti facta narrantur; in eo enim de stupendis miraculis agitur, jus sacrum et civile totius nationis complectuntur, agitur de rebus ad totam Hebræorum gentem pertinentibus, de tot ritibus, institutis cum tota Judæorum vita, tum civili tum domestica, intime connexis, de factis tandem quæ multis familiis probrosa erant: Atqui si hæc falsa sunt, quomodo Judæi ut vera admittere potuerunt mendacia tam publica tamque sibi noxia? — Ergo 1° ante Moysem possibilis non fuit Pentateuchi suppositio.

2° Nec vivente Moyse : vel enim, ut jam diximus, vera sunt quæ in Pentateucho referuntur vel falsa : si primum, iterum causa cadunt adversarii : si secundum, quis fidem adjunxisset? Nonne Ægyptii, nonne Judæi, nonne Moyses ipse reclamasset? — Ergo 2° Pentateuchus, vivente Moyse, suppositus esse non potest.

3° Nec post Moysis mortem : et 1° quidem non ante Christum; nam in concinnandam hanc fraudem, vel omnes Judæi conspirassent, vel aliquot tantummodo : atqui neutrum dici potest; non quidem primum, quia frequens est Pentateuchus in referendis et redarguendis Israelitarum delictis, seditionibus, ingrati animi vitio, rebellione in Deum, propensione in idololatriam; gravissimam legem et cæremoniarum jugum ipsis imponit, quod portare non potuerunt[1]; atqui repugnat universos Hæbreos in mendacium ipsis tam probrosum convenisse. Ergo, etc. — Secundum etiam dici non potest, siquidem cæteri omnes qui in fraudis societatem non venissent, adversus mendacium in gentem suam tam grave et indecorum insurrexissent, ut satis patet. 2° Nec suppositio facta fuit post Christum; nam Judæi longe ante ejus adventum libros V. T. habebant, quos ab eis Ecclesia Christiana recepit; Ergo 3° Pentateuchus supponi non potuit post mortem Moysis : aliunde nec ipso vivente, nec ante ipsum : Ergo penitus genuinus et authenticus est Pentateuchus.

Objectiones.

Obj. 1°. Multa Deorum et heroum nomina constanti et publica traditione ad nos pervenerunt, quæ nihilominus tanquam fabulosa explodimus; ergo licet publica et constanti traditione ad nos usque pervenerit memoria Moysis, inferri non potest illum vere exstitisse.

Resp. *Nego conseq.* 1° Quia hac argumentatione omnis fides historica rueret, et in dubium revocari posset om-

[1] Petrus Act. 15, v. 10.

nium, qui unquam floruerunt, celeberrimorum virorum existentia; 2° quia certitudo moralis historica, qualem hic adstruimus, vim plenam ac perfectam ad persuadendum habet ex momentorum congerie, quæ se invicem sustinent ac roborant, non autem ex vaga ac indeterminata opinione; 3° quia certum exstitisse viros famosos, qui postmodum inter Deos relati sunt, eorum sola nomina fuerunt pro variis populorum lingua et genio mutata; sed non minus apud omnes eruditos notum erat multa de illis a poetis narrata fuisse fabulosa.

Obj. 2°. Ante bellum Trojanum, nihil certi in historia reperitur : atqui trecentis circiter post Moysen annis hoc bellum accidit. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Nihil certi in historia profana, C. : in historia sacra, N.; ratio discriminis est ea, quod nullos habeamus scriptores coævos, in historia profana, qui facta illorum temporum collegerint; unde omnia incerta et confusa remanent; at contrarium de historia sacra valet, siquidem scriptores fuerunt coævi, et constans ac certissima traditio.

Obj. 3°. Temporibus Moysis in usu non erat scriptura alphabetica; ergo Pentateuchum non scripsit Moyses [1].

Resp. *Nego maj.* Et quam turpiter sibi mentiatur famosus poeta, sic demonstrat *Guénée*, auctor operis cui titulus est : Lettres de quelques juifs à M. de Voltaire : « *Vous dites dans votre philosophie de l'histoire* [2], *que tout ce qui nous reste de monuments critiques, nous avertit que Sanchoniaton vivait à peu près du temps de Moyse; et vous ajoutez un peu plus bas que son livre, écrit, s'il faut vous en croire, en caractères alphabétiques, est d'une antiquité prodigieuse. Voilà donc ces caractères alphabétiques dont l'invention, selon vous, fut très tardive même chez les peuples les plus anciennement instruits, les voilà, dis-je, d'une prodigieuse antiquité; et le législateur assez récent de la nation juive,*

[1] Ita *Voltaire* et alii. — [2] Art. *Phéniciens*.

selon vous, très récente, était, selon vous, contemporain d'un auteur prodigieusement ancien [1]. »

Obj. 4°. Moyses multa narrat, quorum : 1° alia sunt incredibilia, v. gr. Abrahamum cum trecentis decem et octo vernaculis quinque reges percussisse [2]; uxorem Loth versam esse in statuam salis [3]; 2° alia non nisi post ipsius mortem acciderunt : sic narrat filios Israel comedisse *Man* quadraginta annis, usquequo tangerent fines terræ Chanaan, cum jam ipse obierit [4]; pluribus locis et urbibus nomina imponit, quæ nonnisi post ejus obitum illa obtinuerunt : sic vocat urbem *Dan* [5], quæ tunc dicebatur *Lais* [6]; sic montem *Moria* vocat montem *Dominus videbit* [7], quod tamen tunc tantum accepit, quando templum ibi conditum est ; 3° tandem in Pentateucho referuntur Moysis obitus et Judæorum luctus : Atqui hæc a Moyse scribi non potuerunt. Ergo, etc.

Resp. His in textibus et aliis similibus nulla impossibilitas, nulla repugnantia percipitur, ut facile probatur in Hermeneutica sacra et commentariis ; sola mala fides, aut indigesta ac falsa eruditio retardari potest, non immoramur in istis tricis explicandis, uno verbo respondemus : Ad 1^um^, victoria Abrahami non fuit impossibilis, 1° quia reges victi numerosos non habebant exercitus, cum vix unius aut alterius urbis erant principes ; 2° quia nocte et cum magna peritia ab Abrahamo aggressi sunt ; 3° quia Deus pugnabat pro illo [8]. De uxore Loth dicendum est quod

[1] Ex historia profana concludere licet omnes fere populos persuasum habuisse litteras alphabeticas suam ab antiquitate remotissima ducere originem Assyrios et Chaldæos ipsis eamdem, quam suo imperio, antiquitatem attribuisse : earum inventorem Ægyptii faciunt *Thot* vel quemdam ex filiis ejus. Cecrops et Cadmus, quorum alter ante Moysem, alter vero ipsi coævus creditur, litterarum alphabeticarum cognitionem jam tum in Græciam intulisse censentur.

[2] Genes. 14. — [3] Genes. 19. — [4] Exod. 16. — [5] Genes. 14. — [6] Judicum 18. — [7] Genes. 22.

[8] Genes 14-20 : « Benedictus Deus Excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. »

non magis Deo difficile fuerit illam in statuam salis convertere, quam aquam in vinum, aut lignum, mediante igne, in cineres : Hanc statuam salis suis temporibus adhuc existere testatur Josephus [1]; Ad 2^um^, respondeo 1° : per annos 40, dum viveret Moyses, Israelitæ mannam in deserto comederunt [2]; ergo commemorare potuit : præterea noverat Israelitas anno quadragesimo in terram Chanaan esse ingressuros, nec diutius vagos fore [3]; ergo illud prænuntiare potuit; 2° falsum est monti *Moria* nomen novum inditum fuisse cum templum ibi conditum fuit; nam : *Appellavitque Abraham nomen loci illius : Dominus videbit;* 3° Dato, non concesso quædam in Pentateucho legi nomina, quæ Moysis ætate adhuc essent insolita, quid inde contra Pentateuchi authenticitatem? Quot sunt historiæ authenticæ in quibus locorum vel urbium nomina quibus ex industria nova substituuntur ad faciliorem intelligentiam, vel quia prima in desuetudinem abierant? — Dixi : *dato*, non *concesso :* quia nullo satis gravi argumento nititur, nihilque juvat exemplum quod objicitur : probandum enim incumbit adversariis, nomen *Dan* in utroque Genesis et libri Judicum capite eumdem exprimere et designare locum, quod nunquam evincere poterunt : nonne multiplex esse potuit civitas nomine *Dan*, sicut multiplex est Antiochia, Vienna, etc. Ad 3^um^ respondeo : Etiamsi Moyses ea verba non scripserit quæ ipsius mortem et luctum Judæorum spectant, numquid idcirco totus Pentateuchus erit suppositus? Aliunde, inter auctores quidam existimant Moysen Spiritu Prophetiæ afflatum hæc, dum viveret, scripsisse : sed vulgaris hæc est sententia, scilicet hæc non a Moyse scripta fuisse, sed ab alio adjecta, ut integra sancti Legislatoris haberetur historia. Alii vero, quod verisimillimum est, putant ultimum Deuteronomii caput in quo hæc describuntur, ipsum esse libri Josue initium, quod inde distractum est,

[1] *Antiq. Jud.* lib. 1, cap. 11. — [2] Id. — [3] Numer. 14, 33.

ut Deuteronomio adjiceretur, sicque compleatur Moysis historia.

§ II.

De Pentateuchi integritate.

Nota. Liber dicitur integer, cum adulteratus non fuerit, sive per detractionem sive per additionem, quod duplici modo fieri potest; nempe : vel in rebus *essentialibus* et gravioris momenti, vel in iis quæ *levia* sunt. Liber etiam corrumpi potest vel ex industria ad confirmationem erroris, vel ex incuria sive imperitia amanuensium [1]: ab istis posterioribus Pentateuchum in levioribus vitiatum fuisse, mendisque inspergi fatentur omnes, hæc est enim omnium operum conditio, quæ sæpius transcripta sunt. Id igitur unum in controversiam adducitur, utrum scilicet Pentateuchus quoad substantiam fuerit adulteratus, adeo ut in rebus ad fidem vel mores pertinentibus summa non sit ipsius auctoritas.

CONCLUSIO.

Pentateuchus integer et incorruptus ad nos pervenit.

Prob. 1°. Eadem fides publica et totius gentis Judaicæ per omnes generationes perducta traditio, eadem facta et monumenta, quæ probant Pentateuchum genuinum esse Moysis opus, etiam probant eum integrum semper et incorruptum permansisse; siquidem integræ semper nationi persuasum fuit, se illud ipsum opus habere quod a Moyse receperunt patres eorum, neque additum quidquam fuisse aut detractum in iis quæ Moyses scripserat; atqui invicte probavimus authenticitatem Pentateuchi per hanc fidem publicam, per traditionem inter omnes generationes perductam, per facta et monumenta publica. Ergo, etc.

Prob. 2°. Liber ille integer est, cujus corruptioni obst

bant tum prophetarum aliorumque auctorum auctoritas, tum sacerdotum, judicum omniumque Judæorum zelus, tum ipsius libri usus et notitia communis, tum factorum quæ in eo continentur natura : atqui ne Pentateuchus vitiaretur, obstabant :

1° Prophetarum et aliorum auctorum auctoritas, nam si Pentateuchus fuisset interpolatus, interpolari quoque debuissent libri omnes V. T. Atqui hoc adhuc nemo ausus est asserere. Ergo, etc... — *Major patet :* siquidem omnes V. T. libri Pentateuchum supponunt, et tum in factis tum in præceptis adeo mire cum eo colligantur, ut ille labefactari nequeat, nisi et aliorum convellatur auctoritas.

2° Sacerdotum, judicum omniumque Judæorum zelus, quia omnium intererat librum hunc servare integrum ; — intererat enim judicum et principum ; nam legum unicus codex semper fuit in republica, juxta quem judicium reddere oportebat et consueverant ; — intererat sacerdotum et levitarum ; continebat enim eorum privilegia et religionis cujus erant ministri ritus et cœremonias ; — intererat omnium Judæorum, quia in sacris illis voluminibus sua jura, sua privilegia, suos nobiliores titulos exstare gloriabantur, in iis spem omnem suam reponebant, illumque tanquam divinum et Dei erga se benevolentiæ pignus suscipiebant ; uno verbo, ad hujus libri conservationem et integritatem excitabantur omnes ordines, omnes familiæ, cives omnes, ex motivis efficacissimis, ex pietate et propriæ utilitatis tanto studio, ut, teste Philone Judæo, quislibet Judæorum centies potius mortem subire elegisset, quam ut pateretur legem in aliquo mutari.

3° Usus pervulgataque notitia : facile quidem adulterari potest liber obscurus et qui paucorum interest, nequaquam vero liber notissimus, qui solus est regula totius regiminis tum civilis tum religiosi populi numerosissimi, qui omnium manibus teritur, qui in singulis familiis lectitatur, quem assidue meditantur Doctores et magistratus, qui so-

lemniter, singulis septemniis, publice legitur : quem ipse rex pervolvere et propria manu transcribere tenetur; cujus exemplar originale in ipso templo, in arca fœderis omni cura asservatur. Quis crediderit hujusmodi librum potuisse adulterari?

4° Denique natura factorum quæ in Pentateucho continentur; sunt enim facta publica maximi momenti, monumentis, cæremoniis festisque testata; sic v. gr. egressus ex Ægypto, festo Paschali; promulgatio legis in monte Sinai datæ, festo Pentecostis; commoratio in deserto sub tentoriis festo tabernaculorum consecrata erant; monumenta, ritus cæremoniales, judiciales, omnes tandem Judæorum consuetudines, codicem illum exprimebant; hæc autem facta tam publica, tamque servatis obvia, non potuerunt adulterari, ut patet. Ergo, etc.

Prob. 3°. Si Pentateuchus fuisset interpolatus, illud factum fuisset vel a Judæis, vel a Paganis aut Christianis. Atqui nihil horum dici potest : 1° non a Judæis; alioquin ea sane expunxissent quæ ipsis injuriosa et onerosa deprehendissent; quod patet eos non fecisse. Præterea, corruptio quæ facta fuisset, debuisset contingere vel ante vel post schisma decem tribuum; atqui neutrum dici potest; — non primum, tum propter rationes superius allatas, tum quia recentior adhuc erat eorum quæ a Moyse gesta et scripta erant memoria; — non secundum, quia certo constat Pentateuchum Samaritanum eumdem esse cum illo quem decem tribus post factum schisma habuerunt; si autem post schisma a Judæis facta fuisset in textu corruptio, eam aliæ tribus et postmodum Samaritani, non tantum non admisissent, sed in Judæos, quibus infensissimi erant, insurrexissent; — 2° non a Paganis vel Christianis, tum quia certum est Judæos his nunquam aliquid ejusmodi objecisse, tum quia nulla differentia inter codices Judæorum et eos qui in aliorum manibus sunt deprehenditur; tum denique quia omnes Judæorum adversarii exemplaria codicum a Judæis

tantum habuerunt; numquam ergo potuerunt aliquam mutationem attentare, aut, si attentassent, efficere ut etiam in Judæorum exemplaria irreperet. Ergo, etc.

OBJECTIONES.

OBJ. 1°. Cum Helcias Pontifex sarta tecta restitueret, librum legis in domo Domini reperiit, quem ad se missum cum Josias rex legisset, stupore percussus, scidit vestimenta sua, de hoc voluit Dominum interrogari, ipsemet librum legit coram populo, adstringendo populum novo sacramento ad illius observationem [1]; atqui hæc omnia probant nullum aliud fuisse tunc legis exemplar; ergo facillime corrumpi potuit volumen istud, quod unicum supererat.

RESP. *Nego min.* Locus enim laudatus, nedum nobis contrarius sit, rem nostram haud parum adjuvat; nam ex illo intelligimus legis authenticum exemplar, Moysis manu exaratum, semper permansisse in capsa ad latus arcæ, a Moysis temporibus a quo ibi collocatum fuit, usque ad Josiæ et Helciæ tempora, qui arcam leguntur dimovisse ex loco, dum sarta tecta templi extruerentur, et illud repererunt; sic enim legitur in Paralipomenon [2] : *Reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Moysis :* quo eventu, profecto, illis temporibus, antiquitas et integritas libri legis fuere extra omnem controversiam positæ; nullo vero modo colligi potest ex loco in objectione laudato non aliud superstes fuisse legis exemplar, præter istud in templo inventum. Ex illo enim sequentia deducuntur, scilicet : quod Moysis autographus repertus fuit in templo ad latus arcæ, ubi positus fuerat a Moyse; quo reperto, Helcias ad regem statim misit; Rex autem pietate motus voluit legem ex illo sacratissimo volumine audire; idem princeps Moysi vaticiniis et comminationibus attentiorem mentem præbens [3], perterritus fuit quæsivitque in pietate et studio

[1] 4 Reg. 22. — [2] Lib. 2, cap. 34, v. 14.
[3] Videbatur enim sibi audire Moysem ipsum loquentem.

legis remedium malis præsentibus; denique ad excitandam populi pietatem, sanctum iniit consilium recitandi ex illo volumine, coram multitudine, verba legis, fœdusque cum Domino renovavit; falso igitur supponitur, lege inventa, stupore percussos fuisse summum sacerdotem et regem: imo ex tota facti illius narratione sequitur non accidisse rem inexpectatam; aliunde si omnia alia codicis exemplaria periissent, et legis memoria nulla fuisset, ut quid stupore apprehensi fuissent, pro infractionibus in legem quam scire non valebant.

Obj. 2°. Omnia legis exemplaria incendio Hyerosolymitano periere, et ab Esdra iterum scripta sunt [1]; atqui, hoc semel posito, lex adulterari potuit. Ergo non ita constat libros Moysis esse integros.

Resp. *Nego maj.* Exiguæ enim est auctoritatis liber quartus Esdræ, ex quo factum desumitur; siquidem ut suppositus minimeque authenticus habetur; præterea non desunt rationes, et quidem gravissimæ, quæ hanc opinionem evertunt. — 1° Omnia quæ Chaldæi [2], expugnata Hyerosolyma, incenderunt aut Babylonem asportarunt, singula seorsim recensentur; atqui de sacrorum librorum combustione, ibi prorsus siletur : ergo eos flammis non fuisse traditos omnino probabile est. — 2° Etiam si Nabuchodonosor rex libros sacros abolere tentasset, absurde concluderetur illos abolitos fuisse, quasi nulla exemplaria ejus impietatem effugissent : quis enim in animum sibi inducere possit Jeremiam prophetam, qui arcam fœderis, altare incensi et tabernaculum ab incendio liberavit, sacros codices a flammis non vindicasse, aut decem tribus quæ centum triginta et amplius annis ante incendium Hyerosolymitanum in captivitatem fuerant abductæ, aut Ezechielem, Danielem et alios veros Dei cultores, qui undecim annis ante eversionem Hyerosolymæ in Babylonem cum rege Joachim translati fuerant,

[1] Lib. 4 Esdræ, cap. 14. — [2] Lib. 4 Reg. cap. 25 et 2 Paralip. 36.

quis, inquam, sibi fingere possit, tot et tantos legis zelatores libros illos sibi carissimos secum non detulisse? — 3° Certum est omnes libros propheticos, omnes historicos, omnes psalmos Moysem interpellare, legem a Moyse datam indigitare : politiam et religionem institutam à Moyse nunquam fuisse abrogatam, sed illam fuisse unicam cultus divini regulam, unicum codicem juxta quem jus dividebatur populis; quo posito, sic ratiocinatur : Si Esdras codicem legum iterum scripsit, vel omnia scripta erant in autographo, vel non; si *prius*, nulla est objectio, nec esset mutatio, sed simplex transpositio; si *posterius*, omnes reclamassent, ut patet; aliunde et omnes alias de novo conficere debuisset sacras scripturas, nam in omnibus istis libris nulla est pagina quæ possit, separata à Pentateucho, consistere; omnia sunt in hoc fundamento posita; atqui credant deistæ ab uno homine tot scripta ingenii et styli varietate distincta subito fuisse confecta; at sani hominis tanta credulitas non est. Ergo etc.....

Obj. 3°. Apud Machab. [1] sic legitur : *Libros legis Dei combusserunt igne scindentes eos, et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Dei..., trucidabant eum.* Unde sic : Sacri codices, grassante Antiochi persecutione, flammis omnes periere; atqui facile est impostori libros igne consumptos corrumpere; ergo sacri codices facile potuerunt adulterari.

Resp. *Nego maj.* Ex eo quod cum legis exemplaria conquisierit furens Antiochus, absurde concluderetur omnia inventa et flammis consumpta fuisse, quasi in tota Judæa latebræ nullæ fuissent, in quibus tuto occultari potuerant volumina sacra, quasi nos lateret Judæorum indoles, summaque eorum in suos codices veneratio! Quoties tentarunt ferocissimi religionis Christianæ persecutores, nec tamen perficere potuerunt! Existebant exemplaria in externis bi,

[1] Lib. 1, cap. 1, vers. 59 et 60.

bliothecis, in Alexandrina præsertim quæ erat extra ditionem Antiochi; exstabat septuaginta interpretum versio; exstabant exemplaria apud Judæos, qui tunc temporis apud alienigenos morabantur. Aliunde furorem Antiochi aliqua librorum exemplaria evasisse indicat idem ille scriptor libri Machabæorum, ubi ait : *Jejunio maceratos Judæos... expandisse libros legis.* Patet etiam ex Judæorum ad Spartiatas epistola, ubi solatio sibi fuisse libros sanctos scribunt Jonathas et populus universus Judæorum [1].

Obj. 4°. Nonnulli ex Patribus [2] exprobrabant Judæis quædam erasisse ex sacris codicibus, quædam in odium Christianorum corrupisse. Ergo, etc.

Resp. *Nego antec.* Namque : 1° Justinus, Eusebius et Origenes nunquam scripserunt textum hæbraicum a Judæis fuisse corruptum, sed textum græcum 70 interpretum, id aperte declarant illi Patres, locis citatis. 2° Chrysostomus loquitur de Aquila, Symmacho et Theodotione, qui ubi a Christianismo ad Judaismum defecissent, in suis interpretationibus de hæbreo in græcum, multa perperam posuerant in odium Christianismi et in reprehensionem 70 interpretum, de quibus etiam loquitur B. Hyeronimus, ubi dicit se voluisse ex hæbreo vertere libros divinos, unde loquitur de interpretationibus, non de textu hæbraico ; nam de illo sic ratiocinatur [3] : si Scripturas Judæi aliquando corruperunt, id fecerunt vel ante Christi adventum, vel post Christi adventum; atqui neutrum dici potest : *non primum,* quia nusquam Dominus et Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis et Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. *Non secundum,* nam testimonia quæ a Christo et Apostolis ex Vet. Test.

[1] Ibid., cap. 12, 9.

[2] Justinus in Dialogo cum Triphone. Eusebius, lib. 4 hist. cap. 28. Origenes, homil. 12 in Jeremiam. Chrysostomus, epist. ad August. q. 11 inter Augustinianos. Hyeronimus.

[3] In cap 6 Isaiæ.

laudata sunt, omnia inveniuntur nunc in Moyse et Prophetis, ut ab illis edita sunt. Numquid Salvator et Evangelistæ et Apostoli in testimonia protulerunt ut Judæi postea falsaturi erant? Ergo, etc.

Obj. 5° Triplex habetur historiæ Mosaycæ Chronologia, alia Hæbreorum, alia Samaritanorum, alia 70 interpretum; quæ omnes insigniter inter se differunt [1]. Ergo corruptus fuit Pentateuchus.

Resp. 1°. Causam nostram juvat hæc diversitas, nedum ipsi noceat. Contendunt adversarii vitium in Pentateuchi historiam irrepsisse atque inde factum esse, ut aiunt, ut codices et versiones in hac parte dissentiant. Si ergo in rebus præcipuis et magni momenti mutatio aliqua facta esset, in eo capite insigniter etiam discreparent varii codices, variaque illius operis exemplaria. Ergo, cum in iis non dissident, certum est nullam factam fuisse interpolationem.

Resp. 2°. Maxime discordes sunt Herodoti, Xenophontis et Diodori Siculi chronologiæ : atqui tamen id non obstat quominus factis, quæ ab illis historicis memorantur, fides adhibeatur. Ergo pariter, quamvis in historiæ Mosaicæ chronologia quædam invecta fuerint obscuritas et discrepantia, non ideo licet factis quæ in ea referuntur fidem detrectare [2].

§ III.

De Pentateuchi veritate.

Nota. Nihil non moliuntur recentiores Deistæ, ut auctorem Pentateuchi in fraudis et mendacii suspicionem vo-

[1] Sic, v. gr. juxta codicem hæbraicum et Vulgatam, anni tantum 1658 numerantur a creatione usque ad diluvium ; 70 vero interpretes annos computant 2242, quod discrimen est annorum 584.

[2] Lege commentariorum rationes quibus probatur genuinam esse nec unquam vitiatam chronologiam quæ in textu Hæbraico habetur, cum quo etiam Vulgata nostra concordat.

cent : quam autem infeliciter ipsis cesserit impiusille labor patebit ex dicendis.

CONCLUSIO.

Vera sunt quæ Moyses in Pentateucho scripsit.

PROB. Omnium consensu credendum est testi qui, 1° decipi non potuit, 2° decipere non voluit, 3° neque decipere potuisset, etiamsi voluisset : atqui talis est Moyses auctor Pentateuchi. Ergo, etc. *Prob. min. per partes.*

PROB. PRIMA PARS. Ille decipi non potuit, qui ea narrat quæ vel ipse fecit, vel propriis vidit oculis, vel ex certissima traditione didicit. Atqui Moyses ea narrat quæ vel ipse, etc. Primum quidem ea omnia quæ, excepta Genesi, leguntur, hæc narrantur tanquam vel a Moyse ipso facta vel sub ipsis oculis acta. Talia sunt miracula coram Pharaone patrata, exitus Hæbræorum ex Ægypto, lex data in monte Sinaï, manna e cœlo divinitus missa : quæ omnia utrum exstiterint an non, sua propria experientia cognoscere potuit Moyses.

Quæ vero in Genesi continentur, ea Moyses ex indubitata traditione scire potuit; illa enim traditio certissima est, quæ versatur circa facta insignia et prorsus mirabilia, quorum frequentissima debuit esse narratio, et quæ paucissimas inter generationes continetur sibi diu coævas, quarum unaquæque ab altera, quæ gesta fecerat ediscere potuit. Atqui 1° traditio a primis parentibus ad Moysen usque ducta, versatur circa facta maxime insignia et mirabilia : quid enim stupendum magis quam mundi creatio, primi hominis lapsus, diluvium universale et alia hujusmodi : nemo autem mirabitur traditionem per continuam generationum seriem puram et integram ad Moysem pervenisse, si perpenderit, priscis illis temporibus, nihil antiquius habuisse familiarum principes quam ut eventus mirabiles ad filios et nepotes transmitterent fideli et crebra narratione. 2° Traditio illa versatur circa facta publica ac do-

mestica, et paucos longævos admodum et sibi diu coævos complectitur, unde nascitur diurna et frequens docendi et discendi opportunitas; nam cum Adamo ducentis annis Mathusala, cum Mathusala sexcentis annis Noe, cum Noe quadragentis et quinquaginta annis Sem; cum Sem, filio Noe, diu vixerunt Abraham et Isaac ; Isaac vero cum Levi qui ipse Moysis avus erat, et quem pluribus annis in terris degentem vidit Moyses. Ab Adamo igitur ad Moysen quinque tantum memorantur generationes, per quas traditio fuit certissime propagata. Ergo 1° Moyses circa ea quæ in Pentateucho narrantur, non potuit decipi.

Prob. secunda pars. Scilicet : Moyses decipere non voluit; ille enim noluisse fucum facere merito censetur, cujus ipsa indoles, ac tota agendi et scribendi ratio testem probant sincerum, et ab omni dolo et fallacia longissime remotum. Atqui ipsa Moysis indoles, etc.; Moyses enim verum Dei cultum, doctrinam sanctissimam et mendacio inimicam hominibus passim instillat, nunquam vitiis hominum blanditur, nunquam populi favorem aucupatur; illi gravissimas leges imponit, rebellionem, impietatem sæpius et nefarium idololatriæ cultum ipsi exprobrat; non facta narrat privata, ad errorem accommodata, sed facta publica et splendidissima; nullos adhibet testes ad fraudem comparatos, sed fidem publicam et universi populi testimonium appellat; summam in omnibus modestiam exhibet; si quid peccaverit, ingenue fatetur; maximum famæ, ambitionis et gloriæ contemptum præ se fert. Quidquid honoris ex filia Pharaonis, quæ eum adoptaverat, sperare potuit, abjicit; vix ac ne vix quidem, Deo imperante, Hæbræos à servitute liberare in se suscipit : in ferendis ingrati populi contradictionibus summa patientia in eo lucet et charitas. Denique in scribendo non vanæ studet eloquentiæ, sed sola veritate fretus, auctoris ostendit candorem et veracitatem, omnemque expellit fraudis suspicionem. Ergo 2° decipere noluit Moyses.

PROB. TERTIA PARS, nempe : Moyses non potuisset decipere, etiamsi voluisset; id enim non potuisset, nisi vel Judæis persuadendo, tanquam vera, quæ in Pentateucho referuntur, licet falsa; vel ipsos inducendo ut secum ad ea stabilienda conspirarent quorum falsitas ipsis fuisset notissima. Atqui utrumque impossibile est; 1um quidem: repugnat enim gentem numerosissimam totam simul insanire; jam vero gens Hæbraica adduci non potuit ad credenda tanquam vera quæ in Pentateucho continentur, licet falsa, nisi summa laboraverit insania; quis enim populus, nisi plane desipiat, potest sibi persuadere egisse, vidisse, audivisse per 40 annos, quæ nec egit, nec vidit nec audivit? se mare Rubrum sicco pede trajecisse, se manna e cœlo delapsam manducasse, montem totum corruscantem et fulgurantem vidisse, tonitrua audivisse, dum tamen nihil horum fecerit, nec audiverit, nec viderit? Ergo 1° Moyses non potuit Hæbreos fallere, ipsis tanquam vera persuadendo quæ in Pentateucho referuntur, licet falsa. 2um Non minus impossibile est : repugnat enim gentem numerosissimam veritatis amorem ita exuisse et voluisse in asserendis mendaciis sibi notissimis cum Moyse conspirare; repugnat eam duras ac vix tolerabiles ab impostore sibi cognito leges accepisse, ipsique concessisse ut summa auctoritate potiretur, ut pro levibus delictis pœnam capitalem decerneret, ut plures familias æterno deputaret opprobrio; repugnat, inquam, gentem magnam per longam seculorum seriem ita fuisse fraudis promovendæ studiosam, silentiique tenacem, ut ex tot hominum milibus, nemo mendacium prodiderit. Atqui tamen ita se haberet gens Hæbraica in sententia adversariorum. Ergo 2° impossibile est, etc... Ergo Moyses decipere non potuisset, etiamsi voluisset; aliunde nec decipere voluit, nec decipi potuit. Ergo vera sunt quæ Moyses in Pentateucho scripsit.

OBJECTIONES.

OBJ. 1°. Facta quæ in Pentateucho narrantur, quam lon-

gissime a nobis distant. Atqui facta tanto a nobis temporum intervallo distantia, fidem nullam merentur. Ergo, etc.

Resp. *Neg. min.* Facta enim historica quæ certis et inconcussis nituntur monumentis, neque vetustate vilescunt, neque eorum minuitur certitudo temporum successu : quis enim dubitat de existentia reipublicæ Atheniensium ac de factis quæ, ipsa florente, contigerunt. Nedum factorum historicorum minuat certitudinem temporum successus, sed et illam corroborat, illorum scilicet monumenta explorando, facta criticæ regulis subjiciendo, etc... Ergo.

Obj. 2° Soli Judæi loquuntur de factis in Pentateucho relatis; ergo vera non sunt; alioquin scriptores gentiles illa narrassent; nam, si prodigia ejusmodi nostro tunc tempore fierent, ab omnibus historicis et viris eruditis celebrarentur.

Resp. 1° *Nego ant.* Quia scriptores veteres multi prodigia a Moyse facta commemorant, ut videre est apud Josephum, Eusebium, Huetium, aliosque Christianæ religionis defensores; 2° quia paucissima nobis fragmenta scripturarum supersunt, ut ipse *Voltarius* fatetur : *Il est triste*, dit-il, *que dans la guerre de César, la moitié de la fameuse bibliothèque de Ptolémée ait été brûlée, et que l'autre ait échauffé les bains des Musulmans, quand Omar subjugua l'Égypte.*

Resp. 2° *Nego conseq.* Licet enim soli Judæi de factis in Pentateucho relatis mentionem facerent, perperam concluderetur illa esse falsa. 1° Quia probatio negativa positivam inconcusse assertam non destruit. 2° Quia certum est Judæos ab omnibus populis, tum lingua, tum religione et institutis fuisse divisos : quid igitur mirum ; si aliarum gentium scriptores, prodigia quæ in Pentateucho narrantur, vel ignorassent vel non credidissent et historia sua aliisque litterarum monumentis inserere detrectassent, aut pro more suo adulterassent? Ergo, etc.

Obj. 3°. Historia Mosaica contradicit annales et libros gentium antiquissimarum ; sic antiquitas quam mundo

Moyses adscribit, ea longe minor est quam eidem tribuunt scriptores vetustissimi, nam Manetho in sua Ægyptiorum historia varias hujus populi dynastias enumerat, quæ annos 53535 conficiunt; Berosus refert Chaldæos annorum 480000 observationes astronomicas habere; annales Sinensium testantur gentem hanc longe ante diluvium extitisse. Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Unius enim Moysis auctoritas horum omnium testimonia prævalere debet, qui circa mundi antiquitatem dissentiunt: 1° quia sicut Moysis fides ex omnibus certitudinis criteriis stabilitur, sic omnia concurrunt ad probandam falsitatem fabulosæ quarumdam gentium antiquitatis; 2° quia Moyses cæteros omnes historicos præcessit; 3° quia, ex omnium consensu, ante bellum Trojanum nihil certi in scriptoribus profanis reperitur; 4° quia, ut populis, quorum historias texunt, adulentur, remotissimam cujus erant amantissimi antiquitatem ipsis attribuebant; 5° Quia scriptores qui de illa loquuntur testes idonei non sunt; siquidem nec coævi sunt, nec monumentis certis facta sua confirmant, nec inter se consentiunt. Merito igitur jactatas ejusmodi antiquitates ridet S. Augustinus [1]. *Ridendi potiusquam refellendi sunt, qui de spatio temporum tam diversa et huic* (MOSAICÆ) *tam exploratæ veritati contraria persuadere conantur. Cui enim narranti melius præterita credimus, quam qui etiam futura prædixerit, quæ præsentia jam videmus?* Ita quoque Lactantius [2] et jam ante Cicero [3] fabulosam hanc antiquitatem riserunt. Plures etiam inter recentiores eruditissimi viri ejus falsitatem manifestam fecerunt [4]. Aliunde

[1] *De Civit. Dei*, lib. 18. — [2] Lib. 5 Institut., cap. 14.

[3] Lib. 1 *de Devinatione.*

[4] Qui seorsim de illis fabulosis populorum antiquitatibus discere cupit, petat commentarios polemicos et Sacræ Scripturæ professores. *Bible vengée*, t. 1; Bossuet, *Hist. univ.*, 3e partie, chap. 3; Buffon, *Théorie de la terre*, liv. 1; Cuvier, *Rapport à l'Académie sur le livre de D. André de Guy*, quem consulere plurimum invat; de Luc, *Lettres physiques et*

[1] Lib. 5 contra Marcion. — [2] Cap. 4. — [3] Lib. 3 *de Spiritu Sancto*, cap. 11.

novitatem mundi clamant nova regnorum exordia, novæ artes et scientiæ, novæ leges et historiæ populorum, etc... Ergo.

Obj. 4°. Ex multis naturæ phenomenis circa partium terræ permixtiones et immutationes nova ad præsentem terræ hujus compositionem systemata prodierunt; atqui ex illis systematibus sequitur eam multo antiquiorem esse, quam a Moyse traditur. Ergo, etc.

Resp. 1°. *Neg. min.* Quidquid enim excogitaverint recentiores quidam systematum fabricatores de summa terræ antiquitate, non ideo corruit Pentateuchi veritas. Chronologia siquidem Moysis ab Adamo incipit, primo totius humani generis parente; quidquid ergo hanc genealogiam impugnat, nobis diluendum est, non alia facta in Genesi narrata; silet Moyses de momento temporis quo mundus creari incepit : *In principio,* inquit, *Deus creavit cœlum et terram.... perfecti sunt cœli et terra et omnis ornatus eorum, complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Per hos ansex dies illi creationis totidem fuerint epochæ, quas sibi quidam, forte minus caute, aut longiores aut breviores fingere pro libitu possunt, vel dies reales et naturales, ut communius et probabilius volunt alii, nostrum non est dirimere nec illos aut istos tanquam revelationis hostes traducere, modo longe absint ab omni impia molitione contra Scripturæ veritatem.

Resp. 2°. Nullum est ex recentioribus systematibus contra Moysis historiam excussis quod non egregie confutatum fuerit à viris in historia naturali versatissimis : præterea hæc systemata innumeris scatent erroribus, cum legibus notis certisque naturæ pugnant, inter se contradi-

morales; Bergier, t. 5; Stolberg, *Helviennes,* t. 1, etc. — Quoad Sinenses, omnes illorum litterati ultro fatentur in sua historia nihil esse certi, si altius repetatur quam a 200 vel 300 ante Christum annis; Conf. au Halde. D. Louquet, P. Verbiest, S. J., P. Martini eiusdem soc.

cunt; quod enim unus affirmat, negat alter; recens antiquum subvertit, et illud recentiori locum cedere debet, eo quod sint immaturi non experientiæ aut solidioris studii, sed evagantis phatasiæ fœtus. Habemus hic confitentem reum D. Buffon, qui in sua *Telluris Theoria* [1] hæc ait : *Ce sont des suppositions sur lesquelles il est aisé de donner carrière à son imagination. D'une seule de ces hypothèses on va tirer mille romans physiques, que leurs auteurs appelleront théorie de la terre.* Fecit tamen et ipse [2].

Nota. Alia multa objiciuntur de hominis et mulieris creatione [3], de paradisi descriptione, de patriarcharum longævitate, de diluvio, de arca Noe, de turri Babel, de plagis Ægyptiacis, etc. Hæc et alia sexcenta, quæ nimis longum esset diluere, remittimus ad sacræ scripturæ professorem.

ARTICULUS II.

VINDICATUR FIDES ET AUCTORITAS HISTORICA NOVI TESTAMENTI.

Nullibi occupatiores sunt deistæ, ut jam notavimus, quam in convellenda librorum sacrorum auctoritate; sic enim facilius convulsum iri religionem nostram, si antiquissimis illis documentis, quibus suam originem potissimum tuetur, fides nostra et reverentia detrahatur : quas igitur in V. T., irrito licet conatu, easdem in N. Test. con-

1 Lib. 1.

2 Audiatur D. Cuvier (*Rapport à l'Académie sur le livre d'André de Guy*) : « Qui sont, dans l'état actuel des sciences, les auteurs de systèmes géologiques, sinon des gens qui cherchent les causes des faits qu'ils ne connaissent pas? Peut-on imaginer rien de plus chimérique? Oui, l'on ignore, je ne dis pas seulement la nature et les dispositions intérieures du globe, mais celle de sa pellicule extérieure... C'est une chose curieuse de voir les auteurs de systèmes, à l'affût des découvertes que font les observateurs, prompts à s'en emparer, à les arranger à leurs idées. Heureusement ces châteaux aériens s'évaporent comme de vaines apparences. »

3 Gen. cap. 1.

gerunt difficultates : vindicatis igitur libris V. T., simili methodo, ejusdemque fere generis probationibus, N. T. libros tuemur, illorum scilicet authenticitatem, integritatem et veracitatem probando.

§ I.

De N. T. authenticitate.

Nota. Novi Testamenti libros genuinum non esse apostolorum vel Christi discipulorum opus persuadere nituntur Deistæ : contra quos sit :

CONCLUSIO.

Quatuor Evangelia, aliaque N. T. libri sunt opera vere authentica et genuina.

Prob. 1°. Illi libri vere sunt authentici, qui eos habent auctores, quorum nominibus inscribuntur; atqui quatuor Evangelia cæterique N. T. libri eos, etc.; illud enim certum est quod omnium fides sæculorum testatur; alioquin nihil erit in factis historicis indubitatum, omnesque libri ut spurii rejiciendi erunt; atqui quatuor Evangelia aliosque N. T. libros eorum esse quorum nomina præ se ferunt, testatur omnium sæculorum fides, et de ea testantur, 1° Catholici; 2° Hæretici; 3° Pagani.

1° *Quidem testantur Catholici.* In confesso apud omnes est Catholicos a tertio seculo clare et constanter testari de authenticitate librorum N. T.; versatur ergo quæstio circa testimonia secundi et primi seculi.

Porro de hac authenticitate testantur *in secundo seculo :* Origenes [1], S. Irenæus, ineunte tertio, martyrio coronatus,

[1] In Matth. lib. 1 : « Sicut traditione accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Ecclesia quæ sub cœlo est, citra controversiam admittuntur. » Et in Luc. homil. 1 : « Matthæus, et Marcus, et Joannes et Lucas non sunt conati scribere, sed Spiritu Sancto pleni scripserunt Evangelia. »

anno 202 [1]; Tertullianus [2]; Clemens Alexandr. qui secundo sæculo [3] floruit, ubique innumeris testantur in locis, ut videre est apud Eusebium [4]; S. Justinus, martyr anno 167 [5]; Theophilus, Antiochiæ Episcopus circa annum 180 [6]; S. Polycarpus, Joannis apostoli discipulus, qui martyr occubuit circa annum 166 [7]; Papias, Hyerapolitanus Episcopus, qui circa annum 118 florebat [8].

In *primo autem seculo* sacros extitisse libros argumentum præsumptionis præbet secundum seculum; nam, si omnes Ecclesiæ ab Apostolis immediate aut mediate fundatæ, labente secundo seculo, pro authenticis habuerint libros Evangeliorum, necessario concludendum est Christianos primi seculi hanc authenticitatem jam agnovisse; sed et irrecusabiles habemus testes : sanctum scilicet Ignatium [9], qui Christum a mortuis suscitatum se vidisse gloriabatur : S. Clementem, Romanum Pontificem, Apostolis coævum [10]; S. Barnabam circa annum 70 mortuum [11]. Ergo 1° hæc fuit auctorum catholicorum fides constans N. T. libros genuina esse Apostolorum opera.

2° *Authenticitas Evangeliorum affirmatur ab Hæreticis*, qui infelici successione ab ipso religionis christianæ exordio ad nostram usque ætatem extitere; tales sub ipsis Apostolorum temporibus fuerunt Cerinthini, Ebionitæ, Cerdoniani

[1] Lib. 3 contra hæreses, cap. 1 : « Matthæus in Hæbreis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii.... Marcus discipulus et interpres Petri... Lucas autem sectator Pauli.. Postea et Joannes discipulus Domini... et ipse edidit Evangelium. »

[2] Lib. 4 contra Marcion., cap. 2 : « Constituimus in primis Evangelicum instrumentum Apostolos auctores habere... Denique nobis fidem ex Apostolis Joannes et Matthæus insinuant; ex Apostolicis viris Lucas et Marcus instaurant. » Et lib. de Præscript., cap. 36 : « Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ authenticæ litteræ (Apostolorum) recitantur. »

[3] Anno 189. — [4] Hist. lib. 5, cap. 8. — [5] Dial. cum Tryph. n. 104.

[6] In lib. ad Autol. — [7] Epist. ad Philipp. n. 2, 7, etc.

[8] Expositione sermonum Domini. — [9] Epist. ad Ephes. n. 14.

[10] Epist. 1, n. 13. — [11] Epist. n. 4.

et alii; illud quidem heterodoxis semper familiare fuit, sicut hodiernis hæreticis, ut, sacros libros alienum in sensum detorquendo, eos suis erroribus, licet invitos et reluctantes, accommodarent; at illos mordicus semper habuerunt ut divinos et authenticos, ne viderentur a doctrina Apostolorum recedere, cum ex adversa parte ipsis genuinam eorumdem voluminum interpretationem et auctoritatem semper opponerent catholici; ex utraque igitur parte, constabat eos libros esse authenticos; quis enim hæreticis illis fictitia Apostolorum scripta proferre ausus fuisset.

3° *Authenticitas affirmatur etiam ab auctoribus paganis,* qui adversus religionem christianam scripsere, quales fuerunt Celsus, Porphyrius, Julianus. Nam Celsus philosophus plura ex Evangelicis libris se excerpere profitetur [1]. Porphyrius et Julianus, qui nihil ex his reticuerunt quæ in religionem christianam aliquid opprobrii respergere poterant, de sacrorum tamen codicum suppositione tacent, nec levissimum hujus vestigium insinuant; imo Julianus varia Christi dicta et gesta ex Luca, Matthæo et Joanne decerpsit, et cum, quodam edicto, christianis humanarum litterarum studium prohibuisset: *Eant* inquit [2], *Lucamque et Matthæum in conventibus Galilæorum* [3] *exponant.* Præterea in medium proferri possunt et Judæi, qui nunquam Christianos accusarunt doctrinam suam e libris spuriis hausisse. Ergo, etc.

Prob. 2°. Libri N. T. non potuerunt esse confecti neque viventibus Apostolis, neque post eorum mortem; ergo sunt authentici. — *Prob. antec.* 1° Enim non potuerunt esse confecti viventibus Apostolis, quia ipsi obstitissent, ne ipsorum auctoritate et nomine abuteretur auctor ad corrumpendos variis erroribus homines, quos tantis laboribus ad veritatem evangelicam adduxerant. 2° Neque post eorum mortem; quis enim fidelibus per Apostolos instructus per-

[1] Apud Origenem. — [2] Epist. 24. — [3] Christianorum.

suadere potuisset eos ab Apostolis, dum viverent, accepisse v. gr. epistolas ipsorum manu scriptas, illasque tum privatim, tum publice recitatas audivisse, si revera nec epistolas accepissent, nec quidquam de illis audivissent; adde quod ab exordio fuerunt hæretici qui hæc scripta confecta nunquam recepissent. Ergo, etc.

Objectiones.

Obj. 1°. Libri quidam profani diu habiti sunt ut genuini, qui postea recogniti sunt suppositi; ergo pariter libri evangelici possunt esse suppositi.

Resp. 1°. *Retorqueo argum.* Libri quidam fuerunt suppositi; ergo Ciceronis, Virgilii, Horatii et aliorum opera sub eorum nominibus conficta sunt; id admittant Pyrrhoniani. Sani hominis dialectica tanta non est.

Resp. 2°. *Neg. conseq.* Libri quidam spurii diu habiti sunt ut genuini, quia criterio strictissimæ criticæ non fuerant subjecti; at libri N. T. strictissimis criticæ regulis fuerunt subjecti, nullum omnino exhibent suppositionis indicium, a traditione non interrupta iis auctoribus tribuuntur, quorum nomina præ se ferunt; admittuntur ut genuini ab iis quorum interest illud negare; certissimis nituntur monumentis, in omnium manibus semper fuerunt, facta referunt gravissimi momenti; tandem neque per vitam, neque post mortem Apostolorum supponi potuerunt; Ergo, etc.

Obj. 2°. Primis Ecclesiæ temporibus, ab hæreticis multa Evangelia sub Apostolorum nominibus fraudulenter invecta sunt; ergo pariter nostra supponi potuerunt.

Resp. Hoc argumentum causam nostram juvat, nedum infirmet; nam, si hæc peregrina scripta, ut spuria et commentitia statim repulsa sunt, eodem utique studio ducti primi Christiani quatuor Evangeliorum libros pariter respuissent, nisi eorum sinceritas omnibus patuisset.

Obj. 3°. Sola Christianorum auctoritate scimus N. T.

libros esse authenticos. Atqui hæc probatio nullius momenti, siquidem nemo judex in sua causa esse potest.

Resp. 1°. *Neg. maj.* Constat enim ex dictis non solum Christianorum, sed et Paganorum testimonio stabiliri N. T. librorum authenticitatem. Præterea à Christianismi exordio fuerunt hæretici, Catholicorum infensissimi, qui hæc ut a Catholicis conficta rejecissent volumina, nisi fuissent persuasi illa Apostolorum opera esse genuina.

Resp. 2°. *Neg. min.* Et ad ejus probationem, *dist* : Nemo privatus et cum agitur de litibus in sua causa judex esse potest, C. Populus non potest in sua causa esse judex, N. Undenam enim repetitur authenticitas legum quibus omnes reguntur populi et eorum mores instituuntur, annalium, librorum historicorum, monumentorum, inventionum nisi ex ipsis populis ad quos illa respiciunt ? Atqui N. T. libri continent regimen, leges, statuta, regulas morum, fidei dogmata, destinationem Christianorum. Præterea tunc temporis Christiani jam non erant unius loci et provinciæ, sed ex omnibus fere populis ad quos pervenerat Verbum Dei, Romani, Græci, Arabes, Ægyptii, etc.; et priusquam suum Christo nomen darent, religionis vel Judaicæ vel Ethnicæ principiis erant imbuti, erga novam religionem præjudiciis præpediti, quam si amplecterentur, omnibus sacrificiis vitæque dispendio illam servare deberent; non ergo pia quadam credulitate delusi, sed factorum evidentia victi, Christiani sunt effecti.

§ II.

De librorum N. T. integritate.

Nota. In sacros illos codices leviora quædam irrepsisse menda, saltem negligentia librariorum, nemo diffitetur: sed quæstio est utrum textus originarii sint corrupti quoad partes substantiales.

CONCLUSIO.

Libri N. T. sunt puri et integri quoad substantiam.

Prob. 1°. Quia textus originarius N. T. in rebus ad mores et fidem spectantibus idem est apud sectas, alioquin sibi infensissimas; ergo non est depravatus.

Prob. 2°. Quia nec tempus nec auctores hujus depravationis citari possunt; ergo est fictitia.

Prob. 3°. Nulla potest subesse suspicio rationabilis hujusce depravationis, nam si a Catholicis attentata fuisset, eam illis hæretici mox exprobrassent; si autem ab hæreticis, eorum corruptelas detexissent Catholici, redarguere non prætermisissent, quomodo ex eventu manifestum est; nam, ubi Marcion ex toto Novo Testamento plurima abstulit ac mutavit, ut advertit Tertullianus [1], illa omnia notavit Epiphanius, et in nostris codicibus habentur recte; ubi Ariani abstulerunt ex Evangelio Joannis [2] hæc verba : *Spiritus est Deus* : indicavit et notavit D. Ambrosius [3].

Prob. 4°. Quia non potuerunt hæretici exemplaria Catholicorum adulterare; hæc enim præ manibus non habebant; vice versa, penes Catholicos non fuit hæreticorum exemplaria vitiare; siquidem in ipsorum potestate non erant; ergo libri N. T. quoad substantiam non fuerunt adulterati; sed facta quæ in ipsis memorantur, ad nos usque transmissa sunt integra.

Objectiones.

Obj. 1°. Perierunt autographa Evangeliorum; ergo facile vitiari potuerunt etiam quoad substantiam.

Resp. *Neq. conseq.* Nullam increduli assignare possunt veterem historiam profanam cujus habeamus autographum; numquid idcirco historias omnes in dubium vocant? Præterea a primævis temporibus exemplaria librorum N. T

[1] Lib. 5 contra Marcion. — [2] Cap. 4. — [3] Lib. 3 *de Spiritu Sancto* ap. 11.

fuerunt innumera per universum orbem sparsa, à pastoribus exponebantur et ab omnium Ecclesiarum christianis legebantur. Atqui tanta et versionum et manuscriptorum multitudo invicte obstat ne corrumperentur libri N. T. Quanta ergo fuit facilitas ab omnibus mendis illa repurgandi, collatis scilicet inter se exemplaribus [1].

Obj. 2°. Inter se non consentiunt librorum N. T. exemplaria, in iisque sunt innumeræ variantes lectiones; suas habet unaquæque linæa, ita ut Millius Anglus triginta millia collegerit; ergo sacri codices quoad substantiam fuerunt adulterati.

Resp. *Neg conseq.* Non obstant enim variantes illæ lectiones, quominus sibi quoad substantiam consonent libri N. T.; varietas in verbis est, non in rebus. — Præterea triginta millia quas Millius, et sexaginta millia et amplius variantium lectionum quas cæteri collegerunt, nihil substantiæ detrahunt; non est enim quodcumque profanum opus ejusdem voluminis, in quo multo plures deprehendantur variantes lectiones, quin habeatur propterea ut adulteratus, si innumeræ versiones sibi invicem conferantur, et omnes vel etiam accentuum dissimilitudines minutatim annotentur, ut factum fuit de sacris Scripturis. Quis authenticas negaverit Terentii comœdias, licet in minutiori illo opere plusquam viginti millia variantium deprehenderint eruditi?

[1] Quanta cum cura invigilaverit Ecclesia sacrorum librorum integritati, patet ex his D. Irænæi ad Florentinum verbis: « Tu, inquit, hunc librum transcripseris, et accurate ad exemplar unde transcripseris emendes, et sacramentum istud, quo te obligaverim, similiter descriptum in exemplar inscribas. » Apud Eusebium hist. lib. 5, cap, 5. — Item ex his D. Hyeronimi rogati a Damasio Papa, ut codices sacros in latinam linguam transferret, ait: « Pius labor, sed periculosa præsumptio... Quis enim doctus pariter vel indoctus, cum in manus volumen assumpserit, et a saliva quam semel imbibit viderit discrepare quod lecticat, non statim erumpat in vocem, me falsarium, me clamitans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? »

Obj. 3°. SS. Patres plures scripturæ referunt sententias, quæ hodie non reperiuntur in codicibus græcis aut latinis Ergo, etc. [1].

Resp. *Disting. antec.* SS. Patres referunt sententias quas per traditionem acceperunt fuisse à Christo prolatas, *conc.*, quas ex scripturis traxerunt, *subdist.* quoad sensum, C. quoad verba, *N. ant.*, itaque SS. Patres aliquando Christi sententias laudant, quæ non sunt ex scripturis excerptæ, sed quas ex traditione acceperunt fuisse à Christo prolatas, ut fert Clemens Alexand., cum dicit : *Aiunt ipsum dixisse salvatorem, veni ad dissolvendum opera fœminæ.* Aliquando eas referunt ex scripturis extractas, non quidem quoad verba, sed quoad sensum, ut eas suæ orationi accommodarent.

§ III.

De Novi Testamenti veritate.

Nota. Hic non agimus de veritate doctrinali, sed tantum de veracitate historica. Maximi momenti est quam aggredimur quæstio; nam, si constiterit factorum seu miraculorum, quæ in N. T. libris narrantur veritas, divina prorsus ac supernaturalis sit Christi missio necesse est; quapropter sit :

CONCLUSIO.

Quæ in N. T. libris narrantur facta omnimodam fidem sibi vindicant.

Prob. Facta illa omnimodam fidem sibi vindicant, a quibus omnem falsitatis suspicionem removent vel severioris critices regulæ; atqui ita se habent facta evangelica; factorum enim historicorum veritas ex tribus æstimari solet.

[1] S. Clemens in Epist. 2 ad Corinth. hanc refert scripturæ sententiam Si fueritis mecum collecti in sinu meo, et non feceritis præcepta mea abjiciam vos. » Et Clemens Alex. lib. 3 strom. istam laudat : « Veni a dissolvendum opera fœminæ. »

1° Ex conditione et dotibus scriptorum ; 2° ex ipsa factorum natura ; 3° ex modo quo referuntur; atqui hæc tria simul conjuncta, eam factis evangelicis fidem conciliant, qua major dari non possit.

Prob. prima pars. Cum scriptores plurimi ea facta referunt, quorum vel testes oculati fuerunt, vel coævi, et pro quibus asserendis vitam abjecerunt; et quando ea est ipsorum conditio et indoles, quæ omnem suspicionem removeat, profecto ex ejusmodi scriptorum parte nutare non potest fides historica. Atqui tales sunt scriptores evangelici: 1° quidem fuerunt multi, nempe octo, Matthæus scilicet, Marcus, Lucas, Joannes, Paulus, Petrus, Jacobus et Juda; ex iis autem quinque erant Christi discipuli, qui cum ipso vixere, et testes oculati fuerunt : *Quod vidimus oculis nostris*, inquit Joannes, *quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ... et testamur et annuntiamus vobis* [1]*; et qui vidit, testimonium perhibuit* [2].

Tres vero alii, nempe Lucas, Marcus et Paulus fuerunt illis factis coævi, millies audierunt miraculorum Christi testes oculatos, et sub oculis eorum scribebant. Ergo : 1° facta evangelica a multis referuntur scriptoribus, qui fuerunt testes vel oculati, vel coævi.

2° Eorum conditio, indoles, mores omnem fraudis suspicionem removent; erant enim homines ex infima plebe, pauperes, si Paulum excipias, illitterati, rudes, inculti, omnibus humanis auxiliis destituti, quibus tandem universum orbem decipiendi consilium ridicule affingeretur. Verum integritate morum et innocentia conspicui erant, a dolis et mendaciis alienissimi; in ipsis eminet mirus animæ candor singularis modestia et humilitas, cum omnium oculos in se converterent; commodorum omnium temporalium despicientia, contemptus omnis terreni lucri; sui immemores, Dei et Domini sui honori unice intenti erant; in ipsorum

[1] Joan. cap. 1, v. 1, 2. — [2] Joan. cap. 19, v. 35.

vita et sermone elucet pietas, erga Christum amor, in cruce Christi fiducia : in fideles quanta charitas! in laboribus et ærumnis quanta fortitudo et patientia! quantum gaudium, quando digni effecti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati! Doctrinam prædicant, quæ omnem dolum et mendacium vel levissimum damnat, omnia vitia cohibet, virtutes omnes commendat; cum Christi doctrinam annuntiant, nihil aliud exspectant quam persecutiones, contumelias, labores innumeros et cruciatus, mortem denique quam subierunt, ut veritati testimonium redderent omni exceptione majus. En quos vel improbos impostores dicere oportet, vel in iis quæ prædicant veraces [1].

Prob. secunda pars. Ex ipsa scilicet factorum natura; nam, facta gravissimi momenti diuturna ac permanentia, publica, sensibus obvia, tempori quo narrantur vicina, vel potius auditoribus coæva, ab iis admissa quorum interfuit ea pernegare, nequeunt in falsitatis suspicionem venire; atqui ejusmodi sunt facta evangelica : 1° quidem sunt maximi momenti; agitur enim de nova religione instituenda, de religione Judaica destruenda, de convellenda Ethnicorum superstitione, de omnium vitiis, erroribus et præjudiciis eradicandis, de virtutibus et moribus tam publicis quam privatis instituendis; agitur de innumeris prodigiis, de cæcis videntibus, de claudis ambulantibus, de mutis loquentibus, de ejectis dæmonibus, de mortuis redivivis.

[1] « Dirons-nous, demande J.-J. Rousseau, que l'histoire de l'Évangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente; et les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés que ceux de Jésus-Christ : au fond, c'est reculer la difficulté sans la détruire. Il serait plus inconcevable que plusieurs hommes, d'accord, eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ni ce ton ni cette morale; et l'Évangile a des caractères de vérité si grands, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros. » *Émile*, liv. 4. — Et Pascal : « Je crois volontiers les histoires dont les témoins se font égorger. » *Pensées*, chap. 28

2° Facta illa sunt diuturna, permanentia et publica, non uno vel alio momento, sed toto tempore quo Christus et apostoli evangelium prædicaverunt; non clanculum, sed Jerosolymis, in templo, vel alibi coram innumeris testibus facta. 3° Erant sensibus obvia, palpabilia, et omnibus vestita circumstantiis, ut, si vera non fuissent, ne infantes quidem circa illa decipi potuerint. Ergo facillime mendacii convinci potuissent.

Prob. tertia pars. Ex modo quo referuntur evangelica facta. Modus enim scribendi auctoris veracitatem probat, cum in narratione reperitur candor, simplicitas et accurata circumstantiarum descriptio. Jam vero hæc in scriptoribus N. T. in summo gradu reperiuntur; facta enim vel splendidissima simplicissime narrant : *Ibi crucifixerunt eum* [1]. Nullus unquam scriptor facta tam alta, tam stupenda, ad seipsum aut ad personas ipsis arctissime conjunctas spectantia, stylo tam simplici, tam candide expressit. Sicut miracula Christi, ita ejus passiones, turbationes et ignominias narrant, nec sibimet parcunt; Christum ab uno ex suis discipulis traditum, ab alio negatum, ab omnibus derelictum candide fatentur. Non jactant convicia, non quærimonias in quemquam, sed omnia, nude, simpliciter placideque commemorant; præterea circumstantias omnes loci, temporis, personarum describunt; appellant vicos, urbes, annum, mensem, diem; testium nomina proferunt coram quibus res gestæ sunt; uno verbo, accurate omnia describunt fraudi, si qua esset, detegendæ aptissima, cum illa securitate, quæ propria est homini ingenuo veritatemque dicenti. Ergo tum scribendi modus, tum scriptorum conditio, ingenium, mores, tum factorum quæ referuntur natura, historiæ evangelicæ omnes veritatis ac sinceritatis tribuunt characteres. Ergo vera sunt quæ in N. T. facta narrantur.

[1] Luc, 22, 23.

Confirmatur. Si apostoli decipiendi animum habuissent, vel consilium iniissent texendæ fraudis, vel suo quilibet consilio egisset. Atqui neutrum dici potest. *Non primum*, quidem, alioquin tanta non esset in eorum narrationibus differentia; *non secundum;* alias tanta non esset in eorum narrationibus concordia [1].

OBJECTIONES.

OBJ. 1°. Historia evangelica nihil aliud est quam mythus historicus et philosophicus in decursu temporis confectus, qui vel fanatici zeli, vel ignorantiæ, vel malæ fidei, vel cujusdam humanæ necessitatis est fœtus. Ergo nulla gaudere debet auctoritate historica. Ita ex Strauss et aliis ejusdem furfuris.

Sic Strauss adstruit suum pantheisticum figmentum.

1° Vita Jesus est *mythus historicus;* nam Jesus fuit utique persona realis, natione Judæus, vir pius et ingenio præclarus, at severus et fanaticus. Sibi in mentem fingens se esse Messiam Judæis promissum a prophetis, discipulos sibi adjunxit, doctrinam cœpit prædicare et populorum aurem sibi conciliare intendit, irrito tamen conatu, nam Pharisæi et sacerdotes, quorum vitia dure increpat, illum morte turpissima condemnant et in patibulo suspendunt. Post Christi mortem, apostoli ejus doctrinam ubique spargunt, vitam ejus et mores narrant, adeptos faciunt, novam societatem constituunt, et e vita cedunt, nihil de Jesu scriptum relinquentes. At post longum temporis tractum, eunte fama crescendo, multiplicatis etiam discipulis, qui erant homines plebei, rudes, fanatici, creduli, prodigiorum ama-

[1] « Parce qu'un fait n'est jamais mieux connu que lorsqu'il est plus circonscrit, et qu'un concert secret entre les déposants n'est jamais moins présumable que lorsque les dépositions embrassent les circonstances *essentielles* du fait sans se ressembler dans la manière ni dans les termes, le témoignage veut de dépositions circonstanciées, *convergentes* entre elles, et variées néanmoins dans la forme et dans les expressions. » Bonnet, *Recherches philosophiques* chap. 8 et 26.

tores, historia Jesu innumeris amplificata fuit commentis et fictionibus, exornataque miraculis tum ex V. T., tum ex traditione judaica simulatis. Vitam tandem Jesu Christi sic exornatam fictionibus scriptis mandarunt, circa medium secundi seculi, ingeniosi et fanatici auctores, et sub nomine apostolorum prodiderunt, sive quia præcipui characteres et actus Christi per apostolos traditi sunt, sive ut majorem venerationem et fidem suæ historiæ commendarent. Ergo 1° historia Evangelica est mythus historicus.

2° Est et *Mythus philosophicus;* sub enim Mythicis commentis quibus adornatur vita Christi, expressæ et involutæ fuerunt ideæ dogmaticæ quæ tunc insidebant animis *de humanitatis progressu et perfectibilitate;* unde quæcumque in Evangelio de Jesu referuntur, vera sunt de *humanitate*, et falsa cum de Christo prædicantur : Christus vero nihil aliud est quam figura et symbolum *humanitatis*. Sic autem illud admirabile systema explicatur : Attributorum subjectum seu suppositum ab Ecclesia Christo concessorum, non est aliquod individuum, sed *idea*; ideam dico *realem*, *veram*, non sine realitate in sensu *Kanti*. Proprietates seu functiones in aliquo individuo suppositæ, ut facit in Christo Ecclesia, sibi invicem contradicunt; in idea autem *speciei* conveniunt. Humanitas collectio seu unio *duarum naturarum* est, nempe *Deus factus homo*, hoc est, infinitum quod ad finiti conditionem descendit, scilicet mens sive spiritus finitus *infinitatis suæ memor*. Hæc humanitas *matris visibilis* et *patris invisibilis* est filius, spiritus nempe et naturæ; humanitas est *thaumaturgus* ipse, nam in decursu historiæ humanæ, spiritus vel mens magis ac magis, sive intra sive extra hominem, subjicit naturam, quæ quasi inerta evadit materia in quam suam exercet activitatem; iterum humanitas est *impeccabile* (l'impeccable); siquidem irreprehensibilis est in suis ascensionibus seu progressibus, hoc est in sua *perfectibilitate indefessa*. Unde peccatum seu macula individuum, non vero speciem et ejus historiam attingere

potest. Consequenter, quod *moritur*, quod *resurgit*, quod *in cœlum ascendit*, ipsa est humanitas; siquidem ex rejecta sua naturalitate exsurgit perfectior vita spiritualis, sicut ex rejecto finito a quo terminatur in mentem individualem, nationalem, planetariam, exsurgit ejus unio cum *cœlesti mente infinita*.

Duplici vero ratione illud conceptum, humanitati proprium, personæ Christi accommodatum fuit. 1° Quia individuus ille, attenta sua personalitate et historia, occasio fuit cur prædictum conceptum ad *conscientiam universalem* assurgeret. 2° Quia mundi antiqui et omnium populorum intelligentia assurgere non potest ad ideam humanitatis nisi sub forma concreta alicujus individui...; quemadmodum enim Deus Platonicus suum creavit mundum in idearum contemplatione, ita societas christiana, Christi sui effigiem efformando juxta personam Jesu, et ejus vicem (destinées) intendit, licet inscia, ad ideam humanitatis sub respectu convenientiæ quam habet cum divinitate. Ita ex Strauss in vita J. C. traduct. Littré, sect. 1, cap. 2, verbum ad verbum, in quantum verti potest quod sensu caret.

Resp. 1°. Quod gratis asseritur, gratis negatur. Privilegio gaudent adversarii semper affirmandi sine probatione, aut si se probare jactitant, iterum meras pro rationibus affirmationes suæ imaginationis fœtus afferunt.

Resp. 2°. *Nego antec.* 1°. Quia si historia Évangelica est mythica, utique est inexplicabilis; etenim, in hac hypothesi, tanquam absurda rejicienda erunt omnia miracula, omnes prophetiæ; illisque omnis vis probativa erit deneganda, ut contendit Strauss. Unde vita Christi foret omnino communis, ejusque missio nullis extraordinariis signis probata ac confirmata. Quomodo ergo constituta fuerit societas Christiana? quibus mediis tot homines, natione, indole, præjudiciis inter se diversi, adducti fuerunt ad nomen religioni dandum, quæ omnes passiones impugnat, omnia vitia comprimit, omnes commendat virtutes.

Reponunt adversarii id contigisse, quia primi Christiani erant pauci, rudes, credulι, fanatici. At nemo nescit testimonium Plinii junioris, qui, in sua epistola ad Trajanum, scribit religionem christianam implere civitates, vicos et agros, templa esse deserta et neminem emere victimas; nemo ignorat religionem christianam in civitatibus potissimum fuisse prædicatam, et multos viros scientia et origine illustres et sacerdotes illi nomen dedisse. Neminem etiam prætereunt Christianorum moderatio, sapientia in responsis, patientia in tormentis, charitas in omnes plus quam humanæ; ita nec agunt fanatici. Esto tamen primos Christiani nominis sectatores tales fuisse, quales ab adversariis depinguntur, difficultas non removetur sed amplius crescit; constat enim non natos fuisse Christianos, sed factos; nemo autem præjudiciis ab infantia haustis, cum religionem spectant, firmius inhæret, nemo magis communi aliorum opinione ducitur, quam homines rudes et fanatici. Præterea, vita, mores, facta et doctrina Christi opinionibus apud Judæos illo tempore communiter receptis de persona, dotibus, regno et gloria Messiæ, ac de omnibus a Messia venturo perficiendis repugnant, non minus ac præjudiciis et moribus gentilium, ita ut vita humilis, passio et mors Christi scandalum fuerit Judæis et stultitia gentibus. Quomodo ergo, si narratio Evangelica est mythica, fieri potuit, ut homines pravis opinionibus contra Christum ejusque doctrinam a teneris imbuti, ejus sectatores sint effecti. Deinde, judicio criticorum mythologicæ artis peritorum, mythus, qualis esset Evangelica narratio, nisi post trecentos circiter annos perfici potuisset : unde, cum mythus evangelicus, juxta Strauss, non nisi labente secundo seculo initium habuerit, quarto vel quinto tantum seculo fuisset perfectum; atqui certis monumentis superius probavimus libros sacros jam secundo, imo priore seculo extitisse quales nunc recitantur. Ergo, etc.

2°. Quia Evangeliorum characteres mythi caracteribus

repugnant; in mythis enim pleraque sunt commentitia, personæ, eventus, descriptiones locorum etc... Undique ingeniosa redundat auctoris imaginatio; facta inter se non cohærent, sæpius coætaneam historiam contradicunt, nullis certis nituntur monumentis; minima de re et absque rationabili motivo multiplicantur prodigia, etc... Aût omnino contrarium habetur in historia Evangelica, ut patet ex dictis et infra dicendis. Ergo, etc.

3° Quia, ex hypothesi Strauss absurda fluunt consectaria; non potuit enim ille desipiens vir vitam Christi ad meram fictionem reducere, nisi 1° rejectis historiæ factis quam maxime certis et exploratis ac perspectis, et in eorum loco phantasticæ suæ imaginationis inventa subrogare : nisi 2° injuriam mundo universo inferret, illum per tot sæcula quasi dormitantem vel cæcum et stupidum habendo : nisi 3° conditionis humanæ penitus ignarus, Christianæ religionis propagationem tribuat ipsismet causis quæ vehementius obstant : nisi 4° admittat quamdam indefinitam *humanitatis perfectibilitatem*, quæ nullibi existit nisi in sua imaginatione, quamque experientia omnium seculorum versa fronte contradicit, ut superius annotavimus [1]. Præterea, si ita licet argumentari, omnis ruet historica fides. Ergo, etc.

Inst. 1°. Atqui Evangelica historia est certo mythica : nam commune est omnibus religionibus inniti mythicis commentis. Ergo, etc.

Resp. *Nego antec.* Falso enim asseritur omnes in genere religiones niti mythicis commentis; religiones enim, quarum dogmata et præcepta ab initio fuerunt in scriptis et monumentis publicis consignata ac sic fixa et definita manent, quarum dogmata et præcepta, per successionem non interruptam ab infensissimis hostibus impugnata fuerunt, atque a viris probis et eruditis, qui juxta sanæ critices re-

[1] Cap. 2um, prop. 1a.

gulas fabulosa certis magna cum cura secreverunt propugnata, commentitiæ dici nequeunt; atqui tales fuerunt religio Mosaica et Christiana. Ergo, etc.

Inst. 2°. In Evangelica narratione omnes deprehenduntur caracteres mythici figmenti; nam in ea abundant: 1° prodigia, quamvis sint impossibilia, 2° contradictiones, 3° præcipuæ opiniones quæ passim apud Judæos pervulgabantur ætate Christi. Ergo, etc.

Resp. *Nego antec.* Nedum enim deprehendantur mythi caracteres, imo veritatis et sinceritatis notæ luce refulgent meridiana, ut patet ex dictis.

Ad prob. Resp. ad 1^um^. Contra rationem Strauss negat possibilitatem miraculorum [1]; aliunde historia aliqua non est mythica, eo quod multa narrat prodigia; bene vero quando prodigia narrantur facta sine discrimine et temperantia, pro re minima et sine motivo rationabili; porro miracula Evangelica sunt patrata cum discrimine et semper in gloriam Dei et bonum hominis. Ad 2^um^ resp. 1° Nullas apud Evangelistas reales existere contradictiones, sed apparentes tantum, ut centies explicatum fuit ab auctoribus exegeticis et commentariis contra Deistas, quorum objectiones recoquit Strauss; quia Evangelistæ non eadem facta, aut si eadem, non eodem modo referunt, varietas est et non contradictio [2]. 2° Quamvis in conciliandis Evangelistarum narrationibus quædam remanerent obscura, nihil inde concludendum. Proferant adversarii antiquissimas veraciores historias, in quibus, sive defectu monumentorum, sive ignorantia usuum, morum et institutorum illarum gentium de quibus texuntur historiæ, quædam non occurrant explicatu difficilia. 3° Dato, non concesso, secum aliquando reipsa pugnare, nihil concludi potest contra integritatem et veracitatem Evangelicæ narrationis; siqui-

[1] Vide quæ diximus, ubi de possibilitate miraculi.

[2] Pro resolutione eorum quæ ex scripturis objiciuntur, remittimus ad professorem sacræ scripturæ.

dem ejusmodi contradictiones non attingunt factorum substantiam, utpote quæ versantur tantum circa circumstantias mere accidentales; quanto magis inconcussa manent illa facta de quibus nulla unquam difficultas orta est. Ad 3^um^. Mira adversariorum abstractio vel mala fides! quod juxta sanæ critices regulas est sinceritatis et veracitatis nota, vertitur ab illis in mythicæ signum narrationis. Eodem argumento mythicam esse omnem historiam concluderetur, cum nulla sit quæ de præcipuis opinionibus apud populos communiter receptis in ætate coætanea mentionem non faciat. Cum Christus sit ipse Messias Judæis ac gentibus promissus, cum Jesus omnia adimpleverit in se quæ de Messia venturo fuerant prænuntiata, quo pacto fieri potuit, ut Evangelistæ mentionem non fecerint de omnibus ad personam et actus Messiæ spectantibus?

Obj. 2°. Apostolorum sinceritas ex eo maxime colligitur quod nullum ex sua fraude emolumentum sibi promittere potuerint. Atqui propriam gloriam aliamve mercedem sperare potuerunt, quamvis sua eos spes deluserit. Ergo hæc sinceritas fraudis larva esse potest.

Resp. *Nego min.* 1° Quia laudis humanæ cupidos fuisse Apostolos ipsimet Pagani nunquam objecere; 2° quia toti sunt in commendandis humilitate, patientia, rerumque temporalium contemptu; 3° quia si de factis, quæ narrant ipsis coævis et concivibus certi non fuerint, nulla potuit ipsis spes effulgere ipsos et genus humanum ad se trahendi, et conflictas fabulas persuadendi; 4° quia si quid utilitatis primum sperassent, tot annorum experientia edocti, ab errore suo tandem resipuissent, fraudemque sibi inutilem, imo perniciosam promovere desiissent; 5° quia si aliquod temporale emolumentum intendissent, doctrinam vulgaribus præjudiciis et cupiditatibus accommodatam proposuissent, ut solemne est apud omnes falsarum religionum propagatores. Atqui talis non est agendi ratio Apostolorum. Ergo, etc.

Obj. 3°. Si certissima essent quæ narrant Evangelistæ Christi miracula, Judæi omnes ad religionem christianam convolassent : atqui tamen plerique eam rejecerunt. Ergo, etc.

Resp. Huic difficultati jam responsum fuit, ubi de vi probante miraculi.

Obj. 4°. Facta Evangelica non alia firmantur auctoritate nisi Evangelistarum, qui Christi fuerunt discipuli et amici, quique in propria causa non sunt audiendi. Ergo facta illa non sunt certa.

Resp. 1°. Quamvis Evangelistarum sola auctoritate niterentur facta Evangelica, nihilominus essent indubitata; octo enim sunt, ut jam diximus, scriptores cœvi qui ea referunt et apertissimos sinceritatis characteres exhibent.

Resp. 2°. Non ideo ipsis fides est deneganda, quod fuerint Christi discipuli et amici; numquid enim historiæ Græca, Romana, etc... in falsitatis suspicionem veniunt, quamvis ab indigenis, nempe a Græcis, Romanis, etc... scriptæ fuerint, qui patriæ suæ erant amantissimi? Præterea, cur Christi erant discipuli et amici? Cur pro eo vitam in suppliciis objecerunt? Nonne quia ipsis comperta erat Christi miraculorum veritas?

Resp. 3°. Hæc miracula inficiari non ausi sunt Pagani et infensissimi Religionis Christianæ hostes; imo et ipse Josephus insigne de eis testimonium habet [1]. Ergo, etc.

Ex hactenus dictis concluditur libros tam V. quam N. Testamenti quam maxima pollere auctoritate historica;

[1] Lib. 18 *Antiq.*, cap. 4 : « Fuit hoc tempore Jesus, vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium effector, et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus : cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstiterunt qui primum cœperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit : cum divini vates hæc aliaque quam plurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hunc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus. »

ergo facta quæ in iis referuntur sunt certissima unde duplex consequitur corollarium.

Corollarium 1.

Ergo Moyses divinitus fuit missus, seu divina facta est ac supernaturalis in V. Testamento, per Moysem revelatio.

Ille enim fuit divinitus missus, qui vera fecit miracula, verasque edidit prophetias ad comprobandam divinam sui missionem; atqui, vera miracula fecit verasque edidit prophetias Moyses ad.... etc.

1° Quidem vera fecit miracula, qualia sunt virga in serpentem conversa, flumina in sanguinem, tota regio innumeris scatens ranis, Ægyptius pulvis in ciniphes mutatus, repentina muscarum procreatio, Ægyptiorum jumentorum subita necatio, tonitrua, fulgura, grando hominis voci obsequiosa, columna nubis per diem, columna ignis per noctem in deserto, divisio aquarum Maris Rubri, iisdemque aquis jussu Moysis relabentibus obruti Ægyptii, Manna per quadraginta annos divinitus obtenta, salientes e rupibus aquæ, imperante eodem Moyse. Hæc aliaque similia quæ patravit Moyses ad confirmandam divinam sui missionem, ut videre est in Pentateucho veros miraculorum characteres obtinent.

2° Et veras edidit prophetias Moyses pene innumerabiles; prænuntiavit muscarum et locustarum subitam irruptionem, Ægyptiorum animalium cædem, primogenitorum per angelum internecionem, Maris Rubri divisionem, affuturæ mannæ copiam, horrendum Core, Dathan et Abiron in hiatu terræ interitum, et hæc omnia cum variis temporum, rerum et locorum circumstantiis; sic etiam promissiones et comminationes denuntiando, multa vaticinatur quæ ultimis temporibus experturus erat Israel et præsertim captivitatem Babylonicam. Quæ omnia fideliter evenisse probant historiæ tam sacræ, quam profanæ eorum tempo-

rum [1]. Sic etiam declarat omnes Israelitas viginti annos et supra natos, exceptis Caleb et Josue, in deserto morituros, eorumque filios terra ipsis promissa potituros [2]; atqui omnia hæc vaticinia veræ sunt prophetiæ, ut constat ex supra dictis [3]. Ibi enim vera est prophetia ubi est prædictio certa eventus futuri qui in causis naturalibus prævideri non potuit; atqui prædicta Moysis oracula ita se habent, ea vero comprobavit eventus : ergo, etc. 2° Veras edidit prophetias, aliunde vera fecit miracula : ergo divina ac supernaturalis est revelatio Mosaica [4]. Argutiola quæ opponuntur apud sanctæ scripturæ commentarios vel polemicos diluuntur.

Corollarium II.

Ergo Christus fuit divinitus a Deo missus, seu divina ac supernaturalis facta est in Novo Testamento per Christum revelatio.

Splendidi enim revelationis characteres sunt miracula et prophetiæ : atqui Christus vera miracula, verasque prophetias edidit ad confirmandum divinam sui missionem, ut constat ex novi Testamenti libris. Præterea in se adimplevit oracula quæ de Messia fuerunt edita in V. T., ut probatur in tractatu de Incarnatione. Illi insuper testimonium reddiderunt martyres [5], ejus missionem confirmant excellentia ipsius doctrinæ; mira religionis christianæ propagatio, et conservatio. Quæ tamen, ut validius firmentur sequenti speciali quæstione subjiciuntur.

[1] Levit., c. 26. Exod., c. 19. Deut., c. 27, 28, 2
[2] Num., c. 14.
[3] De definitione prophetiæ.
[4] Idem suadete dicendum de aliis
[5] Je crois volontiers à des témoins qui se font égorger.

(Pascal.)

QUÆSTIO III.

PRÆCIPUA EXPONUNTUR ARGUMENTA QUÆ VERAM AC DIVINAM ESSE CHRISTI MISSIONEM, AC PROINDE DIVINAM ESS REVELATIONEM CHRISTIANAM COMPROBANT.

CONCLUSIO I.

Ex miraculis Christi.

Christus miraculis divinam sui missionem comprobavi eu divina facta est supernaturalis in N. Testamento per Christum revelatio.

PROB. Divina ac supernaturalis illius missio dicenda est quam veris miraculis certissimis comprobavit, maxime si miracula edita fuere ad comprobandum propriæ missionis veritatem, cum illis omnibus adjunctis temporis, loci et personarum; ubi nulla fraus, nullus dolus, nulla hallucinatio esse aut fingi possit : atqui Christus abunde suam a Patre missionem certissimis miraculis comprobavit, cum prædictis rerum adjunctis. Ergo, etc.

Major patet ex dictis ubi de miraculorum notis.

Prob. min. 1° Enim, jubente Christo, aqua in vinum convertitur, morbi etiam contumaces subito sanantur, cæci nati vident, surdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, leprosi mundantur, paralytici surgunt, dæmones ejiciuntur, mortui resurgunt, panes multiplicantur, horrendæ maris tempestates sedantur; Christo moriente, velum templi scinditur, terra contremiscit, saxa confringuntur, monumenta reseruntur et corpora sanctorum e suis monumentis prosiliunt, sol insolitam eclipsim patitur. Ipse Christus mortuus ad vitam sese revocat, cœlos ascendit, Spiritum Sanctum in suos discipulos effundit [1] : Atqui, 1° stupenda hæc opera vera sunt miracula, siquidem certissimis naturæ legibus adversantur, 2° non suspecta, non enim in occulto

[1] Apud quatuor evangelistas, passim.

sunt patrata, sed in vicis, in urbibus populi frequentia celeberrimis, coram ingenti multitudine pleraque acciderunt, testantibus suis infensissimis adversariis dicentibus; *Alios salvos fecit...* [1], in tota regione sic sunt celebrata, ut de iis quandoque publica actione quæsitum sit [2], vel principum judæorum invidiam et regis curiositatem excitaverint [3], 3° prodigiorum multitudo omnibus occasionem illorum veritatis explorandæ suppeditabat, ac omne deceptionis periculum toties repetitis actibus removebat. 4° Ejus generis erant hæc prodigia ut vel rudes de illis, sicut de factis naturalibus judicium ferre possent.

Adde Apostolos etiam, mirabiles Christi testes et præcones, novum illi testimonium perhibuisse, insignia patrando miracula ad divinam testificandam Christi missionem [4]. Ergo, etc.

Object.

Obj. 1° Hæc probatio non valet, quam Christus ipse adhibere noluit in suæ missionis et doctrinæ confirmationem; atqui Christus ipse noluit sua miracula adhibere in etc. Ergo, etc.

Resp. *Neg. min.* Ex innumeris quippe Scripturæ locis comprobatum est Christum ad sua opera vel miracula confugere, ut suæ missionis et doctrinæ veritatem confirmet : *Ego habeo,* inquit, *testimonium majus Joanne.* Quodnam autem illud est? *ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* [5] : pharisæos ipsi fidem detrectantes sic increpuit : *Si mihi non vultis credere, operibus credite* [6]; et, *opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me* [7] : sexenta hujusmodi loca prætermittimus.

Inst. Non semel prohibet Christus, ne ægroti quos sanasse dicitur, illud miraculum evulgarent : *Videte ne quis*

[1] Matth. 27, 42. — [2] Joan., 9, 13, et 11, 47 et seqq. — [3] Matth., 28, 18. Luc, 23, 8. — [4] Act. 3 et 9, 13, 14. — [5] Joan., 5, 39. — [6] Ibid., c. 10, 38. — [7] Ibid., c. 10, 24, 25

sciat, inquibat [1]; ergo suam missionem et doctrinam noluit miraculis confirmatam.

Resp. *Neg. conseq.* Aliquando Christus prohibuit.... Ergo nunquam voluit.... Sane mira argumentatio, nimis aliunde consueta adversariis! Nonne alia bene multa miracula Christus patravit, et illa prædicari præcipit : *Euntes*, inquit Joannis discipulis, *renunciate Joanni quæ audistis et vidistis, quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt*, etc. [2], et uni qui sanus effectus fuerat : *Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et miser tus sit tui* [3] : si quando igitur iis quos sanaverat silentium imperaverit, exemplo suo humilitatem nos docere voluit, ne citra necessitatem accepta evulgemus beneficia.

Obj. 2° Illa facta non probant quæ suspecto nituntur testimonio : atqui miracula Christi suspecto, etc Siquidem Apostolis, qui ea referunt utile fuit mendacium quo ingentem sibi gloriam comparare vel saltem sperare poterant. Ergo, etc.

Resp. *Neg. min. et ejus prob.* Nam tale mendacium non fuisset utile nec in hoc mundo, nec in futuro. 1° Non in hoc mundo, quia ad testificandum de Christi missione, patriam, parentes, amicos, familiam deserere debuerunt, et pro loco gloriæ, maledicta, verbera, carceres, famem, sitim, vincula et tandem mortem aut pœnas mortis omnes sustinuerunt. Quis autem talia in deliciis unquam habuit ? Præterea, de factis agebatur publicis, quæ statim examinari potuerunt, quæque proinde ipsi supponere nullo modo poterant, quin uti mendaces ab omnibus haberentur; ergo 1° utile non fuisset ipsis mendacium in hoc mundo. 2° Nec post mortem in altera vita, cum mendacium in re gravissima æternis suppliciis mulctandum esse et scirent, et prædicarent; ergo, etc. Aliunde non soli Apostoli, sed tot fuerunt testes Christi, quot cives. Ergo facta illa non suspecto nituntur testimonio.

[1] Matth., 9, 30 — [2] Luc, 7, 20 et seqq. — [3] Marc, 5, 19.

Inst. 1° Si vera essent miracula quæ in evangelica historia narrantur, primores Judæorum christianam amplexi fuissent religionem : atqui nonnisi plebei et credulum vulgus, qui nullum examen veritatis factorum instituere valent, iis crediderunt. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Si odio, invidia, cupiditatibus impulsi, et præconceptis opinionibus excæcati, a veritate oculos non avertissent, C. quasi falsa essent quæ de Christo prodigia referuntur, N. Porro manifesta sunt prava motiva quibus primores Judæorum in Christum agebantur, nec Pilatum latebant, cum Christum voluerit remittere indemnatum, *sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum* [1].

Negat. etiam min. Nam multi sacerdotes, et primores christianam amplexi sunt fidem, inter quos Jairus, Zachæus, Lazarus, Joseph ab Arimathea, Crispus, Sosthenes Synagogæ princeps et alii multi insigniores. Inter vero gentiles, Sergii, Pauli, Dyonisii Areopagitæ, Clementis romani, Hermæ, Ignatii et quamplurimorum scientia calentium narratur ad fidem conversio.

Præterea, facta erant publica, palpabilia, omnibus accommodata, de quibus vulgus judicare poterat, sicut de aliis factis naturalibus; jam vero nunquam absque accuratissimo examine quisquam voluptatum, et cupiditatum illecebris abrenunciat, atque famæ, fortunæ vitæque dispendio se objicit, ut debuerunt facere ii omnes qui christianæ revelationi nomen dederunt. Ergo, etc.

Inst. 2° Doctiores Ethnici doctrinam Christi impugnarunt, et hæretici ut emendatores apostolici se gerebant; ergo docebant contraria ; ergo facta evangelica non sunt vera.

Resp. 1° Doctiores Ethnici, libidine, luxu, superbia et falsa sua scientia infatuati, aures Apostolis non præbuerunt, C. novam doctrinam contemnentes impugnarunt, *subdist.* Doctrinam ipsam, C. facta evangelica, N. Cæterum plures Ethnici

[1] Marc, 15, 10.

insigniores nomen dederant Christo, ut diximus. 2° Primi hæretici evangelicæ historiæ fidem negarunt, *Dist.* in quæstione *Juris*, C. in quæstione *facti*, N. Ipsi se gerebant sicut ætatis nostræ hæretici, maxime Protestantes, qui auctoritatem Ecclesiæ spernentes et sensum privatum sequentes in Scripturis interpretandis, in omnia absurda lapsi sunt.

Inst. 3° Ethnicorum qui contra Christi doctrinam scripserunt opera deperdita sunt; fragmentis tantum ab apologetis servatis, quæ minus contra doctrinam Christi faciunt, ut ea facilius refellerent; quod si deperdita superessent, doctrinam christianam fabulis refertam comprobarent.

Resp. Hoc est evocare mortuos in testes. Quod gratis asseritur, gratis negatur. Papæ! tot celeberrima deperdita sunt opera, et si quid eorum supersit, id adversariis debetur! Eccur ergo, invitis tot et tantis argumentis contra Christi doctrinam, illi tum philosophi, tum grammatici, oratores, reges et principes nomen dederunt, idola fuerunt eversa, et Crux Christi ubique gloriose triumphavit?

CONCLUSIO II.

Ex Christi resurrectione.

Juxta historiam evangelicam, Christus mortuus est, tertia die resurrexit, multisque redivivus apparuit; ergo divina est missio Christi, divina proinde ejus revelatio.

Patet consequens, cum illud miraculum editum fuerit in confirmationem missionis Christi, juxta illud : *Solvite templum hoc, et in triduo reædificabo illud*, loquebatur enim de templo corporis sui, et iterum : *Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ : sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* [1]. Ergo.

Prob. ant Duplex est factum, scilicet mors Christi, et ejus

[1] Matth. 12, 38.

resurrectio, utrumque est historice certum. Id patet ex rationibus supra allatis ubi de *miraculis Christi* in genere; sed ad abundantiam *Juris :*

1° Mors Christi est historia certa. Illam affirmarunt Apostoli, centurio, et qui cum eo erant custodientes Jesum [1]; milites qui videntes Jesum jam mortuum non fregerunt ejus crura [2]; Pilatus qui corpus Christi solum permisit e cruce deponi, postquam a centurione resciverit Jesum fuisse mortuum [3], Judæi qui corpus in sepulchro depositum militibus custodiendum tradiderunt [4]. Ergo.

2° Christi post mortem certa historice est resurrectio, nam factum illud historice certissimum est cujus testes nec decipi potuerunt nec decipere voluerunt, nec etiam potuissent, si voluissent. Seorsim probatur pars triplex.

Prob. prima pars. 1° Quia testes factum observare potuisse patet ex spectatis mortis, passionis et resurrectionis circumstantiis; aliunde eorum facultates non erant vitiatæ, et factum resurrectionis erat observabile, ipsis enim non semel aut iterum, sed multoties; non seorsim tantum, sed conjunctim; non unius duntaxat, sed unanimi omnium sensuum testimonio; non uni aut alteri, sed plus quam quingentis testibus manifestatum est [5]. Suis, uno verbo *præbuit seipsum vivum, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei* [6]. 2° Quia maxima cum attentione factum examinarunt, nec nimiæ credulitatis insimulari possunt resurrectionis testes, siquidem, prius deliramenta reputarunt Apostoli quæ ipsis de Christo redivivo nuntiarunt mulieres [7]; item narratur de discipulis Emmaus. Deinde ipsimet Apostoli vel etiam propriis oculis statim non crediderunt [8], imo Thomas narrantibus aliis Apostolis fidem negavit, et se non crediturum dicit, nisi videat locum clavorum et manus immittat in latus Christi, nec prius ancipitem animam de-

[1] Matth., 27, 54. — [2] Joan., 19, 32. — [3] Marc, 15, 41. — [4] Matth., 7, 62. — [5] 1 Cor., c. 15, 4 et seqq. — [6] Act. 1, 3. — [7] Luc, 24, 11. — [8] Luc, ibid., 36 et seqq.

posuit, quam suis votis Christus annuisset [1]; ergo testes decipi non potuerunt.

PROB. SECUNDA PARS. Id est, resurrectionis testes decipere noluerunt. 1° Quia testes præcitati manifestas sinceritatis et veracitatis notas præ se ferunt, ut exposuim 2° Quia tale mendacium non fuisset ipsis utile, tum ex te Dei qui mendacium abhorret, et præsertim mendacium ita sibi injuriosum ut eum scelerati impostoris factorem et patrem faciat, tum ex parte hominum a quibus nihil sperandum erat præter contemptum, supplicia mortemque ipsam; et si ita stupidi fuissent Apostoli, ut aliquid boni ex sua fraude expectarent, ab insana illa credulitate eos liberassent eventus et experientia.

PROB. TERTIA PARS. Scilicet Apostoli decipere non potuissent etiamsi voluissent. Nam ad decipiendum necesse erat ut corpus Christi e tumulo sustulissent sicut stulte finxerunt Judæi; alioquin, ostenso Christi cadavere, omnibus patuisset fraus Apostolorum : atqui non potuerunt Christi corpus tollere, nisi aut per vim, vel seductionem custodum et corruptionem, vel per callidam fraudem, eorum vigilantiam fallendo : atqui nihil horum dici potest.

1° Vim non adhibuerunt. Tanta enim audacia cum timido discipulorum ingenio conciliari non potest. Aliunde nec milites, nec Judæi, quorum multum intererat, hanc ridiculam ausi sunt inferre calumniam. 2° Nec seductionem; tum quia inopes erant, et omni gratia apud alios destituti; tum quia nec milites custodes officio suo unanimiter defuissent; tum quia nec Judæi, a quibus custodes constituti fuerant, id illis unquam exprobrarunt. 3° Nec fraude, vel clam Christi corpus subripuerunt noctu, custodibus dormientibus, ut fabricaverunt Judæi. Ista enim allegatio vanum fuit effu-

[1] Hoc divino factum fuit consilio, ut agendi ratio Apostolorum evinceret ipsos neque stupidos, neque nimium credulos fuisse. *Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem*, inquit S. Greg. M., *quam fides discipulorum credentium profuit.*

gium, et nobis æquivalet testimonio quam maxime affirmativo. 1° Quia ingens lapis occludebat sepulchrum, cui Romanum sigillum erat appositum, 2° milites præpositi erant Romani, strictæ disciplinæ assueti, ab ipsis Judæis accurate electi, quibus caute advigilabunt [1] ac proinde verisimiliter supponi nequit omnes simul dormisse omnesque officio suo, in re tanti momenti defuisse. 3° Quia ipsi custodes dignam sua negligentia a ducibus romanis pœnam subiissent; attamen militum culpa inulta relicta est, in auctores fraudis non injectæ sunt manus, Scribæ et Pharisæi factum alto opprimunt silentio, dum resurrectionem Christi palam annuntiant Apostoli, et in ipsa Hierosolyma apud ipsos Judæos fidem invenire potuerunt! Aliunde, si dormierunt custodes, quomodo furtum detexerunt Judæi? Quis eis nuntiavit corpus a sepulchro fuisse sublatum? Hæc et alia multa inexplicata manent in fabula Judæorum. Ergo Apostoli corpus Christi non sustulerunt, nec proinde potuerunt decipere, etiamsi voluissent; sed non voluerunt decipere, nec decepti fuerunt. Ergo factum resurrectionis Christi est historice certissimum; ergo divina est missio Christi, divinaque ejus revelatio.

Quæ objiciuntur contra Christi resurrectionem facillime diluuntur aut ex dictis, aut per Evangelistarum concordantiam, et si accurate tempora, diversitas apparitionum et personarum distinguantur. Consulantur interpretes.

[1] Principes sacerdotum et pharisæi convenerunt ad Pilatum dicentes : Domine recordati sumus, quia seductor ille (Jesus) dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum et dicant plebi : Surrexit a mortuis, et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus : Habetis custodiam ; ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum signantes lapidem, cum custodibus. (Matth. 27, 63 et seqq.) Judæi ergo diligentissime sibi cavent, timent furtum, prævident furti consequentias, agnoscunt cardinem quæstionis totum in hoc puncto reponi. Quanta ergo cum cautela ad rem vigilare debuerunt! Sed nec in hoc certe defuerunt.

CONCLUSIO III.

Ex Prophetiis.

Illa divina ac supernaturalis est revelatio cujus auctor veris divinam sui missionem prophetiis comprobavit : atqui Christus veris divinam sui missionem prophetiis comprobavit; ergo divina ac supernaturalis est etc. Plurimæ enim in libris evangelicis occurrunt prophetiæ. Tres tantum referemus, quarum 1ª Christum ipsum, 2ª populi judaici calamitates, 3ª Apostolos et Ecclesiam spectat.

1° Suis discipulis prædixit Christus a Judæis multa se perpessurum, gentibus tradendum qui eum virgis cæderent, ludibrio haberent, cruci affigerent, et tertia die ad vitam se rediturum [1]. 2° Templi excidium, nec lapidem super lapidem relicturum, quin non destruatur [2]; modum describit obsidionis [3]; luctuosi illius excidii circumstantias temporis, personarum, modi describit [4]; Judæos esse alios gladio interimendos, alios e patria extorres fore, alios servituti addicendos [5]. 3° Evangelium per universum orbem promulgatum iri, pietatem mulieris quæ caput ejus unguento delibuerat ubique celebrandam [6], gentes omnes evangelicis legibus se subjecturas [7]; quæ cum Evangelistæ scriberent, vix in angulo terræ fieri incipiebant : Spiritum Sanctum in Apostolos effundere promisit [8] ut sint ei testes usque ad ultimum terræ : atrocem Judæ proditionem, Apostolorum, quo tempore passurus erat, fugam, triplicem Petri negationem : adversitatum fluctibus perpetuo jactatam ecclesiam usque ad finem sæculorum, ac Petri successorum regimini subjectam perseveraturam prædixit [9].

Atqui stupenda hæc vaticinia eventu esse confirmata pro-

[1] Matth., 20, 18, 19. — [2] Ibid., 24, 1, 2. — [3] Luc, 19, 43, 44.
[4] Matth , 24, 34. — [5] Luc, 21, 24. — [6] Matth.. 26.
[7] Matth., 24, 14. Marc, 13, 10. Luc, 24, 47, Joan., 12, 32.
[8] Act. 1, 8. — [9] Matth., 16, 18 et 24, 35, et 28, 20.

batur, tum per ipsos evangelicos libros, tum per historias ecclesiasticas et profanas [1], tum per facta exstantia; porro hujusmodi eventus nulla potuerunt humana sagacitate prævideri, et ex illis multa præter communem expectationem contigerunt. Ergo veris prophetiis divinam sui missionem Christus comprobavit.

CONCLUSIO IV.

Ex Martyrum fortitudine.

Divina ac supernaturalis dicenda est Christi revelatio, si christianorum martyrum fortitudo ad eam certificandam, omnibus ejus adjunctis perpensis, quam summum præbeat testimonium, nec sit naturæ, sed gratiæ et virtutis opus : atqui rem ita esse nemo sanus dubitaverit, si martyrum multitudinem, varia suppliciorum genera, et modum quo ea perpessi sunt, expenderit [2].

1° Quidem multitudo christianorum martyrum pene est infinita, cujuscumque ætatis, sexus, conditionis, locorum et temporum. Quanta fuerit hæc multitudo probat persecutionum numerus, leges indirectæ ac directæ quæ Imperio Romano vigebant, per quas ad arbitrium præsidum pote-

[1] Josephus, lib. 7 *de Bello Judæorum.*

[2] Prædixerat Christus imminentes futuras ac continuas in Ecclesiam persecutiones, discipulorum suorum constantiam, fortitudinem ac victoriam. (Joan., 15, 18. Id., 16, 2. Act. 1, 8. Luc, 24, 48. Matth., 10, 16 et seqq.) Ex quibus textibus patet objectum martyrii præcise non consistere in asserendis iis quæ intra mentem sunt posita, in dogmatibus et opinionibus speculativis, in quibus facile deluditur et decipit imaginatio, sed esse aliquid externum, quod nempe sub sensibus cadat, id est facta sensibilia, in quibus decipi non potest, quæque habentur vel de visu, vel de auditu : de iis enim tantum aliquis potest testimonium ferre. Ex qua animadversione (inquit P. Perronne, *de Vera relig.*, c. 4, prop. 5) palam sit, solam religionem christianam, imo solam Ecclesiam catholicam potuisse ac posse martyres habere, quia sola Ecclesia catholica a Christo instituta et fundata potuit esse testis ocularis et auricularis, ob nunquam interruptam ætium successionem, de iis quæ Christus et gessit et docuit, et Apostoli tradiderunt.

rant vexari Christiani per tria et amplius sæcula. Decem persecutiones principales sub imperatoribus ethnicis per tria Ecclesiæ priora sæcula recensentur. Sed omnium crudelissima, sive temporis diuturnitate, sive locorum amplitudine, sive tormentorum atrocitate, fuit sub Diocletiano ejusque in imperio collegis Maximiano et Galerio. Hæc toto duravit decennio, et ab Oriente in Occidentem terram vastavit universam [1].

2° Varia tormentorum genera, quæ tam acerba, tam exquisita, tam multiplicata fuerunt, ut ea solum recolere humana horreat natura, sed nec unquam in scelestissimos homines, aut feras pessimas talia fuerunt excogitata. Non homo sed solum genium malum hæc adinvenire potuit.

3° At modus mirabilis est quo ea passi sunt martyres. Coram tyrannis stabant impavidi, plus mori quam absolvi cupientes. Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tunc martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur [2].

Quibus sic leviter delibatis, ita concludimus cum R. P. Perronne : facta quæ testata sunt a viginti, triginta, etc., testibus fide dignis, tanquam de visu vel de auditu ab iis qui immediate ea inspexerunt, qui interposito jurejurando veritatem confirmant, qui, ne veritatem prodant, patiuntur bonorum jacturam, exilia, adversaque omnia, in quavis legislatione, extra omnem dubitationis aleam posita habentur, quinimo, summum certitudinis gradum attingunt : atqui non centum, vel biscentum, sed myriades, sed innumeri propemodum ex Christianis sunt qui ab exordio Ecclesiæ usque nunc et ubique testati sunt facta quibus christiana

[1] Conf. Cicero, *de Nat. deor.*, lib. 3, c. 19. Origenes, lib. 1. *Contrà Celsum.* Tertull. Apolog. Suetonius. Tacitus, *Annal.*, lib. 15, n. 44. lactantius, de *Morte persecut.* Sulpicius Sever. *Hist. sacr.* Arnob. *Contrà gentes*, lib. 2, n. 3. Libanius, *Parentalis in Julianum.* Sozomenus, etc.

[2] Sulpicius Sever. *Sacr. hist.*, lib. 2.

religio nititur; nec solum interposito jurejurando, sed sanguine ipso effuso, inter acerbissimos diuturnosque cruciatus, quos immanissimi tyranni excogitare potuerunt. Ergo christianorum martyrum testimonium ad confirmandam christianæ revelationis veritatem tale est, ut non modo quamcumque juridicam probationem, sed et legum et naturæ ipsius limites excedat et gratiæ ac virtuti sit deputanda.

OBJECT.

OBJ. 1°. Qui martyrum nomine decorantur, ii non religionis, at seditionis et rebellionis causa interfecti sunt : ergo illorum prætensum testimonium nullius est valoris.

RESP. *Neg. ant.* 1° Quia si Christiani fuerunt seditiosi, cur legio thebena quæ fortissimos bellatores numero 6600 complectebatur, non rebellavit? Cur vim armis non repulit, sed tanquam agni mitissimi, armis ultro depositis, sese trucidandos obtulerunt? 2° Ita numerosi erant Christiani, teste Tertulliano, ut Romanum Imperium evertere potuissent, si tantum ab illo recessissent : atqui tamen ita erant a seditione alieni, ut mortem licet acerbissimam, licet injustam, patienti animo tolerarent. 3° Inter varia imperatorum edicta, nullum occurrit in quo seditionis crimen objiciatur Christianis : eam tantum ob causam damnati sunt, quod Imperii deos adorare, iisque thura incendere detrectarent. Ergo, etc.

OBJ. 2°. Christianorum martyrium nihil evincit si ex stupiditate, vel inani gloriæ cupidine, vel emolumenti cujusdam temporalis spe, vel fanatico furore repeti possit ac debeat; atqui, etc. [1].

RESP. *Neg. min.* Quoad singula membra. Nam Christianorum martyrium repeti non potest 1° *a stupiditate* : Ex eis enim plurimi non minus eruditione et ingenio, quam morum sanctitate insignes fuerunt. Ea enim ætate persecutio

1 Ita auctor libri : *Examen de la religion*, etc., ch. 6. Item auctor libri : *Promenades dans Rome*, de Stendhal.

contigit, qua Imperium Romanum adhuc erat excultum. Aliunde nemo adeo plumbeus et stupidus est, ut data optione, sic innatum omnibus vitæ amorem exuat ut inter delicias et supplicia, inter libertatem et carceres, vitam et mortem, sine causa se determinet ad ea quæ abhorret natura ipsa. Præterea, ipsa sanctorum martyrum acta evincunt, non nisi causa probe cognita et ex intima veritatis persuasione sanguinem suum effudisse.

2° Non *ex inani gloriæ cupidine*. Tum quia probe noverant a religione nostra illam proscribi, per quam omnem martyrii fructum amisissent; tum quia prioribus Ecclesiæ seculis, nihil magis probro erat et dedecori, quam nomen christianum; tum quia paucos reperire est, quos ita moveat gloriæ desiderium, ut pro ea assequenda nihil refugiant periculi.

3° Non *emolumenti temporalis spe*, cum omnium bonorum jacturam pati deberent, et mortem omnium finem subire : divites et nobiles hac spe moveri non potuissent. Aliunde innumeris, si resipissent, opes, honores, commoda, officia publica offerebantur.

4° Neque *fanatico furore*. Qui enim agit æstu fanatismi, cæco impetu ruit. Ast quies animique tranquillitas in martyribus longos inter cruciatus eluxit. Fanatismus præterea, seu animi furor, nunquam simul invasit homines lingua, moribus, locis a se invicem disjunctos, nec diuturnus est, nec responsa sapientissima suggerit, nec amore complectitur inimicos suos, nec orat pro persecutoribus et calumniantibus se, sicut fecisse martyres eorum in actis narratur.

Obj. 3°. Suos quæque religio martyres habuit, suos pagani, suos hæretici jactant : ac proinde nullius est momenti in gratiam revelationis christianæ ex martyribus deductum [1].

Resp. *Dist. maj.* Proferunt eos quos martyres vocant, C.

1 Proderunt Martyrologia Anabatistarum, quorum meminit Bayle in Dict. crit. art. *Anabaptistes;* Martyrologium Anglicanorum quod edidit ex : *Acta et monumenta Eccl.* Item Geddesius, etc.

qui martyres sint cum omnibus illis adjunctis quæ martyres nostros comitari ostendimus, quæque veros faciunt martyres, N. 1° enim nostri numero prope sunt infiniti, alii vero pauci numerantur. 2° Nostri pro factis sensibilibus, splendidis, publicis, de visu vel de auditu probe cognitis; alii autem pro dogmatibus et opinionibus speculativis seu quæ in contemplatione posita sunt, in astruendis propriis placitis. 3° Nostri semper, alii vero nunquam aut fere nunquam cum optione passi sunt; imo justo judicio graviorum criminum rei damnati sunt, cujusmodi fuere Donatistæ [1], Protestantes sub Carolo V, vel in Gallia, vel alibi mulctati [2].

CONCLUSIO V.

Ex religionis christianæ propagatione.

Religionis propagatio quæ in omnibus suis adjunctis spectata, nonnisi Deum auctorem habere potuit, invicte ejus auctoris missionem comprobat; atqui admirabilis christianæ religionis propagatio... Ergo, etc. Religio enim christiana præjudiciis et cupiditatibus contraria, subsidiis humanis destituta, modis omnibus impugnata, per universum tamen orbem celeriter diffunditur.

Prob. per partes min. 1° *Quidem præjudiciis erat opposita.* Agitur enim de propagatione religionis *novæ*, quæ dogmata proponebat rationi impervia, et illi primo intuitu contra-

[1] Ils enseignèrent que la puissance des princes était une usurpation, et que les hommes sans l'Évangile doivent jouir d'une pleine liberté. (Bayle, art. cit.)

[2] Le Calvinisme et toute autre nouvelle secte tendaient à la destruction des royaumes, monarchies et dominations. (Iramiscus I.) Le ministre protestant Jurieu dit : Le cardinal Richelieu, ôtant aux prétendus réformés leurs places de sûreté, agit plutôt par une sagesse politique que par un zèle de religion. Il voyait que c'était un état dans un état, et que ces villes étaient des retraites de *rebelles* et de mécontents. Or, cet esprit de révolte les anime toujours, car un célèbre protestant a dit il y a peu d'années : ***Si la réforme a fait la révolution, c'est son plus bel ouvrage.*** (Vid. *Mémorial catholique*, 2e année, tom. IV, juillet 1825, pag. 21.)

ria. Suadendum erat Judæis, ut legis Mosaicæ ritus et cæremonias, quas hactenus, jure quidem optimo, habuerant divinas, quibusque addictissimi erant, desererent, ut quem hominem, veluti nefarium impostorem, probrosa morte damnaverant, eumdem tanquam verum Deum, et generis humani salvatorem adorarent. Persuadendum erat etiam paganis ut veluti inania simulacra rejicerent, quos hactenus coluerant deos, ut eorum templa et altaria everterent, ut sacrificia et superstitiones, quibus tot a sæculis assueti erant, destruerentur, et Jesum cruci a Judæis affixum tanquam verum Deum vivum venerarentur : atqui hæc omnia ex adversa fronte ita pugnabant cum receptissimis et longo sæculorum tractu firmatis præjudiciis, ut diceret Apostolus[1]: *Nos autem prædicamus Jesum Christum et hunc crucifixum.... scandalum quidem Judæis, stultitiam autem gentibus.* Ergo **1°**.

2° *Et cupiditatibus.* Nam agitur de religione quæ austera præcepta imponebat; v. g. animi demissionem, sui abnegationem, sensuum corporeorum conflictationem, voluptatum fugam, inimicorum dilectionem, etc., quæ nullibi vitiis et cupiditatibus indulgebat, sed omnibus bellum indicebat; quæ cultores suos communi infamiæ et privatorum execrationi objiciebat quippe qui haberentur ut reipublicæ eversores, certissimoque mortis periculo et continuis privationibus optimo jure destinati.

3° *Humanis omnibus destituta fuit præsidiis* quæ novæ doctrinæ gratiam conciliare possunt. Quænam enim sunt potissima hæc adjumenta? Dotes utique præconum naturales; principum auctoritas et favores; temporalis emolumenti spes quædam injecta : ast omnibus illis subsidiis caruit religio christiana; ipsius nimirum præcones sunt piscatores nullis divitiis, nullis viribus, nulla eloquentia, nullis armis instructi; principes non patronos sed infensissimos habet adversarios : nulla boni temporalis promissione homines de-

[1] 1 Cor. 1, 23.

lectat et allicit, sed suis sectatoribus in præsenti vita nihil spondet præter ignominiam, ærumnas, et supplicia. Ergo 3°, etc.

4° *Modis omnibus impugnata fuit.* Etenim propagatur inter gentes flagitiosissimas, et in ipsius excidium conspirant ubique vigens paganismus, philosophorum superbia, rhetorum eloquentia, principum ira, politicorum prudentia, populorum superstitio, sacerdotum invidia, Judæorum perfidia, omnia suppliciorum genera. Ergo 4°, etc.

5° Et tamen non obstitere tot difficultates, quominus religio christiana per universum orbem statim fere diffuderit. Tam stupendi progressus testis est, exeunte primo sæculo, Plinius Asiæ proconsul : *Non civitates tantum*, inquit, *sed vicos etiam atque pagos christianæ superstitionis contagio pervagata est* [1] : item Seneca, apud S. Aug. *Usque eo sceleratissimæ gentis christianæ consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit. Victi victoribus leges dederunt* [2]. Hinc Tertullianus, secundo sæculo, Romanos sic alloquitur : *Hesterni sumus, vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella.... castra ipsa, palatium, senatum, forum, sola vobis relinquimus templa* [3]. Ergo 5°... Ergo.

Quæ cum res ita se habeat, superstringimus adversarios cum S. Aug. ita; hæc propagatio, vel contigit propter miracula, vel sine miraculis : si *primum*, divina est religio christiana, cum certissimam veritatis ac divinitatis notam miracula esse ostendimus : si *secundum*, propagatio hujus religionis est omnium primum maximumque miraculorum [4].

OBJECT.

OBJ. 1°. Ex conjunctione ac veluti concursu causarum

[1] Lib. 1, ep. 97. — [2] Apud S. Aug. *de Civ. Dei*, lib. 6, c. 11.

[3] Apolog., c. 37.

[4] Miracula facta esse non credunt : hoc nobis unam grande miraculum sufficit, quod (*resurrectionem Christi*) terrarum orbis sine ullis miraculis credidit. Lib. 22, *de Civ. Dei*, c. 5.

naturalium ratio habetur sufficiens propagationis religionis christianæ; ergo minime necesse est ad virtutem divinam confugere.

Resp. *Neg. ant.* Concursus quidem aliquot causarum naturalium, ita divina providentia disponente, concurrerunt ad facilius *notitiam* Evangelii propagandam, at vero impares omnino sunt hujusmodi causæ sive collective sive seorsim sumptæ ad impellendum homines ad *credendam* et ad *amplectendam religionem*. Quænam enim causæ principales assignantur ab incredulis [1]? Conjunctio populorum sub una auctoritate Imperii Romani, philosophorum diversitas sectarum quarum plurimæ tum temporis in mysticismum declinaverant, scientia qua lucebat tunc orbis terræ, et insanus idolorum cultus qui sordescere incipiebat, bella et depopulationes provinciarum per barbaros [2] qui Christianismo nomen dabant et facilis scelestorum omnium aggregatio, ipsa Christianorum disciplina, et vivendi ratio, nempe, oblationes, primitiæ, sportulæ, agapæ, convivia, mensæ communes, quæ tum inter Christianos locum habebant; novitas rei et forma miraculorum, quorum potestatem sibi tribuebant Christiani : atqui hujusmodi causæ etiam impares omnino sunt ad explicandam stupendam religionis Christi propagationem.

1° Quidem non *coadunatio* populorum in unum sub una auctoritate; imo plurimum potius ejusmodi Imperii Romani amplitudinem conferre potuisset ad religionem christianam facilius convertendam, cum imperatores et præfecti essent illi infensissimi.

2° Non philosophorum *diversitas* sectarum, nec scientia orbis, nec insanus idolorum cultus; quamvis enim ad desecrendum idolatriam orbis fuisset propensus, quod negari potest quoad multitudinem, numquid idcirco paratus erat ad

[1] Inter. Gibbon in Historia de casu Imperii Romani, c. 15.
[2] Sozomenus, *Hist. eccles.*, lib. 2, c. 6. Theodoretes.

eam religionem suscipiendam, cujus austera sunt dogmata, cupiditatibus et præjudiciis, quæ tum dominabantur, contraria? Esto tamen *aliquot* philosophos rarissimos fuisse propter hoc ad amplectendum novam religionem paratos quoad *aliquas veritates morales*, at omnes indiscriminatim ridiculum esset contendere. Nonne philosophi, nonne oratores, nonne eruditi omnes ingenii sui vires adversus fidem christianam contulerunt?

3° Nec aggregatio peccatorum vel *invasiones barbarorum* qui religionem christianam postea amplexi sunt : illæ invasiones juvarunt quidem ad *notitiam* religionis disseminandam, non vero ad movendos animos ad ipsam amplectendam. Aliunde hac lege admittebantur, ut expoliato veteri homine, novo induerentur. Quid autem divinius quam de peccatoribus, sanctos, de lupis facere agnos [1] ?

4° Nec *disciplina* et *ratio* vivendi Christianorum, nec eorum convivia, etc. Hæc certe commendant sanctitatem et charitatem christianæ religionis, et primorum Christianorum [2], non vero explicant *causam* propagationis maxime cum nomen religioni dantes tyrannorum immanitati, et omnibus suppliciorum generibus debuerunt se objicere, et fama miraculorum sine veritate potius obstitisset quam profuisset, siquidem tanquam impostores habiti fuissent Christiani.

Ergo prædictarum concursus circumstantiarum quomodocumque sumantur, valent quidem in ratione *medii* quo divina providentia usa est, non valent ratione *causæ* proprie dictæ. Ergo, etc.

[1] Tertullianus provocabat Ethnicos, ut proferrent aliquem in carceribus detentum, vel extremo judicio affectum aut conquisitum ob aliam causam præter causam fidei.

[2] Julianus Apostata Arsacium Idolorum Pontificem impellebat ut suos ad meliores fruges vitæ revocaret, dum et in exemplum proponebat *Christianorum benignitatem in peregrinos, curam ab illis debitam in mortuis sepeliendis et sanctimoniam vitæ.* (Epist. XLIX, edit. Spanhein.) At it vanum, quia sanctitas et disciplina christiana est opus gratiæ, fructus religionis divinæ

Obj. 2°. Religionem christianam primum non suscepit isi plebs ignobilis, imperita, credula : ast pervulgatum st illud Senecæ adagium : *Argumentum pessimi turba est.* rgo.

Resp. 1°. Hac argumentatione remittitur difficultas, non olvitur, siquidem postea, non tantum plebs credula sed et hilosophi, sed et oratores, sed et sacerdotes, reges et eru- iti omnes christianæ religioni nomen dederunt.

Resp. 2°. *Neg. ant.* Patet enim ex dictis dum Christus iam gereret in terris, et paulo post suam mortem, innu ieros discipulos fuisse tum ex Judæis tum ex gentibus enere, conditione et doctrina valde conspicuos, licet tamen elative ad numerum Christianorum, Apostolus dicere po- uerit sicut et nunc dici posset : *Non multi sapientes secundum rnem, non multi potentes, non multi nobiles.*

Resp. 3°. *Neg. conseq.* Norunt enim omnes rudem plebe- ulam suæ religioni, suis institutis, suis moribus non mi- us, imo tenacius adhærere, quam viri nobiles et eruditi. uo pacto ergo accidit, ut homines imperiti qui de quæs- onibus non curant speculativis, a falsorum numinum ultu, in quo nati fuerant et instituti, ad eam religionem raducerentur, quæ cum ipsorum præjudiciis, cupiditatibus t consuetudinibus pugnabat, quæ eos durissimis vexatio- ibus et mortis periculo exponebat? Contingere profecto on potuit tam admirabilis animarum conversio, sine plendidis miraculis, sine potentissimo divinæ gratiæ uxilio.

Obj. 3°. Propagationis celeritas falsis religionibus ipsi- ue errori communis est, siquidem Paganismus, Mahume- ismus, Protestantismus celeres habuere progressus; ergo eligionis christianæ divinitatem non probat illius propa- ationis celeritas.

Resp. *Negoparit.* Paganismus enim cupiditates, innatam- ue ad libidines propensionem nutriebat, principumque uctoritate nitebatur; idem dicendum de Mahumetismo,

qui non persuasione, sed vi et ferro, inter arma et cædes accrevit; pariter reformatorum religio iis prorsus viis humanis suam assecuta est propagationem. Religionem vero christianam, cum aliis certe rerum adjunctis, fuisse propagatam, claret ex dictis.

CONCLUSIO VI.

Ex christianæ religionis conservatione.

Religionis christianæ conservatio non minus probat ejus divinam ac supernaturalem originem quam ejus propagatio, si eadem adjuncta occurrant, tum ex parte difficultatum, tum ex parte earumdem defectuum naturalium causarum in iis superandis ad ipsius conservationem, quæ occurrerunt ad ejus propagationem : atqui... etc.

Et sane iisdem cupiditatibus, præjudiciis, persecutionibus, impugnationibus oppressa fuit. Sola enim pluribus conflictata fuit vexationibus, quam ceteræ omnes simul humanæ institutiones. A mille et octingentis et amplius annis, quot pericula, quot certamina habuit sustinenda!

Eam tamen videmus, omnibus superstitem erroribus et falsis religionibus quæ diversis temporibus prodierunt, quæque postquam plus minusve celebritatis obtinuerunt, tandem extinctas esse et in oblivione consepultas videmus; illa vero inter varias rerum humanarum vicissitudines, inter populorum ruinas, inter innumeras imperiorum eversiones immotam stare. Nec conjurata principum potentia, nec obstinata dæmonum improbitas, nec impiæ novatorum ac hæreticorum fraudes, nec philosophorum superbia et argumenta, nec fidelium corruptela, nec temporis diuturnitas, quæ omnia sensim absumit et delet, eam evertere potuerunt, nec portæ Inferi adversus eam unquam prævaluerunt, etc.

Ergo religionis christianæ conservatio, omnibus adjunctis perpensis, nulli causæ naturali adscribi potest, non magis ac ipsius propagatio; ergo non minus quam hæc divinam probat ac supernaturalem Christi missionem.

CONCLUSIO VII.

Ex doctrinæ christianæ excellentia.

Divina sane ac supernaturalis illius missio dicenda est, ui Dei nomine nonnisi doctrinam sive theoricam sive racticam proponit, quæ Deo digna sit, digna homine, digna ocietate, quamque nemo unquam ex philosophis vel exco-itavit, vel excogitare potuit : atqui talis est doctrina quam hristus Dei nomine proposuit. Ergo.

PROB. MIN. PER PARTES : 1° *Deo digna est.* Eum quippe Deum olendum proponit, qui unicus est, omniumque perfectio-um cumulatissimus : qui nullis circumscribitur tempo-um locorumve limitibus, sed ubique sic adest, ut intimam jus præsentiam nihil effugere valeat, qui virtutis remune-ator est scelerumque vindex.

2° *Digna est homine.* 1° Suapte exponit ejus erga Deum fficia, cultumque ipsi debitum, reverentiam scilicet, obe-ientiam, amorem, grati animi et fiduciæ sensus. 2° Chris-anæ disciplinæ sanctitatem ipsam docet, sobrietatem empe, temperantiam, animum in adversis patientem, et i prosperis moderatum præscribit; ambitionem, molli-em, fastum, luxuriam prohibet; tum animi, tum fortunæ onis, ut legitime et juxta voluntatem divinam utamur præcipit; actus, sermones, ipsasmet cogitationes et sensus ipientissimis dirigit regulis, ut in iis nihil nisi rectum sit, eoque dignum. 3° Exponit naturam, statum et finem ho-inis; rationem collustrat, et dirigit, omnia mentis solvit ubia, et honesta cordis desideria movet et implet. Docet nim hominem ex corpore mortali et anima immortali esse onstitutum, eum ad veritatis et Dei cognitionem, virtutem-ue sectandum natum esse, ipsi in altera vita destinatam sse mercedem docet, aut pœnam condignam, prout bene el male vixerit; corpus resurrecturum ut, post legitima ertamina hac in terra gesta, totus homo sedeat et quiescat i cœlo. Docet hominem in meliori statu, nimirum in

sanctitate, et innocentia creatum fuisse, ex ea vero felicissima conditione per inobedientiam misere excidisse. Sic facile solvitur ænigma veteribus nostrisqu pseudophilosophis inextricabile; cur scilicet homo, tot miseriis, morbis et infirmitatibus conflictetur, cur ipsius ratio tam densis tenebris obnebiletur; cur ad vitia tam proni nascantur homines et proclives.

Ne tamen desponderent animum uberrimas validasque promisit gratias; Sacrificium Eucharisticum, propitiatorium, impetratorium, juge atque perpetuum instituit, et sacramenta quibus spiritualis nascitur homo, confirmatur, nutritur, morbo contracto sanatur, ejus sponsor apud Deum constituitur, in matrimonio sanctificatur, et in agone ultima ungitur et roboratur, ut ex hoc mundo ad æternam coronam victor perveniat.

3° *Digna est societate.* Sic enim jure religionem alloquitur S. Augustinus.... « Tu parentibus filios libera quadam « servitute subjungis : parentes filiis pia dominatione « præponis : tu fratribus fratres, religionis vinculo firmiore « quam sanguinis nectis : tu omnem generis propinquita- « tem et affinitatis necessitatem, servatis naturæ voluntа- « tisque nexibus, mutua charitate constringis; tu dominis « servos, non tam conditionis necessitate, quam officii de- « lectatione doces adhærere; tu dominos servis summi Dei, « communis Domini, consideratione placabiles et ad consu- « lendum, quam ad coercendum propensiores facis; tu « cives civibus, tu gentes gentibus, ac prorsus homines « hominibus primorum parentum recordatione, non socie- « tate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. « doces reges prospicere populis, mones populos se subdere « regibus... Ostendens quemadmodum et in omnibus om- « nia, et omnibus charitas et nulli debeatur injuria [1]. »

Testis est etiam Plinius Junior. qui de Christianis ita scribit

[1] S. Aug. *de Moribus Ecclesiæ*, lib. 1.

l Trajanum imperatorem : *Soliti stato die ante lucem convere... Seque sacramento, non in scelus aliquod obstringere; sed furta, ne latrocinia et adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati negarent* [1].

4° *Quamque nemo nusquam ex philosophis vel excogitavit*, c. Probavimus enim ubi de necessitate revelationis, quam ni, quam irriti fuerint philosophorum conatus ad perfecm doctrinæ corpus instituendum. Jam vero religionis ristianæ systema, in omnibus suis partibus prorsus ita est solutissimum, ut in admirationem sui rapuerit vel ipsos ligionis infensissimos hostes [2]. Dogmata a se invicem ndent, officiorum omnium præcipuum fundamentum nstituunt; omnes virtutes docet earumque perfectionem sinuat; vitium vel minimum arguit, validissimaque media ud præbet ad fugiendum; docet hominem unde veniat, id fuerit, ubi et quid sit, quo tendat et quid futurus sit; cet et efficit ut, abnegantes impietatem et sæcularia, pie ga Deum, juste erga proximum et sobrie erga nosmetipsos vamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et advenm gloriæ magni Dei. (Ad Titum, C. 2.) Demum simplicite sua sublimissima omnibus accommodatur. Dei tandem oriam et hominis beatitudinem procurat. Ergo Deo, hoine et societate est digna. Ergo, etc.

[1] Plin., lib. 10, ep. 97.

[2] Je vous avoue que la majesté des écritures m'étonne, la sainteté de vangile parle à mon cœur. Voyez les livres des philosophes, avec toutes rs pompes, qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un livre à la si sublime et si simple soit l'ouvrage des hommes? (Emile, liv. 3, t. 3.)

QUÆSTIO IV.

SUMMARIA ET CONCLUDENS PRÆTER TRES PRÆCITATAS REVELATIONES NULLAM FUISSE DIVINITUS FACTAM, NULLAM IN FUTURUM ESSE FACIENDAM.

I. Ex hactenus dictis patet, possibilem esse aliquam divinam ac supernaturalem revelationem, quia nulla deprehenditur repugnantia, sive ex parte Dei revelantis, sive ex parte hominis recipientis, sive ex parte rei revelatæ [1]: assignavimus insuper veras et genuinas notas seu characteres, quibus divina ac supernaturalis revelatio probe secernitur ab omni humana sive diabolica fraude: cujus modi esse ostendimus, tum ex se, tum ex omnium gentium consensu, *extrinsecas*, miracula et prophetias eventu comprobatas *intrinsecam* autem, ipsam doctrinæ sanctitatem, quæ tanquam revelata perhibetur, quæ nempe promoveat Dei gloriam et bonum hominis [2]. Hanc revelationem ostendimus fuisse omnino necessariam, quatenus complectitur officia hominis erga Deum, erga seipsum, erga proximum, quod probavimus ex triplici capite, 1° quidem, ex eo quod omnes populi etiam litteris, artibus, et scientiis maxime perpoliti, Dei notionem omnino corruperant; 2° ex eo quod ipsimet philosophi antiquitatis etiam præstantiores, circa Dei naturam, turpissimos in errores prolapsi sunt, imparesque prorsus fuere qui homines ex erroribus turpissimis et fœtidis vitiis ad meliores reducerent fruges, et hoc ex triplici intrinseco ipsis inhærente defectu, nec ullum corpus doctrinæ, nullam perfectam conficere potuerint ethicam, quibus homines a tantis eximerentur calamitatibus; 3° tandem, eo quod ipsa ratio humana ipsi solæ derelicta, mouva non suppetit sufficientia ad homines in officio continendos, et a vitiis retrahendos, etiam in iis quæ a lumine naturali cognosci possunt.

[1] Cap. 1. — [2] Cap. 2.

II. Deinde investigavimus utrum Deus homines in tanta necessitate positos sibi ipsis omnino permiserit, an suo piissimo consilio per revelationem adjuverit, et probavimus Deum revera hominibus non defuisse, sed per triplicem successive factam revelationem, ejusdem tamen unicæ ac divinæ religionis, ipsis consuluisse, nempe per primitivam, deinde per Moysem et prophetas, postremo tandem et potissime per Christum, qui gentes omnes ad verum Dei cultum atque ad sanam Ethicam revocavit.

Divinam ac supernaturalem Moysis et Christi missionem esse comprobavimus ex certissimis historiæ monumentis, præcipue vero ex Sacræ Scripturæ, cujus auctoritatem historicam certo vindicavimus; specialiter autem divinam ac supernaturalem Christi missionem, seu revelationis Christi factum extra dubium posuimus, quod ad abundantiam *juris*, ut dicunt, probavimus, tum intrinsecis, tum extrinsecis, miraculis, nempe, et vaticiniis (præsertim ex sua ex mortuis gloriosa resurrectione), Martyrum constantia, Religionis admirabili ac stupenda propagatione et conservatione, et tandem christianæ doctrinæ essentia, quæ ita perfecta, ita sancta, ita per omnes partes connexa est, ut per omnia Deo digna sit, digna homine, digna societate, quamque nemo unquam ex philosophis vel excogitavit, vel excogitare potuit [1].

III. Quod si attendas objecta quibus increduli ac rationalistæ, divinam ac supernaturalem tum Moysis, tum Christi revelationem impugnant, omni fuco, jocis, calumniis et falsæ eruditionis apparatu sepositis, ad sequentes ineptas reducere poteris argutias: homo sibi sufficit, ut sibi sufficiunt alia animantia; ergo omnis revelatio est perpetua hallucinatio: dantur falsæ revelationes; ergo omnes falsæ sunt: plura falsa sunt miracula, ergo omnia; plures abusus sunt in Religione, ergo nulla est admittenda Religio

[1] Cap. 4

plures falsæ religiones celeriter ex causis naturalibus fuerunt propagatæ, et conservantur; ergo et Christianismus: quidam ex fanatico furore, in quavis secta mortem appetere; ergo et omnes Christi Martyres tales habendi sunt: multi degeneres Christiani male vivunt; ergo doctrina christiana nonnisi seductio est, et deceptio. Alia sexenta numerari possent quæ sunt ejusdem stupiditatis vel malæ fidei nævus.

IV. Cum Christus finis sit legis, ad quem et lex et prophetæ referuntur, et quibus Christus adversus Judæos suam divinam comprobavit missionem [1], cumque in ipso lex et prophetæ suum habuerint implementum, ut probatur in Tractatu de Deo Incarnato, consequitur necessario, 1° jamdiù legem [2] Mosaïcam fuisse abrogatam, cum non fuerit nisi quædam ad Christum præparatio, ut adumbratio ad veritatem, figura ad realitatem. Vana proinde spe Judæi eum præstolantur qui diu jam advenit. 2° Sequitur Paganos, Islamitas, Deistas ac Rationalistas et incredulos omnes extra veritatis semitas currere. Constat enim veritatem esse unam, neque opponi posse veritati nisi errorem : porro Paganismus, Islamismus, Deismus, et omnis deniquc incredulitas opponuntur divinæ ac supernaturali Christi revelationi; ergo... Unde concluditur præter triplicem prædictam revelationem, nullam aliam fuisse divinitus revelatam.

3° Sequitur iterum nullam aliam revelationem in futurum esse faciendam, quia 1° Christus Apostolos docuit omnem veritatem [3] : 2° quia præcepit ipse suis Apostolis ut prædicarent Evangelium suum in universum orbem, et tum veniet consummatio; et iterum : *Docete*, inquit, *omnes gentes, et ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* [4]. Ergo doctrina Christi omnibus

[3] Joan., 5, 46, et Luc, 24, 44.

[2] Dicimus legem, non religionem. id est leges ceremoniales, judiciales et politicas.

[3] Joan., 16, 13. — [4] Math., 24, 14 et 28, 19.

temporibus, omnibusque locis. universæ creaturæ prædicabitur, usque ad consummationem sæculi. Ergo.

4° Sequitur tandem solam Ecclesiam catholicam integrum Christianismum constituere, sectas vero non esse nisi Christianismi fragmenta, reliquias, seu segmenta emortua, nec ullo pacto ipsis competere posse veros Religionis Christi characteres, ac proinde nequeunt argumentis quæ deducuntur ex christianæ Religionis propagatione, et conservatione, ac martyrio, uti contra incredulos, quin noceant propriæ causæ, cum in ipsos statim ea retorqueri possint.

DE

LOCIS THEOLOGICIS

QUÆRES 1. *Quid sunt loci Theologici?*

RESP. Sunt sedes, ac veluti promptuaria, ex quibus Theologia sua desumit argumenta.

QUÆRES 2. *Quotuplicis generis sunt loci Theologici?*

RESP. Duplicis, nempe *interni* seu proprii, et *externi* seu improprii.

Loci *interni* sunt *illi, ex quibus Theologia certa desumit argumenta;* tales sunt omnes, qui divina revelatione, atque Spiritus Sancti illustratione, et auxilio nituntur.

Loci *externi* sunt *illi, ex quibus Theologia desumit argumenta tantum probabilia;* eo quod humana tantum fide, aut ratione fulciantur.

QUÆRES 3. *Quot sunt loci Theologici?*

RESP. Si late loqui velimus, sunt decem, quorum sex primi sunt interni, et quatuor ultimi externi.

Loci interni Theologici.

Primus est auctoritas Scripturæ sacræ, libris canonicis contenta.

Secundus, auctoritas traditionis Christi et Apostolorum.

Tertius, auctoritas sanctorum Patrum, qui sunt traditionis testes.

Quartus, auctoritas Ecclesiæ catholicæ, quæ veras Scripturæ traditiones a falsis discernit, earumque genuinum sensum exhibet.

Quintus, auctoritas Summorum Pontificum.

Sextus, auctoritas Conciliorum, præsertim generalium, quæ Ecclesiam repræsentant.

Primus est Theologorum scholasticorum, et juris Pontificii peritorum authoritas.

Secundus, rationis naturalis argumenta.

Tertius, Philosophorum, et Cæsarei juris consultorum placita.

Quartus est humana historia.

* *Nota* 1. Ad genuinam eorum intelligentiam quæ de locis theologicis hic disseruntur, notandam est eorum divisionem in internos et externos strictam prorsus non esse, neque omnes locos internos eamdem vim probativam præ se ferre, aut certitudinem ejusdem generis sub omni respectu efficere. Etenim Scriptura sacra et traditio necnon Ecclesiæ auctoritas inter alios locos internos recensentur juxta communem theologorum viam; attamen sub omni respectu aliis locis internis æquiparari non possunt, aut saltem clare distinguendus est respectivus eorum valor.

Vel enim *Scriptura sacra* ac *traditio* considerantur tanquam *auctoritate privata interpretatæ*, *vel* tanquam *ab Ecclesia dogmatice definitæ* : si prius, majori minorive pollent vi probativa, juxta plurimorum ac magis fundatam uniuscujusque interpretationem et apprime deserviunt ad astruendam veritatem catholicam adversus heterodoxos; sed non probant certitudinem fidei divinæ catholicæ. *Si posterius*, Scriptura ac traditio absoluta et infallibili certitudine gaudent, et inconcussam constituunt regulam fidei divinæ catholicæ. Unde patet, sub hoc posteriori respectu, Scripturam sacram ac traditionem aliis locis theologicis assimilari non posse, sed ad ipsum fundamentum fidei eas esse recensendas. Item cum Ecclesia catholica docet vel dogmatice definit virtute infallibilis divinæ auctoritatis ipsi a Christo concreditæ, constituit regulam proximam fidei divinæ catholicæ, et sub hoc respectu. ipsa æquiparari non potest aliis locis theologicis. At vero diversa ac varia media, quibus depositum doctrinæ christianæ, quod ex ipso originis suæ et institu-

tionis accepit exordio, depromit ac servat, de quibus maxime dicemus ubi de traditione, maximi ponderis suppeditant argumenta ad inquirendam stabiliendamque veritatem, et inter locos theologicos jure recensentur. Igitur sub hoc respectu tantum tractatus de Ecclesia sub titulo de locis theologicis annumeratur.

* *Nota* 2. Omnia quæ ad locos theologicos pertinent tribus tractatibus absolvemus, quorum 1^us^ erit de Ecclesia, in quo etiam expedientur ea quæ Romanum Pontificem et concilia spectant; 2^us^ erit de Verbo Dei scripto seu de Scriptura sacra, et de Verbo Dei non scripto seu de traditione, ubi etiam de sanctis Patribus traditionis testibus, ac de locis externis breviter sermo fiet; 3^us^ de regulis fidei.

TRACTATUS DE ECCLESIA

Nota. Antequam aggrediamur tractatum de Ecclesia et locis theologicis, ex quibus christiana dogmata oriuntur, quædam de religione christiana in genere præmittenda censemus, quæ partim consectaria sunt ejus quem absolvimus tractatus de revelatione, partim introductio quædam ad ea quæ de Christi Ecclesia dicturi sumus. Unde

* PROLUSIONES

CONCLUSIO I.

Revelatio christiana, cujus divinam originem probavimus, illa tantum religionis capita complectitur, quæ a Christo tradita, et ab Apostolis tanquam ad Christi revelationem pertinentia in orbe promulgata sunt.

Prob. 1°. Ex ipsa sua definitione, revelatio est alicujus rei manifestatio a Deo hominibus mediate vel mediant aliquo

facta, unde necessario sequitur revelationem christianam nihil aliud esse, quam religio a Christo divinitus tradita. Ergo quidquid non constat a Christo fuisse traditum, tanquam spurium est rejiciendum, nec potest ad hanc revelationem pertinere. Hinc Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus* [1].

CONCLUSIO II.

Ad revelationem christianam quam divinam probavimus omnia illa necessario pertinent, quæ a Christo hominibus tradita et ab Apostolis tanquam ad revelationem christianam pertinentia in orbe promulgata sunt, illaque omnia pariter sunt amplectenda et credenda.

Prōb. prima pars. 1° Quia omnia illa argumenta quibus religionis christianæ divinitatem probavimus, non ad unam aut alteram partem spectant tantum, sed ad totam et integram Christi doctrinam quam ex mandato Christi per orbem Apostoli prædicarunt: *Docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* [2]. Porro illius doctrinæ veritates omnes et singulas, ita servare et docere debet Ecclesia Christi, ut quælibet perpetua sit, nec unquam possit in Ecclesia deficere. Si quæ enim veritas revelata in Ecclesia intererit, jam non esset *columna et firmamentum veritatis;* jam portæ Inferi adversus eam prævalerent. Præterea si una veritas revelata posset auferri, cur non duæ tres, quatuor, uno verbo, omnes? Eodem utique innituntur fundamento, eadem habent argumenta quibus sustentantur, nempe Dei revelantis auctoritatem. Ergo.

2° Omnis positiva institutio ab eo, qui ejus auctor est, suam formam et naturam habet, ita quidem, ut si aliquam partem amittat, eo ipso desinit esse quod fuit; atqui christiana revelatio est institutio positiva, quæ Christum aucto-

[1] 1 ad Corinth., c. 3, 2. — [2] Matth. 28, 19, 20.

rem habet [1]. Ergo ex illa nihil detrahi potest, quin eo ipso desinat esse quod fuit. Ergo.

PROL. SECUNDA PARS. Quæ est contra systema articulorum fundamentalium Protestantium [2]. Scilicet omnia a Christo revelata sunt pariter amplectenda et credenda. — 1° Ex distinctione articulorum fundamentalium, sequitur plurimas posse negari veritates a Christo revelatas, absque salutis dispendio, alias autem ita esse necessarias, ut, iis rejectis, omnis ad salutem aditus intercludatur : atqui repugnat ejusmodi discrimen inter veritates ad eamdem revelationem pertinentes. — *Prob. min.* Certum est necessitatem credendi fidei articulos aliunde deduci non posse, quam ex ipsa revelatione, seu Dei revelantis auctoritate : revelati sunt enim ut credantur, et pariter, non creduntur nisi quia revelati sunt. Ergo si aliqui ex iis articulis credendi sunt, necessario et alii, quos pariter constat esse revelatos. Præterea, si omnia præcepta a Christo tradita servari oportet, ut fatentur Protestantes; ergo et totam doctrinam credere necesse est, quia a Christo fuit pariter tradita. — 2° Ut in hac materia, in qua quæstio est de eo quod ad salutem necessarium est, certi aliquid statueretur, oporteret omnino ut articulus quilibet, inter fundamentales coaptandus, probaretur non

[1] Ex tractatu *de Revelatione Christi.*

[2] Cum in systemate protestantium, spiritus individualis sola sit fidei regula et Sacrarum Scripturarum interpres, hinc factum ut tot essent sensus quot capita, in religionis doctrina nihil certum haberent, in diversis ecclesiis diversa docerent, alias semper aliasque fidei professiones docerent. Cumque adducti fuerint Catholicorum argumentis ut nullam christianorum sectam potuerint a salute excludere, conati sunt differentiam excogitare inter articulos fidei *fundamentales* et *non fundamentales*. Homo, inquiunt, potest absque salutis discrimine veritates non credere, dummodo ad necessarios fundamentales fidei articulos non pertineant. Ex solis igitur necessariis seu fundamentalibus pronunciandum est de vita et morte Ecclesiæ, eque retinenda vel repudianda ejus communione. Ex his pendet vita et salus hominum; *vix credi potest*, inquit Dallæus, *quantopere sit necessarium advertere hanc differentiam in materia religionis.*

tantum sub ratione *veri*, sed etiam sub ratione *necessarii*, et articulus quilibet, inter non fundamentales annumerandus, probaretur sub ratione *non necessarii* : atqui hæc efficere nunquam potuerunt Protestantes nec poterunt : 1° Quidem id effici non valent ex suo principio, cum enim spiritu privato ducantur, quem articulum unus asserit esse ex *fundamentalibus*, alter negat, et vice versa. 2° Neque ex Scriptura quæ de his omnino tacet, imo absolute dicit : *Qui non crediderit, condemnabitur* [1]. Aliunde Scripturam quilibet pro more suo interpretatur. 3° Neque ex traditione aut Ecclesiæ auctoritate quam rejiciunt.—3° Protestantes docent sine fide articulorum fundamentalium impossibile esse placere Deo et salutem obtinere : atqui hanc fidem nemo Protestantium habere potest ; ergo salus ipsis est impossibilis.

Major patet ex ipsa fundamentalium articulorum definitione.

Prob. min. Ipsis Protestantibus fatentibus, fidem qua creditur ad salutem divinam esse oportet : atqui nemo Protestantium fide divina certus esse potest, articulos, quos ipse admittit, ad necessarios pertinere neque alios præter hos. Ad hoc enim certe dari deberent regulæ quibus articuli fundamentales a non fundamentalibus tuto secernerentur ; atqui nullæ dantur hujusmodi regulæ. 1° Non ex Ecclesiæ vuæ aut doctorum judicio, cum illud judicium, ex Protestantium confessione, non est principium fidei ; 2° Non quia rticuli illi clare præstantur in Scripturis, cum nullibi assignari possint ; 3° doctissimi inter Protestantes in determinandis articulis necessariis ita dissentiunt ut ipsi fateantur onsensionem in hac re optandam quidem esse, sperandam unquam ; ita sint ancipites, ut hodiedum de uno quidem rticulo convenire non possint, nisi charitatis vinculo, ut iunt, quo omnes Christiani in unum in Christo connectuntur [2] ; 4° neque ex consensu perpetuo et universali in ad-

[1] Marc, 16, 16.

[2] Voyez le résultat du dernier synode protestant de Montauban.

mittendis articulis fundamentalibus; nam, vel requiritur consensus metaphysice universalis, et tunc nullus articulus erit fundamentalis, siquidem nullum est dogma quod non fuerit aliquando impugnatum; vel sufficit consensus moraliter universalis, et tunc omnia fundamentalia sunt catholicorum dogmata quæ rejiciunt Protestantes, nam certa constat monumentis illa consensu moraliter universali fuisse ante Lutherum admissa; 5° neque ex interno Spiritus Sancti instinctu et gustu fidelis animæ qui, ut aiunt, sensu magis quam ratione percipitur, quo bonum a malo et verum a falso discernitur, sicut per gustum dulce ab amaro distinguimus; quia nemo non videt quam hæc regula sit arbitraria, fundamento destituta et in praxi illusoria. Quis enim fanaticus, quis impostor non potest hunc instinctum, hunc gustum prætendere? Et cum tanta sit inter Protestantes in determinandis articulis fundamentalibus opinionum diversitas, utique redit et hic tritum illud proverbium : *De gustibus non est disputandum*, quod in praxim misere deductum fuit : ex hac enim regula sicut ex toto Protestantium systemate in articulis fundamentalibus assignandis, ita in indifferentismum prolapsi sunt, ut apud eos multi theologi, ministri et doctores nullum fere, ut diximus, dogma revelatum tanquam fundamentale habeant, nequidem divinitatem Christi. Nugantur ergo Protestantes et deludunt populum inanibus verbis, quibus nullus sensus subest.

Reponunt adversarii : etiam in Ecclesia catholica certamina sunt et dissidia plurima inter theologos; discrimen quoque ponunt inter articulos necessarios et non necessarios. Ergo... Ast respondetur rationem agendi Catholicorum toto cœlo distare a Protestantium principio. 1° Enim inter doctores catholicos nulla est dissentio de fidei articulis, sed de eis tantum quæ ad fidem non pertinent, dum vero Protestantes inter se non consentiunt circa articulos fidei necessarios, quinam sint credendi sub pœna damna-

tionis, quinam vero rejici possint sine salutis æternæ detrimento, quod certe antequam schisma tam horrendum conflarent. determinandum fuisset. 2° Omnes Catholici uno ore confitentur omnes et singulas veritates, seu totam et integram doctrinam a Christo traditam esse servandas et credendas vel explicite, vel implicite, et in eo sensu omnes veritates revelatas tanquam fundamentales habent. *Explicite* quidem et distincte credunt illa dogmata quæ sunt ab Ecclesia sufficienter determinata et proposita; *Implicite* vero, dogmata illa quæ nondum ab Ecclesia fuerunt determinata et proposita; vel si fuerint, eorum non habetur notitia, at illa involvuntur in generali confessione : Credo quidquid credit Ecclesia, sicque dogmata omnia quæ ab Ecclesia credenda proponuntur, fide saltem implicita, amplectuntur. Habet ergo Catholicus certam, determinatam atque facilem fidei regulam, qua omnino caret Protestans, ut supra probavimus. Præterea, ex ipsissimo eorum principio, convincuntur Protestantes fidem divinam explicitam haberi non posse, etiam de articulis quos vocant fundamentales, neque implicitam de quacumque veritate revelata. Prob. 1° Certitudo fidei divinæ illa est qua major esse non potest ac proinde excludit dubium, omnem tollit errandi formidinem : atqui fides formata e Protestantium principio non excludit omne dubium nec omnem errandi tollit formidinem. Etenim ille internus Spiritus Sancti instinctus, seu rationis individuæ divinus sensus, quo se dicunt articulos fundamentales secernere ab iis qui fundamentales non sunt, duo necessario importat correlativa; gratiam scilicet quemlibet articulum fundamentalem cognoscendi sub ratione *veri* et *necessarii* ut amplectatur, et quemlibet articulum non fundamentalem dignoscendi sub ratione *non necessarii* ut respuatur. Sciendum est etiam quod, fatentibus ipsis Protestantibus, Deus gratiam illam nulli deneget Christiano bene disposito. Unde sic argumentatur : Plurima a Catholicis recipiuntur dogmata ut fundamentalia, quæ rejiciuntur a Protestantibus,

plura sunt etiam quæ a Protestantibus admittuntur ut talia quæ rejiciuntur ab aliis christianis societatibus : atqui in his societatibus dantur homines probi, scientia et pietate illustres qui sunt corde bono et volenti animo, quibus utique internus Spiritus Sancti sensus non denegatur. Ergo quod isti rejiciunt ut non fundamentale, probabile saltem non est fundamentale, quod autem admittunt ut fundamentale, probabile saltem est fundamentale. Quis non videt exinde non aliud exurgi nisi dubium universale et perpetua errandi formido a quibus Protestans exsurgere nunquam poterit. Ergo 1°. nec 2°; nam ex eo quod voluerit Protestans alicujus Scripturæ textus indagare, semper recurret ruinosum illud principium. Non amplius igitur potest habere nisi fidem vagam de verbo Dei sine sensu aliquo determinato. Ergo toto cœlo distat agendi ratio Catholicorum a Protestantium.

Corollarium. Ergo omnis religio, quæ aliquid fide divina credendum proponit, tanquam divinitus revelatum, quod a Christo revelatum non est, vel non omnia continet quæ a Christo revelata et ab apostolis promulgata sunt, vera et genuina Christi religio non est.

CONCLUSIO III.

Christus religionem suam universalem esse voluit et perpetuam.

Prob. 1° Dixit enim Christus: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe... et tunc veniet consummatio*[1] Et *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*[2] Et : *Docete omnes gentes... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Ergo christiana doctrina omnibus temporibus et locis, universæ creaturæ usque ad consummationem sæculi prædicanda est. Ergo... 2° Ex variis scripturæ testimoniis[3]. Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire: at non est aliud

[1] Matth., 24, 14. — [2] Marc., 16. — [3] 1 ad Thim. et Act. Ap. 4.

nomen, præter nomen Jesu, sub cœlo datum hominibus in quo nos oporteat salvos fieri : ergo Christus ubique et semper prædicari debet. Ergo religio christiana seu doctrina *Christi* de qua textus illi loquuntur, sicut omnia loca, sic etiam omnia tempora implere debet. Ergo, etc.

CONCLUSIO IV.

Ex omnibus christianis societatibus, una tantum veram ac integram Christi revelationem habere potest.

Prob. 1°. Omnes christianæ societates mire discrepant inter se, ut constat ex earum symbolis; atqui suam tamen doctrinam tanquam a Christo traditam proponunt; ergo dicendum est vel omnes esse falsas, vel religionem christianam contraria et pugnantia continere, vel unicam esse veram : atqui duo priora dici nequeunt. Non 1^um^ scilicet non omnes sunt falsæ, ex conclusione præcedenti; non 2^um^, quia hoc in divinam revelationem cadere non potest; ergo una tantum ex illis est quæ doctrinam Christi puram et integram contineat.

2° Apostolus [1] postquam fideles ad pacem et unitatem in vinculo pacis servandam hortatus est, addit v. 4 et seqq.: *Unum corpus et unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium.* Ergo, sicut unus est Dominus, unum baptisma, ita una fides et unum corpus, id est, unica societas christiana esse debet. Ergo...

Corollarium. Ergo omnis societas christiana, quæ ab hac unica societate, in qua sola omnia ea docentur quæ a Christo revelata sunt, dissentire deprehenditur, eo quod vel non omnia, vel non sola quæ revelata sunt credenda proponit vera et genuina Christi societas esse non potest.

[1] Ad Eph. 4.

CONCLUSIO V.

Ante omnem scripturam existit societas christiana, cui divina Christi revelatio fuit credita.

Prob. Societas christiana seu Ecclesia Dei considerari potest vel quatenus complectitur omnia tempora ab Adamo usque ad finem mundi, seu triplicem statum sub quo revelatio divina extitit, nempe sub lege naturæ, ut dicunt, sub lege mosaïca, et sub lege christiana; vel quatenus est ipsa societas a Christo instituta : atqui sub quocumque respectu consideretur ante omnem scripturam, extitit illa societas, cui credita fuit divina revelatio. 1° Hoc patet de tempore legis naturæ, cum certum sit tunc temporis nullam sacram extitisse scripturam, licet ab initio Deus Adamo et postea patriarchis divinam dederit revelationem, ut probavimus supra ubi de revel. primitiva. 2° Certum est etiam societatem christianam sub lege mosaïca, priorem fuisse scripturis V. T. cum non nisi in monte Sinaï ipsis data fuerit lex quam Moyses scriptis mandavit. 3° Nemini etiam ignotum esse potest a tempore Christi extitisse societatem, seu Ecclesiam Christi sectatores complectentem, et ab omni alia societate distinctam, quæ non alia ratione Christi Ecclesia vocabatur, quam quia a Christo originem ducebat. Quod enim ab ipso audierunt Apostoli, cum eis loqueretur de regno Dei, id instituebant, ut postea scribebat Paulus : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis* [1]. Præterea si Christi sectatores, statim ab exordio propagatæ religionis, Ecclesiam seu societatem peculiarem non effecissent, ergo pertinuissent ad Synagogam, quod si quis serio affirmare auderet, omnino se peregrinum ab historia sacra ostenderet. Si enim ad Synagogam pertinuissent, principes sacerdotum eos non flagellassent, nec lapidassent, nec extra Synagogam fecissent [2], nec Paulus Ecclesiam fuisset persecutus. Aliunde notum est gentiles, cum Christi fidem susceperunt,

[1] Ad Cor. 11, 23. — [2] Joan. 9, 22.

Ecclesiæ fuisse aggregatos, quin circumcisionis et cæremoniarum legalium onus fuerit ipsis impositum. Ergo ab exordio suo extitit Ecclesia seu societas christiana extra Synagogam. Atqui hoc tempore nondum exarati fuerunt libri N. T. siquidem Mattheus primus Evangelium scripsit Hierosolymis circa annum æræ vulgaris 40, nec absoluti fuerunt a Joanne, qui omnium novissimus Evangelium scripsit nisi circa annum 97. Ergo ante omnem scripturam extitit societas christiana, cui divina Christi revelatio fuit credita.

Corollarium 1^um^. Ergo Ecclesia christiana revelationi est coæva, communemque cum illa originem habet.

Corollarium 2^um^. Si societas christiana prior est scripturis, hæc sequuntur: 1° non Ecclesiam scripturis, sed scripturas Ecclesiæ datas fuisse; 2° Ecclesiam Christi aliquando extitisse sine scripturis, nunquam vero scripturas sine Ecclesia; 3° existentiam Ecclesiæ Christi cum suis notis et privilegiis probari posse absque scripturarum testimonio, non vero scripturas absque testimonio Ecclesiæ [1]; Ecclesia enim semper fuit societas vivens, sui similis, suique generis, semper docens et perseverans in suo magisterio. 4° Scripturas ex Ecclesia recipi debere cum omnibus Ecclesiæ interpretationibus: etenim scripturæ sacræ nihil aliud sunt quam divinæ Christi revelationis (quoad partem) exaratio. Jam vero si hæc divina Christi revelatio Ecclesiæ credita fuerit ante scripturas, ad ipsammet solam Ecclesiam pertinet pronuntiare qualis sit genuinus sensus scripturæ, qui recte veritates sibi revelatas et concreditas exprimit. Scripturæ etenim sunt Ecclesiæ patrimonium, per quædam ejus membra et in ea et pro ea confectæ.

Corollarium 3^um^. Ergo prior omnium actuum fide *dispositive* sumptæ, quando agitur de Ecclesia Christi et

[1] Hinc patet quam immerito novatores obtrudunt Catholicos se implicari in circulo vitioso, seu petitione principii, quando probant infallibilitatem Ecclesiæ per auctoritatem scripturæ. (Vid. infra Tract. de Ecclesia, cap 4^um^, art. 4, §. 1. obj. 2.)

scripturis, est circa existentiam et infallibilitatem hujus Ecclesiæ, vel alio modo : Ecclesia Christi est regula externa infallibilis proponens quæ sint vel non sint a Deo revelata, propter signa credibilitatis per quæ Ecclesia præ sectis demonstratur.

Hoc patet ex dictis, nam si Ecclesia Christi est christianæ revelationi coæva; si Ecclesia ista diu viguit absque libris N. T.; si ipsa sola sit scripturæ fidelis custos et legitimus interpres, ita ut de illius canonicitate, veritate, integritate et sensu nativo constare non possit, nisi per judicium et testimonium hujus Ecclesiæ, necessario sequitur ante omnia admittendum esse, illam Ecclesiam divinitus esse institutam, illamque gaudere infallibilitate, virtute oralis Christi concessionis : alias impossibile esset ultra progredi, et aliquem elicere actum fidei de his quæ Christianus profiteri debet. Igitur, ordinarie nullus actus fidei elici potest nisi dependenter ab auctoritate Ecclesiæ a qua deducendum est tum existere revelationem, tum talem esse sensum revelationis circa illam aut aliam peculiarem veritatem.

Porro sic proceditur in hoc negotio. *Primo* attenditur ad motiva credibilitatis [1], et per ipsa motiva suadetur revelationis christianæ divinitas, quæ directe, principaliter, et immediate super illa motiva fundatur. Hæc autem motiva credibilitatis sunt miracula stupenda et prophetiæ eventu probatæ Christi et Apostolorum, quæ principue, directe et immediate patratæ sunt ad demonstrandam divinitatem missionis Christi et discipulorum ejus, atque ad confirmandas, auctoritate divina, veritates quas populis viva voce enuntiabant, sive postea scripto mandatæ illæ fuerint, sive non.. prædictorum vero motivorum deprehenditur certi-

[1] Vide tract. de fide. Hic loquimur de homine adulto acatholico, qui fidem veram proponit amplecti, vel de adulto catholico, qui de sua fide rationem sibi reddere proponit. Nam in infantibus actus illi fidei, sicut alii sunt mere supernaturales et fructus virtutis fidei in baptismate infusæ, nisi velis infantium matrum testimonium sufficiens illis esse motivum credibilitatis.

tudo ex iis quæ diximus in tractatu de divina revelatione.

Secundo. Sicut ex iis motivis credibilitatis primus procedit assensus divinæ revelationi, ita et procedit primus assensus auctoritati Ecclesiæ tanquam rei judicio rationi evidenter credibili. *Tertio* tunc homo, innixus divina et infallibili auctoritate Ecclesiæ, ex motivis credibilitatis demonstrata, ex qua exurgit certitudo humana qua major exstare non potest in ordine naturali, adjutus gratiæ supernaturalis auxilio, primum supernaturalem elicit actum fidei divinæ catholicæ in ordine supernaturali, de infallibili auctoritate Ecclesiæ et de omnibus aliis veritatibus ab illa auctoritate propositis tanquam in revelatione divina contentis.

*At, repones, quomodo credi potest Ecclesiæ Christi infallibilitas, cum ipsa infallibilitas sit prius anteponenda omni actui fidei? Resp. Eodem utique modo quo Apostoli et alii primi Christi discipuli divinitatem ejus agnoverunt et confessi sunt ex motivis credibilitatis quibus fuerunt convicti. Idem enim est ipsis et nobis actus fidei de Christi divinitate et ejus Ecclesiæ divina institutione. Ipsi fuerunt testes oculati, nos autem testes auriti, ipsi viderunt Christi miracula oculis corporis, nos vero mentis; historia enim cujus veritas est comprobata oculus est cæcorum et absentium, sicut oculus corporis est historia, ut ita dicam, præsentium : *Non enim solum visu rerum præsentia comprobatur.* Jam vero inspiciamus quomodo primi Christiani in Christum crediderunt : 1° vident miracula quæ facit Jesus. 2° Ex illis concludunt ad ejus divinam missionem, *a Deo venisti magister,* inquiunt illi, *nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis nisi fuerit Deus cum eo* [1]. 3° Ex illa divina missione concludunt : ergo Christus est veritas et ejus testimonium est accipiendum, cum Deus sibi contarius non sit. 4° Ex illa iterum veracitate Christi concludunt, adjuti gratiæ supernaturalis auxilio, ad ejus divinitatem sic : atqui

[1] Joan 3, 2.

Christus de se testimonium perhibet quod Deus filius sit, et tandem inferunt: ergo Christus est Deus. Vides in iis esse plura quæ lumine naturali, non tamen exclusa gratia, comparantur; plura vero esse quæ, utpote rationis humanæ captum superantia, credi non possunt sine gratiæ supernaturalis auxilio, et constituunt verum actum fidei supernaturalem. Jam vero, si prædicti Christi discipuli ad futura sese extendissent, eodem modo de Ecclesia Christi prædicassent ac de ipso Christo; Christus, dixissent, est Deus; nobis locutus est et veritates æternas nos docuit nobisque illas credidit quæ scriptis vel traditione mandatæ erunt; magisterium instituit quod has veritates custodire et prædicare debet, promisitque cum illo esse usque ad consummationem sæculi; ergo illud magisterium divinitus constitutum, divinitus missum, est custos fidelis infallibilisque divinæ revelationis interpres. ergo quisquis veram revelationem Christi assequi desiderat, ad illud magisterium accedere debet et ab illo tanquam infallibilem de sensu hujus revelationis judicem, fidem suam accipere. Quod autem illi primi Christiani fecerunt, se ad futura extendendo, facimus retro nos aspiciendo : at, quia quantumvis sint motiva humana credibilitatis de illius magisterii integritate, ratio tamen humana assequi non potest quomodo alicui detur hominum societati omnimoda infallibilitas et inerrantia quæ soli Deo competit, maxime cum agitur de his quæ captum superant humanæ rationis, ideo requiritur gratia supernaturalis ad actum fidei eliciendum de Ecclesiæ infallibilitate.

CONCLUSIO VI.

Scriptura sacra sola totam et integram Christi revelationem non continet, sed requiritur insuper traditio.

Prob. 1° S. Paulus scribens ad Thessal. [1] dicit: *Tenete*

[1] Thess. 2, 14.

traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. S. Joannes [1] declarat se multa omisisse ex iis quæ Christus fecit. Item in secunda et tertia epistola [2] profitetur se plura adhuc habere scribenda, sed velle magis *os ad os loqui*. Iterum S. Paulus Apostolus volens quosdam contentiosos compescere, contrariam Ecclesiæ consuetudinem illis objicit dicens : *Nos talem consuetudinem non habemus nec Ecclesia Dei* [3].

Prob. 2°. Velint nolint adversarii, fateri debent non omnia quæ a Christo sunt revelata in scriptis contineri, nam v. g. translatio Sabbati in diem dominicam non continetur in verbo scripto : atqui tamen diem dominicam habent tanquam institutione divina. Ergo requiritur traditio de qua agetur ubi de locis Theologicis.

CONCLUSIO VII.

Scriptura et traditio de se non tam clare divinam revelationem proponunt ut non indigeant, medio subsidiario infallibili interpretandi.

Prob. Propositio patet ex modo dictis et infra dicendis; aliunde existunt scripturæ veræ et scripturæ falsæ; item etiam scripturæ vel traditiones veræ continent plura, quæ vel obscura sunt, vel quæ implicite tantum et quasi per modum principii concipiuntur. Requiritur ergo medium subsidiarium, quo vera a falsis secernentur, obscura elucidentur, et implicita uberiori et infallibili explanatione recenseantur. Porro istud medium est Ecclesia de qua nunc agendum est.

Nota. Ex tractatu præcedenti patet hominem indifferentem esse non posse, cum ei aliqua religio ut divinitus revelata proponitur. At vero plures sunt religiones inter se diversæ, quæ se christianas dicunt. Ex illis tamen una tantum vera Christi religio esse potest, ex propos. quarta

[1] Evang., cap. ult. — [2] 2 Joan. 12, et 3 Joan. 14. — [3] 1 Cor. 11, 16.

prolusionum. Igitur cuilibet incumbit obligatio omni studio investigandi quænam, ex illis religionibus quæ Christi nomine decorantur, sit vera et genuina Christi revelatio. Ergo si probamus solam Ecclesiam catholicam esse veram et genuinam Christi Ecclesiam, et consequenter ab illa sola possideri totam et integram Christi revelationem, sequitur quemlibet ad eam amplectendam obligari, ut, omnibus pravis erroribus et dubiis rejectis, sui saluti æternæ consulatur. Nam sicut in indagatione veræ revelationis divinæ dicere possumus contra incredulos : *Solutio omnium difficultatum Christus est;* ita nunc ubi de sensu et de integritate eorum omnium quæ a Christo tradita sunt aptissime responderi potest : *Solutio omnium difficultatum Ecclesia catholica est.* Nam semel stabilita Ecclesiæ catholicæ auctoritate, necesse est errores omnes uno quasi ictu corruere, et omnes sedari conscientiæ perplexitates.

Quod in quatuor dissertationibus absolvemus : in prima erit de Ecclesia in se spectata; in secunda, de Romano Pontifice et Conciliis; in tertia, de propositionum heterodoxarum censuris; in quarta, de præcipuis Hæreticis.

DISSERTATIO PRIMA.

De Ecclesia in se spectata.

Omnia quæ spectant Ecclesiam in se consideratam, ad quatuor capita revocabimus; quorum *primum* erit de nomine et essentia Ecclesiæ; *secundum,* de ejus membris; *tertium* de ejus notis; *quartum,* de ejus dotibus.

CAPUT I.

DE NOMINE ET ESSENTIA ECCLESIÆ.

Nota. Licet Ecclesia, ex vi nominis græci, significet cujuslibet multitudinis congregationem, etiam malorum, juxta illud Psalm. 26. *Odivi Ecclesiam malignantium;* communi

tamen Sacrarum Scripturarum et Sanctorum Patrum consuetudine, ad fidelium christianorum collectionem significandam usurpatur, et tunc potius convocationem, quam congregationem significat, quia omnes qui ad eam intrant, non suis meritis, sed gratis a Deo eos præveniente ad illam vocantur; et sic sumitur duobus modis.

1. *Materialiter*, pro loco in quo fideles ad laudes Dei persolvendas convenire solent, sic Judith. 6. *Per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt.*

2. *Formaliter*, pro fidelium cœtu, abstrahendo a locis in quibus hujusmodi societas reperitur; de Ecclesia sic sumpta intelligitur illud Apostoli ad Galat. 13. *Persequebar Ecclesiam Dei.* Ecclesia sic intellecta iterum dupliciter sumitur, *late* nimirum et in communi, quatenus complectitur Ecclesiam triumphantem in cœlis, patientem in Purgatorio, et militantem in terris, sive ante, sive post Christum; et *stricte*, seu in particulari, pro societate fidelium christianorum.

Ecclesia stricte sumpta, rursus sumitur tripliciter :

1. Pro Ecclesiæ Pastoribus [1], *Dic Ecclesiæ.* Quæ verba intelligi possunt de solis Ecclesiæ Pastoribus, quibus paulo post ligandi et solvendi potestas conceditur.

2. Pro una particulari Ecclesia [2], *Ecclesia quæ est Corinthi.*

3. Pro Ecclesia per universum orbem diffusa.

Porro hic quærimus essentiam Ecclesiæ, tum *late*, seu in communi, tum *stricte*, seu in particulari sumptæ, licet de sola Ecclesia stricte sumpta in toto hujus capitis progressu simus acturi. Itaque.

Quæres 1. *Quid sit Ecclesia late, seu in communi sumpta prout complectitur Ecclesiam triumphantem, patientem, et militantem?*

Resp. Est *cœtus Sanctorum, sub uno capite Christo, Deo servientium.*

Dicitur 1. *Cœtus*, pro genere, per quod convenit cum aliis omnibus societatibus, sive sacris, sive impiis.

[1] Matth. 18. — [2] 1 Cor. 2.

Dicitur 2. *Cœtus Sanctorum*, tum sanctitate interna vel perfecta, qua sancti in cœlis prædíti sunt, vel imperfecta aut inchoata, quam habent justi in terris militantes, et in Purgatorio patientes; tum sanctitate externa, quam habent fideles peccatores, propter sanctæ fidei professionem

Dicitur 3. *Sub uno capite Christo :* quem Deus *dedit caput supra omnem Ecclesiam* et sub quo constituuntur, non solum fideles in terra militantes, sed etiam beati in cœlo, et animæ in Purgatorio per fidem quam olim habuerunt, et cujus merito debitum beatitudinis assecuti sunt, imo et fideles veteris Testamenti per fidem quam in Christum venturum professi sunt, de quibus dicit Aug. « Et ipsis caput « est Christus, qui licet in carne necdum venisset, ventu- « rum tamen credebant, et ex ea fide, pie justeque vive- « bant. »

Dicitur 4. *Deo servientium;* quæ verba denotant Ecclesiæ fidem; omnia enim Ecclesiæ membra unius veri Dei cultu latriæ, tamquam spiritali compage inter se uniuntur.

Quæres 2. *Quid sit Ecclesia stricte sumpta pro societate fidelium christianorum in terra militantium ?*

Resp. Recte definitur a Bellarmino : *Cœtus hominum viatorum, unius et ejusdem fidei christianæ professione, et eorumdem Sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue Romani Pontificis, Christi in terris vicarii.*

Dicitur 1. *Cœtus hominum viatorum :* per quod ab Ecclesia militante excluduntur tum beati, tum animæ in Purgatorio existentes.

Dicitur 2. *Unius, et ejusdem fidei Christianæ professione :* er quod excluduntur Infideles, Hæretici, et Apostatæ.

Dicitur 3. *Et eorumdem Sacramentorum communione :* per quod excluduntur Catechumeni, qui nunquam ad Sacramentorum participationem fuerunt admissi; et excommunicati, qui per Ecclesiæ censuram ab eorumdem participatione sunt præcisi.

Dicitur 4. *Sub regimine*, etc., per quod excluduntur Schismatici, qui, licet eamdem fidem habeant, eademque Sacramenta, tamen quia legitimo Pastori non subduntur, foris extra Ecclesiam, fidem profitentur ac Sacramenta percipiunt.

Dices *cum Launoio*: Illa definitionis verba, *sub regimine*, etc., sunt superflua; ergo illa definitio non est bona.

Resp. *Nego ant.* Illa enim verba pertinent ad essentiam Ecclesiæ; nam Ecclesia essentialiter est corpus, nullum autem est corpus sine unione membrorum cum capite, et subordinatione eorumdem ad caput; ergo, etc. Unde D. Cyprian. [1] Ecclesiam definit: *Plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhærens.*

Inst. 1. Illa verba, *sub regimine*, etc., pertinent duntaxat ad Ecclesiæ statum; ergo non pertinent ad ejus essentiam.

Resp. *Dist. ant.* Pertinent ad statum Ecclesiæ essentialem, *conc.* accidentalem, *nego ant.* Ecclesiæ enim in terris militanti, prout fuit a Christo instituta, essentiale est, ut regatur a Pastoribus, inter quos Romanus Pontifex, instar capitis, eminet.

Inst. 2. Illa definitio non facit mentionem fidei, spei, et charitatis, quæ sunt anima Ecclesiæ; ergo est mala.

Resp. *Nego conseq.* Neque enim definimus Ecclesiam prout constat corpore et anima, sed solum prout est visibilis; visibilis autem est secundum corpus, non secundum animam; pro cujus solutionis elucidatione,

Notandum est ex D. Augustino [2]. Ecclesiam esse corpus vivum, constans anima et corpore; anima Ecclesiæ sunt Spiritus Sancti dona, fides, spes, caritas, etc., corpus sunt externa fidei professio, et Sacramentorum communicatio sub legitimis Pastoribus. Ex quo fit, ut quidam sint de anima et corpore Ecclesiæ; tales sunt justi, qui dona Spi-

[1] Epist. 69 ad Papinian. — [2] In Breviculo collationis, collat. 3

ritus Sancti intus foventes, exterius profitentur, etc., quidam sunt de anima tantum, ut Catechumeni; et quidam de corpore tantum, ut illi qui, nullam habentes internam virtutem, profitentur fidem, et in Sacramentis communicant sub regimine legitimorum Pastorum; tales sunt peccatores et injusti.

Definitio igitur nostra eos solum comprehendit, qui sunt de corpore Ecclesiæ, ut quis dici possit pars visibilis Ecclesiæ : quod diligenter observandum est, ut sequentem quæstionem dilucide investigamus.

CAPUT II.

DE MEMBRIS ECCLESIÆ.

Quæstio procedit : 1, de non baptizatis; 2, de prædestinatis et non prædestinatis; 3, de justis et impiis; 4, de hæreticis et schismaticis; 5, de excommunicatis.

ARTICULUS I.

Nota. 1 Non baptizati, vel sunt Infideles, vel Catechumeni, qui per varia pietatis et instructionis exercitia ad Baptismum disponuntur.

Nota 2. Certum est infideles non baptizatos, non esse membra Ecclesiæ; nam Apost. 1 *Cor.* 5, aperte testatur eos, non intus, sed extra Ecclesiam esse : *Quid enim mihi*, ait, *de iis qui foris sunt judicare?* De solis ergo Catechumenis est difficultas, quæ ut solvatur :

CONCLUSIO.

Catechumeni non sunt actu membra Ecclesiæ, sed tantum potentia.

Prob. Nullus constituitur membrum Ecclesiæ, nisi per Baptismum; atqui Catechumeni non sunt baptizati. Ergo.

Prob. maj. 1. Ex Act. 2. *Qui receperunt sermonem ejus, bap*

tizali sunt, et appositæ sunt (utique ad Corpus Christi, quod est Ecclesia) *in illa die animæ circiter tria millia;* ergo, licet prius crediderint, non sunt in Ecclesiam *appositæ*, nisi per Baptismum.

Prob. maj. 2. Ex Conc. Flor. dicente : *Baptismus vitæ spiritualis janua est*, per ipsam enim *membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ*. Et Concil. Trid. [1] vetat, ne *Ecclesia in neminem exerceat judicium, qui non prius in ipsam, per Baptismi januam, sit ingressus*. Ergo, etc.

Confirmatur. Quia Catechumeni, licet veram Christi fidem profiteantur, veram caritatem habeant, tamen non admittuntur ad Sacramentorum communionem, nec ullum jus habent ad ea bona quæ sunt Ecclesiæ communia, antequam baptizentur; ergo nondum pertinent ad corpus Ecclesiæ.

Objicies : Illi sunt actu in Ecclesia, qui possunt salvari : nam ex Conc. Later. sub Innoc. III. *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur*. Atqui Catechumeni, morientes ante Baptismi susceptionem, possunt salvari, ut docent Div. Ambros. [2] et D. Thom. [3]. Ergo.

Resp. *Nego maj*. Ad hoc enim ut quis salvetur, non requiritur absolute, ut actu sit in Ecclesia, sed sufficit, ut in ea sit per sincerum cordis desiderium, nec per eum stet, quin in eam actu per Baptismum ingrediatur; Catechumeni autem sic sunt in Ecclesia, in quam non intratur actu nisi per januam, quæ est Baptismus, unde sunt tantum de anima, non de corpore Ecclesiæ, cui per solam Baptismi susceptionem conjungi possunt.

Inst. 1. Arca Noe erat figura Ecclesiæ; atqui nemo fuit salvus extra Arcam Noe, etiamsi desiderio fuisset in illa; ergo nullus, qui solum sit in Ecclesia desiderio, potest salvari.

Resp. *Nego conseq*. Nam *similitudines non debent convenire in omnibus*, ait Bellarm. [4]. Nam ex 1, *Petri, cap.* 3, eadem Arca

[1] Sess. 14, cap. 2. — [2] Orat. Funebri Valentiniani.
[3] 3 p. q. 68, art. 2. — [4] Matth. 22.

erat figura Baptismi, sine quo tamen re suscepto salutem consequi posse per ejusdem votum ostendemus in tract *de Baptismo*.

INST. 2. Catechumeni credunt; ergo pertinent ad societatem fidelium.

RESP. *Nego conseq.* Quia Catechumeni, licet actu credant, fidei tamen Sacramentum non susceperunt, per quod aliquis Christo incorporatur.

INST. 3. D. Aug. [1] asserit Catechumenos esse in Ecclesia, *Futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiæ Catechumeni*. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Asserit Catechumenos esse in Ecclesia, potentia, *conc. ant.* actu, *nego ant.* De Catechumenis enim ait Aug. [2]. *Nondum sunt renati, sed tantum in utero matris Ecclesiæ concepti.*

ARTICULUS II.

UTRUM SOLI PRÆDESTINATI SINT MEMBRA ECCLESIÆ?

CONCLUSIO.

Non soli prædestinati sunt membra Ecclesiæ.

Est de fide, contra Wiclef, Joannem Huss, et Calvinum.

PROB. Multi reprobi, qui sub legitimis Pastoribus fidem exterius profitentur, sunt membra Ecclesiæ. Ergo.

Prob. ant. Ex apertissimis Christi parabolis, in quibus Ecclesia comparatur 1°, areæ, quæ habet *triticum in horreum congregandum et paleas igni inextinguibili comburendas* [3]; atqui per triticum Christus intelligit prædestinatos in cœlum congregandos, et per paleas intelligit reprobos igni inextinguibili comburendos. Ergo, etc.

2° Comparatur convivio nuptiali [4], atqui ad illud convivium intrant non solum præsdestinati, sed etiam reprobi, in

[1] Tract. 5 in Joann. — [2] Initio libri 2 *de Symbolo.*
[3] Matth. 3. — [4] Matth. 22.

tenebras exteriores, cum eo qui non habebat vestem nuptialem, postea projiciendi. Ergo.

3. Comparatur decem virginibus, quarum quinque prudentes in die judicii intrabunt cum sponso ad nuptias, quinque fatuæ excludentur hisce sponsi verbis : *Amen dico vobis : nescio vos* [1].

Confirm. In Ecclesiam intratur per fidem et Baptismum; atqui non soli prædestinati recipiunt fidem et Baptismum, ut patet de Juda, Simone mago, Hymenæo et Alexandro, et aliis, *qui circa fidem naufragaverunt* [2]; ergo non soli prædestinati intrant Ecclesiam.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Arca Noe figura fuit Ecclesiæ, ut docet D. Aug. [3]; atqui in Arca Noe non fuerunt nisi qui salvandi erant ex aquis; ergo in Ecclesia non sunt nisi prædestinati.

Resp. *Dist. maj.* Arca Noe fuit figura Ecclesiæ quoad aliqua, *conc. maj.* quoad omnia, *nego maj.* In eo igitur stat Ecclesiæ cum Arca similitudo, quod sicut in Arca erant animalia munda et immunda, ita et in Ecclesia sunt boni et mali, et sicut nemo salvari potuit extra Arcam, ita nemo potest extra Ecclesiam salvari, ut docet D. Aug. *ibidem;* nec est quærenda alia similitudo.

Objicies 2. Ecclesia [4] dicitur, *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium.* Atqui in illo horto, fonte, et puteo, soli prædestinati reperiuntur. Ergo.

Resp. *Nego min.* Nam sicut in horto concluso, fonte signato, puteo aquarum, frequenter nascuntur herbæ inutiles et etiam aliæ sordes, quæ tamen evelluntur et ejiciuntur, ita in Ecclesia fideles quidam sunt, qui propter improbitatem aliquando foras ejicientur, et in ignem mittentur. Dicitur ergo, *hortus conclusus*, etc. ratione nobiliorum ejus membrorum, propter quæ præsertim fundata est, licet in ea

[1] Matth. 25. — [2] 1 ad Tim. 1. — [3] L. 5 *de Bapt.*, cap. ult.
[4] Cant. 4.

multi sint reprobi, denominationem sumendo a notabiliori parte, eo fere modo quo aliqua natio dicitur bellicosa, licet in ea multi sint ignavi et effœminati.

Inst. D. Aug.[1] textum illum Cantic. exponit de solis prædestinatis : *Numerus ergo ille Justorum, de quibus dictum est, novit Dominus qui sunt ejus, ipse est hortus conclusus, fons signatus*, etc.; ergo ex August. Ecclesia constat ex solis prædestinatis.

Resp. *Dist. conseq.* Ex Aug. Ecclesia spectata secundum suum esse finale, quod est status patriæ, constat ex solis prædestinatis, *conc.* spectata secundum suum esse formale, quod est caritas; vel corporale, quod est cœtus hominum viatorum, eandem fidem sub legitimis Pastoribus profitentium, *nego conseq.* Porro D. Aug. sumit Ecclesiam secundum suum esse finale, quomodo etiam sumit[2] cum dicit : *Non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum;* scilicet secundum nobiliorem sui partem, ut probet contra Ticonium Donatistam (qui faciebat *Corpus Christi bipartitum*, id est, Ecclesiam bipartitam, unam electorum, et alteram reproborum) nullam esse Ecclesiam reproborum diversam ab Ecclesia prædestinatorum, sed unam ex bonis malisque permixtam.

Objicies 3. Soli prædestinati sunt oves Christi, juxta illud Joann. 10 : *Oves meæ vocem meam audiunt*. Ergo ipsi soli sunt in Ecclesia.

Resp. *Nego ant.* Quamvis enim aliquando ita stricte accipiantur oves Christi, ut solos significent prædestinatos, ut in textu allato, et Matth. 25 ubi separantur oves ab hædis; aliquando tamen generalius sumuntur, veluti Joann. ult. ubi Christus dixit Petro : *Pasce oves meas.*

Inst. 1. De reprobis dicitur[3] : *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*. Ergo reprobi non sunt membra Ecclesiæ.

[1] L. 5 *de Bapt.*, cap. 26. — [2] L. 3 *de Doctr. Christi*, cap. 32.
[3] 1 Joan 2, v. 19.

Resp. *Dist. conseq.* Reprobi non sunt membra Ecclesiæ secundum prædestinationem, *conc.* secundum Sacramentorum communionem, *nego cons.* Porro hoc sufficit, ut quis sit de gremio Ecclesiæ.

Inst. 2. Illi non sunt de gremio Ecclesiæ, qui non sunt filii Dei; atqui reprobi non sunt filii Dei.

Resp. *Nego maj.* Nam peccatores vere sunt in Ecclesia, sumpta secundum corpus; quamvis non sint filii Dei, utpote charitate destituti.

Resp. 2. *Dist. min.* Reprobi non sunt filii Dei, si charitate destituantur, *conc.* si charitatem habeant, *subdist.* Non sunt filii Dei veritate finis, *conc.* sic enim solus est filius qui assequitur hæreditatem, juxta illud [1] : *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Veritate essentiæ seu formæ, *nego min.* Ad hanc filiationem sufficit, ut quis sit in gratia, juxta illud Joann. 4 : *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.*

Objicies 4. D. Greg. Magnus [2] docet : *Omnes electos intra mensuras Ecclesiæ contineri, et extra eam esse omnes reprobos.* Ergo Ecclesia solos complectitur prædestinatos.

Resp. *Dist. conseq.* Ecclesia triumphans, *conc.* Ecclesia militans, *nego conseq.* Itaque D. Gregor. spectat Ecclesiam secundum illum statum, in quo erit gloriosa in cœlis, a qua removet omnes reprobos : verum quando loquitur de Ecclesia militante, asserit in ea contineri reprobos cum electis. « *Sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denuntiatur*, inquit D. Gregor. Magnus [3], *in qua quia mali cum bonis et reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus et fatuis esse perhibetur.* »

[1] 1 Joan. 2, v. 19. — [2] Lib. 28 Moralium, c. 9.
[3] Hom. 14 in Evangelia.

ARTICULUS III.

UTRUM SOLI JUSTI SINT MEMBRA ECCLESIÆ?

CONCLUSIO.

Non soli justi, sed gravissimi etiam peccatores, sive sint occulti, sive sint publici, sunt membra Ecclesiæ secundum corpus spectatæ.

Est de fide, tum contra Novatianos et Donatistas, tum contra Lutheranos et Calvinistas, duplicem distinguentes Ecclesiam; fatentur quidem malos ad externam quamdam societatem pertinere quæ sit Ecclesia nomine tantum, non vero ad veram Ecclesiam, quæ, juxta ipsos, ex solis justis componitur.

PROB. 1. Ex figuris Ecclesiæ in conclusione superiori relatis, quæ tam de peccatoribus, quam de reprobis intelliguntur; nempe, *area*, quæ continet paleas simul cum tritico; *decem virgines*, quarum quinque erant prudentes, et quinque fatuæ; *convivium*, in quo boni et mali non habentes vestem nuptialem intrarunt; *Sagena missa in mare*, et ex omni piscium genere congregans, in qua non solum continentur boni pisces, sed etiam mali, etc.

PROB. 2. Ex D. August.[1] dicente: « *Habemus innumerabilia testimonia, et de commixtione malorum cum bonis in eadem communione sacramenti; sicut Judas ab initio malus inter bonos undecim conversatus est... ex quibus ne longum faciam, pauca commemoro. Est in Canticis, quod de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Unde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? et easdem unde filias, nisi propter communionem sacramentorum?* » et Serm. 3 in Psal. 30, urgens Donatistas ait: « *Quid vultis de novis Catholicis? Si boni sumus in Ecclesia Christi frumenta sumus: si mali sumus, in*

[1] L. *de Unit. Eccles.*, c. 14.

Ecclesia Christi palea sumus, tamen ab area non recessimus.»

Prob. 3. *Ratione*; illi sunt in Ecclesia, qui possunt ejici ab Ecclesia, et pro quibus aliquod Sacramentum est specialiter institutum, neque enim Sacramenta nisi pro Ecclesiæ membris sunt instituta; atqui peccatores qui correpti Ecclesiam audire noluerint, possunt ejici ab Ecclesia [1], et de facto incestuosus Corinthius ab Ecclesia ab Apostolo [2] est ejectus item pro peccatoribus specialiter institutum fuit pœnitentiæ Sacramentum. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Illi non sunt in Ecclesia, qui non pertinent ad corpus Christi; atqui impii non pertinent ad corpus Christi nam *qui Spiritum Christi non habet*, id est, caritatem, *hic non est ejus* [3]. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Impii non pertinent ad corpus Christi secundum formam, quæ est caritas, *conc.* secundum materiam, *nego min.* Solutio patet ex dictis.

Subs. Atqui ut quis sit de Ecclesia, debet habere caritatem.

Prob. subsumpt. Ex symbolo; Ecclesia est sancta; ergo continet solos sanctos. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Ecclesia est sancta ratione præcipuorum ejus membrorum, doctrinæ, sacramentorum, etc. *conc. ant.* ratione omnium ejus membrorum, *nego ant. et conseq.* Porro denominatio fit a nobiliori parte.

Inst 1. Illi non sunt membra Ecclesiæ, in quos Christus tanquam caput non influit : atqui, etc.

Resp. *Nego min.* Nam ex D. Thom. [4] « Peccatores percipiunt a Christo quemdam actum vitæ, qui est credere, sicut si membrum mortificatum moveatur aliquo modo ab homine. *Ergo sunt membra Ecclesiæ, licet imperfecta.* »

Inst. 2. Omnia membra debent esse connexa *per omnem*

[1] Matth. 18. — [2] 1 Cor. 5. — [3] Rom. 8. — [4] 3 p. q. 8,

junctura m subministrationis[1]; atqui peccatores non sunt sic connexi cum justis, qui vera sunt Ecclesiæ membra. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Membra perfecta, de quibus loquitur Apost. *conc.* membra imperfecta, *nego maj.* et similiter consequens. Porro ut quis sit membrum Ecclesiæ imperfectum, sufficit ut habeat fidem, spem, participetque Sacramentis Ecclesiæ sub legitimis Pastoribus.

Objicies 2. Qui non habent Deum pro patre, non possunt habere Ecclesiam pro matre, sed peccatores non habent Deum pro patre, quibus Christus dixit[2] : *Vos ex patre diabolo estis.* Ergo.

Resp. *Dist. min.* Peccatores non habent Deum pro patre, ratione imitationis, *conc. min.* sic enim sunt *filii diaboli*[3]; ratione doctrinæ, *nego min.* Sic enim omnes, qui sunt in Ecclesia, sunt filii Dei et Ecclesiæ, cujus doctrinam retinent, tamen possunt esse boni et mali, unde *Cant.* 4 dicitur : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ubi filiæ dicuntur animæ christianæ, sed malæ.

Objicies 3. De Ecclesia dicitur[4] : *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.* Ergo in Ecclesia nulli sunt immundi, nulli flagitiosi.

Resp. *Nego conseq.* Nam, vel ille textus sumitur litteraliter vel allegorice ; *litteraliter* significat finem captivitatis Judæorum, ut sensus sit : cum a captivitate redieris, *non adjiciet ultra,* id est, in longum tempus, ut aliquis *incircumcisus aut immundus,* pertranseat per terras tuas, eas vastando, ut fecerunt Babylonii ; *allegorice* autem significat Ecclesiam, de qua prædicit Isaïas fore ut portæ Inferi non prævaleant adversum eam.

Objicies 4. D. Cyprian.[5] scribit : *In Ecclesia Dei nonnisi concordes et unanimes habitant.* Ergo peccatores, qui cum aliis contentiones movent, non sunt in Ecclesia.

Resp. *Nego conseq.* D. enim Cyprianus agens contra No-

[1] Ephes. 4, v. 16. — [2] Joann. — [3] 1 Joann. 3. — [4] Isaiæ, 52, v. 1. — [5] Epist. 6 in Magnum.

vatianos schismaticos non loquitur de quacumque concordia et unanimitate, sed de illa quæ opponitur Schismati proprie dicto; nam, *in lib. de lapsis*, graviter conqueritur *esse in Ecclesia maledicentes, odiis pertinacibus invicem dissidentes*, et aliis criminibus obnoxios. Et Epist. 51 ad Maximum sic ait : *Impediri non debet aut fides aut caritas nostra, ut quonia zizania, id est, malos in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Eccles recedamus.*

OBJICIES 5. D. Aug. [1] affirmat malos non pertinere ad Ecclesiam, eo quod Ecclesia sit sine macula et ruga. Ergo.

RESP. *Dist. antec.* Ad Ecclesiam triumphantem, *conc. ant.* ad Ecclesiam militantem, *nego ant.* Sese explicat D. August.[2] dicens : « Ubicumque in his libris, *contra Donatistas*, com- « memoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, « non sic accipiendum est quasi jam sit, sed quæ præpara- « tur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa : nunc propter « infirmitates membrorum suorum habet unde quotidie « tota dicat: dimitte nobis debita nostra. »

INST. 1. Ibidem D. August. ait : malos non magis esse de Ecclesia quam hæreticos. *In membris illius columbæ*, inquit, *nec hi, nec illi sunt hodie; sed aliqui eorum fortasse futuri sunt.* Atqui hæretici publici non sunt de corpore Ecclesiæ. Ergo nec mali et peccatores.

RESP. *Dist. maj.* D. August. asserit malos non magis esse de Ecclesia triumphante et gloriosa, quam hæreticos, *conc.* de Ecclesia militante et visibili *nego maj.* et concessa minore, dist. similiter consequens.

Itaque D. August. ut refellat Donatistas, qui docebant neminem valide baptizare, nisi esset de Ecclesia gloriosa et triumphante, asserit malos non magis pertinere ad Ecclesiam quæ sine macula est, et in cœlis erit gloriosa, quam hæreticos; et consequenter malos christianos non valide baptizare, si hæretici non valide baptizent. Et sic contra

[1] Lib. 2 *de Bapt.*, cap. 3. — [2] Lib. 2 *de Retract.*, cap. 15.

ipsos, *argumento ad hominem,* probat non necessarium ut quis valide baptizet, ut sit de Ecclesia triumphante.

INST. 2. Atqui D. August. asserit malos non esse de corpore Ecclesiæ militantis. Ergo.

Prob. ant. *lib.* 2, contra Petilianum, *cap.* 108, ait: «Non «ideo putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Eccle- «sia, quia sacramentorum ejus sunt participes. » Atqui sola Ecclesia militans est sacramentorum Christi particeps. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Non ideo putandi sunt esse in corpore Christi incorrupto et sine macula, quod est Ecclesia, qualis erit in cœlis, *conc.* in corpore Christi permixto, prout nunc militat in terris, *nego maj.* Hanc distinctionem ipse Augustinus tradit [1], et postquam ista verba : *Nigra sum, sed formosa,* quæ tribuuntur Ecclesiæ, retulit, c. 32, addit : *Non dicit fui, sed sum; utrumque se dicit esse propter temporalem unitatem.* Ergo eadem Ecclesia, pro diversa sui parte, est nigra et formosa ; *nigra,* propter impios ; *formosa,* propter sanctos et justos. Atque conciliari debent Scripturæ textus qui de Ecclesia loquuntur diversimode pro diverso statu in quo consideratur : « Ostendimus, aiunt Episcopi catholici in bre- «viloquio collationis cum Donatistis, *collat.* 3, *c.* 9, divina «testimonia consonare, ut illa, quibus commendaretur Ec- «clesia cum malorum commixtione, hoc tempus ejus signi- «ficarent, qualis est in præsenti sæculo ; et illa testimonia, «quibus commendatur non habere commixtos malos, illud «ejus tempus significarent, qualis venturo sæculo in æter- «num futura est. »

ARTICULUS IV.

UTRUM APOSTATÆ, HÆRETICI ET SCHISMATICI SINT MEMBRA ECCLESIÆ ?

Nota. Apostata est ille, qui a tota fide catholica recedens alicui sectæ, ab Ecclesia Romana separatæ, nomen dedit.

[1] Lib. 3 *de Doctrina christiana,* c. 31.

Hæreticus publicus est ille, qui palam profitetur doctrinam damnatam ab Ecclesia ut hæreticam.

Hæreticus occultus est qui, in externa cum fidelibus communione sub legitimis Pastoribus permanens, interius et latenter contradicit fidei articulis.

Schismaticus est ille, qui palam, vel latenter, se separat ab unitate Ecclesiæ capitis et membrorum. His notatis,

CONCLUSIO I.

Publici Hæretici, et Apostatæ, non sunt membra Ecclesiæ.

Prob. 1. Ecclesia est fidelium cœtus et societas, ex Innoc. III [1]; atqui Apostatæ et Hæretici non sunt fideles, quia *circa fidem naufragaverunt*, ut docet Apost. [2] Ergo, etc.

Prob. 2. Ex Conciliis, quæ semper Hæreticos excluserunt ab Ecclesia; sic Nicæn. I, cap. 8, habet : *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis, placuit S. Concilio ut ordinentur, et sic maneant in Clero;* nemo autem potest venire in Ecclesiam, nisi qui est extra Ecclesiam.

Conc. Constant. can. 6. « Hæreticos autem dicimus, et « qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, et qui sunt postea a « nobis anathematizati; ad hæc autem et eos, qui se sanam « quidem fidem confiteri per se ferunt, avulsi autem sunt « et abscissi. » Sunt procul dubio extra Ecclesiam, qui sunt *abdicati, avulsi* et *abscissi*. Ergo, etc.

Prob. 3. Ex SS. Patribus : D. Cyprian. [3] de Novatiano scribit : « Scias nos nec curiosos esse debere quid ille (*Nova-* « *tianus*) doceat, cum foris doceat : quisquis ille est, Chris- « tianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. »

D. Hieron. [4] ait : *Scito Marcionitas, Valentinianos*, etc. *non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.*

Div. August. [5] scribit. *Quicumque de ipso capite a Scripturis*

[1] Cap. firmiter, *de Summa Trinit.* — [2] 1 ad Tim. 1, 2, 19.
[3] Epist. 52, lib. 4. — [4] Dialogo adversus Luciferianos.
[5] L. *de Unit. Ecclesiæ*, c. 4.

sacris dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniuntur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia.

Respondent Novatores, ea quæ tum ex Patribus, tum ex Conciliis prolata sunt, intelligi debere de Hæreticis qui negant articulos fundamentales, non autem de iis qui negant articulos non fundamentales; sed

Contra est 1. Quia illa articulorum fidei distinctio fuit ignota toti antiquitati, quæ nomine Ecclesiæ Catholicæ emper intellexit unicam communionem, a qua omnes Hæretici excluduntur. *Omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut sancta Dei Catholica et Apostolica Ecclesia*, ait Concil. Constantinop. 1, Can. 7.

Contra est 2. Quia Montanistæ, Novatiani, Quartodecimani, ab Ecclesia exclusi sunt a Patribus : atqui non negabant articulos quos Jurius vocat fundamentales; neque enim aut circa Trinitatem, aut circa Incarnationem, aut circa gratiam errabant, sed circa nonnulla tantum capita, quæ aut ad disciplinam, aut ad Ecclesiæ authoritatem spectabant. Ergo, etc.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Juxta parabolam zizaniorum, in eodem agro sunt zizania cum bono semine; atqui per *agrum* intelligitur Ecclesia, per *bonum semen* intelliguntur Catholici, et per *zizania* Hæretici. Ergo.

Resp. *Nego min.* In illa enim parabola per agrum non significatur Ecclesia, sed universus mundus, ut docet D. Augustinus[1]: *Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est* cum dixit: *Ager autem est mundus* : atqui in mundo Hæreticos esse quis unquam dubitavit?

Inst. Aliqui Patres cum D. Cyprian. *Epist.* 51, per *agrum* docent significari Ecclesiam : et alii, ut D. Hieron., D. Chrysost. in hunc locum, per *zizania*, volunt significari Hæreticos. Ergo, etc.

[1] Quæst. 11 in Matth.

Resp. *Nego conseq.* 1. Quia Patres qui per *agrum* volunt significari Ecclesiam, per *zizania* non intelligunt Hæreticos, ut Div. Aug. [1] docet de D. Cypriano, qui in eadem Epistola asserit Hæreticos non esse in Ecclesia.

2. Quia Patres, qui per *zizania* volunt significari Hæreticos, per *agrum* non intelligunt Ecclesiam, sed mundum universum, quomodo fecerunt D. Hier. et Chrysost; unde nihil contra assertionem nostram concludunt.

Objicies 2. Apost. dicit [2] : *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et ligna et fictilia.* Atqui Apost. per magnam domum intelligit Ecclesiam, et per vasa lignea et fictilia intelligit Hæreticos.

Resp. *Nego secund. partem min.* Nam Apost. per vasa fictilia intelligit infirmos et peccatores, Catholicos tamen, qui facile seduci possunt.

Prob. min. Ex eis quæ Apost. paulo ante dixerat : *Quorum sermo ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem jam esse factam, et subverterunt quorumdam fidem... in magna enim domo,* etc. Ergo per vasa lignea et fictilia intelligit Hæreticos.

Resp. *Nego conseq.* Nam illa verba *in magna enim domo,* etc. non referuntur ad ista *et subverterunt quorumdam fidem.* Unde sensus est, quod si Hymenæus et Philetus quosdam subverterunt, non propterea periculum est, ne omnes subvertantur; nam, *in magna domo sunt vasa aurea et lignea,* id est, fortes et debiles.

Inst. D. Aug. [3] per vasa lignea et fictilia intelligit Hæreticos, qui sunt in Ecclesia. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Intelligit Hæreticos ex propria sententia, *nego ant.* ex sententia D. Cypriani, ad cujus verba (pace dixerim) non satis videtur attendisse D. Augustinus, *conc. ant.* ait enim D. Doctor : *Et istos de quibus ait Apostolus, sermo eorum velut cancer serpit, vellem intelligere foris fuisse,*

[1] L. 2 contra Crescon., c. 34. — [2] 2 ad Tim. 2, v 20.
[3] L. 4 contra Donatist., c. 12.

sed Cyprianus ipse me non sinit. Ergo existimavit D. Cyprianum illa verba, *in magna domo*, etc., referre ad ista *quorum sermo, ut cancer serpit*, cum tamen ea referat ad illa *et subverterunt quorumdam fidem.*

OBJICIES 3. Div. Hieron. [1] scribit : *Arca Noe, Ecclesiæ typus fuit... ut ubi lupus et agnus, ita et hic justi et peccatores.* Atqui per peccatores intelligit Hæreticos; ergo.

Prob. min. Ille per *peccatores* intelligit Hæreticos, qui ex eo quod peccatores sint in Ecclesia, concludit valere Baptisma datum ab Hæriticis : atqui sic concludit D. Hieron. Ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Nam D. Hieron. agit contra Luciferianos, qui, licet admitterent Baptisma datum ab omnibus Ecclesiæ membris, de quorum numero erant, ut ipsi fatebantur, peccatores et injusti, rejiciebant tamen baptisma datum ab Hæreticis, hac ratione ducti, quod non haberent Spiritum Sanctum, et consequenter non possent illum per baptisma dare, quos sic *argumento ad hominem* urgebat D. Hier., atqui improbi Catholici non habent similiter Spiritum Sanctum, et tamen Baptismus ab illis datus, est validus : ergo et Baptismus datus ab Hæreticis.

OBJICIES 4. Ecclesia non judicat, nec punit, nisi qui sunt intra illam; nam ex Apost. [2] *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* atqui Ecclesia judicat et punit Hæreticos. Ergo.

RESP. *Nego maj.* Nam Ecclesia judicat et punit omnes qui ad illam pertinent; atqui Hæretici ad Ecclesiam pertinent ratione Baptismi, licet extra illam vagentur ut desertores. Ergo.

INST. 1. Hæretici retinent characterem Baptismi, per quem sunt insiti corpori Ecclesiæ; ergo sunt in Ecclesia.

RESP. *Retorq. argum. contra Jurium*; qui negant articulos fundamentales, imo et damnati, retinent characterem Baptismi; ergo sunt in Ecclesia. *Itaque*, character ille non suf-

[1] Dialogo contra Luciferiam. — [2] 1 Cor. 5.

ficit, ut quis sit in Ecclesia, sed insuper requiritur fidei professio sub legitimis Pastoribus, unde *nego cons.*

Inst. 2. Illi sunt membra Ecclesiæ, qui vere Christo generant filios; atqui Hæretici veros Christo generant filios

Resp. 1. *Dist. maj.* Qui veros Christo generant filios, ex Christi sponsa, *conced. maj.* ex Ecclesiæ ancilla, *nego maj.* et sic ad min. Itaque societates Hæreticorum non sunt sponsa Christi, sed ancillæ Ecclesiæ, qui ex semine Christi, hoc est ex Sacramentis a Christo institutis, filios Christo generant, non secus ac Ecclesia sponsa Christi, ut facunde probat D. Augustinus [1].

Resp. 2. *Retorq. contra Jurium* : Hæretici, qui negant articulos fidei fundamentales, veros Christo generant filios : ergo sunt in Ecclesia.

Inst. 3. Christus soli Ecclesiæ vera dedit Sacramenta; atqui Hæretici vera habent Sacramenta. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Hæretici vera habent Sacramenta a vera Ecclesia accepta, *conc. min.* a sua societate accepta, *nego min* Hæretici siquidem a vera Ecclesia discedentes, Sacramenta Ecclesiæ secum extra Ecclesiam detulerunt, per quæ gratiam consequuntur qui hæresi non consentiunt, sed necessitate quadam ab Hæreticis Sacramenta percipere coguntur; tales sunt infantes, vel etiam adulti, qui simplici corde veritatem quærunt, parati ei adhærere ubi primum eam cognoverint.

CONCLUSIO II.

SCHISMATICI MANIFESTI NON SUNT MEMBRA ECCLESIÆ.

Prob. 1. Ecclesia est societas membrorum inter se, et cum suo capite; ergo qui non sunt pars societatis, non sunt membra Ecclesiæ atqui Schismatici non sunt pars societatis, hoc enim importat nomen *schisma*, quod a scissione et separatione derivatur; ergo non sunt membra Ecclesiæ,

[1] Lib. 1 *de Bapt. contra Donat.*, c. 15.

sicut membrum abscissum a corpore, non est amplius membrum corporis. Inde est, quod Ecclesia, in die Parasceve, Deum rogat *pro schismaticis, ut eos ad sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam et Apostolicam revocare dignetur.*

Prob. 2. Ex SS. Patribus. Div. Hieronym. [1] ait : *Inter hæresim et schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat ; schisma, propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia separat.*

D. Cyprianus [2] *Scire debet.... si qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.*

D. Fulgent. [3] docet : « *Firmissime tene, et nullatenus dubites, « non solum Paganos, sed etiam Hæreticos, et Schismaticos, qui « extra Ecclesiam Catholicam, præsentem finiunt vitam, in ignem « æternum ituros.* »

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Ecclesia est Catholicorum congregatio ; atqui sunt Catholici. Ergo.

Prob. min. Qui retinent fidem catholicam sunt Catholici ; atqui Schismatici retinent fidem catholicam. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Qui retinent fidem catholicam in Ecclesia Catholica, *conc. maj.* extra Ecclesiam Catholicam, *nego maj.* Porro ex August. [4] « Schismatici discissionibus iniquis « a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ cre- « dimus, quapropter nec Hæreticus pertinet ad Ecclesiam « Catholicam quæ diligit Deum, nec Schismatici, quoniam « diligit proximum. »

Inst. 1. Ii retinent fidem Catholicam in Ecclesia Catholica, qui cum ea sunt conjuncti ; atqui Schismatici, sunt conjuncti cum Ecclesia Catholica. Ergo. »

Prob. min. Ex div. August. [5] dicente : « Si ergo qui recessit ab unitate, aliquid aliud agere voluerit, quam quod

[1] In c. 1 Epist ad Tit. — [2] Epistola 9 ad Papinian.
[3] De fide ad Petrum, cap. 38. — [4] L. *de Symbolo*, et fide, cap. 10.
[5] L. 1. *de Baptism. contra Donatist.*, cap. 1

« in unitate percepit, in eo recedit atque disjungitur; quo « autem ita vult agere sicut in unitate agitur, ubi hoc ac- « cepit et didicit, in eo manet atque conjungitur. » Ergo Schismatici sunt cum Ecclesia conjuncti.

Resp. *Dist. conseq.* Schismatici sunt cum Ecclesia conjuncti in unitate, *nego;* nam August. loquitur de eo *qui recessit ab unitate.* Sunt conjuncti in potestate administrandi Sacramenta, quæ ab Ecclesia acceperunt, *conc.* Ergo non sunt conjuncti in omnibus, et ex eo quod eorum *communicatio in aliqua parte separata inveniatur*, ait D. Aug. [1] *manifestum est eos non esse in Ecclesia Catholica.*

Inst. 2. Qui servant essentialem Ecclesiæ Catholicæ communionem, sunt in Ecclesia Catholica; atqui, etc.

Prob. min. Essentialis Ecclesiæ Catholicæ communio consistit in communione cum Christo per fidem et subjectionem; atqui Schismatici, etsi nolint subesse Pontifici, servant communionem cum Christo per fidem et subjectionem. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Consistit in sola communione cum Christo per fidem et subjectionem, *nego maj.* in communione cum Christo, et simul cum legitimis Pastoribus per obedientiam et subjectionem, *conc. maj.* Porro Schismatici, nolentes subjici Pontifici, qui est centrum unitatis, revera communionem cum Christo per subjectionem exutiunt, cum non possit subesse Christo, qui non vult subesse ejus Vicario, juxta illud, *Non te abjecerunt sed me* [2]. Unde S. Optatus, lib. 2, *de Cathedra Romana*, ait : « In qua Cathedra unitas ab « omnibus servatur: ut jam Schismaticus esset, qui contra singularem, Cathedram alteram collocaret. »

Inst. 3. Qui renuit subesse suo Episcopo, non est extra Ecclesiam, modo velit subesse Romano Pontifici; ergo a pari qui renuit subesse Summo Pontifici, non est extra Ecclesiam, modo velit subesse Christo.

[1] L. *de Unit. Eccl.*, c. 4. — [2] 1 Reg. 8.

Resp. *Neg. ant.* Nam qui ab Episcopo suo, Summo Pontifici subdito et unito, sese disjungit, ab Ecclesia universali separari necesse est, ait Bellarm.[1]: unde Div. Cyprian. *Epist.* 9, dicit: *Eum qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse;* et D. Thom.[2] ait: *Schismatici dicentur qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.*

Objicies 2. Eæ societates sunt veræ Ecclesiæ membra, in quibus salus obtineri potest; atqui in societatibus schismaticis salus obtineri potest. Ergo, etc.

Prob. min. In Schismate, quod seculo XVI, exortum est inter *Urbanum VI* et *Clementem VII*, qui se mutuo cum adhærentibus excommunicabant, plures ex utraque parte salutem consecuti sunt, et ad eminentem sanctitatem pervenerunt; ergo Schismatici possunt obtinere salutem.

Resp. *Nego cons.* Et dico nul[illegible] qui adhærebant partibus *Urbani VI* et *Clementis VII* fuisse Schismaticos: illi enim omnes, errore facti decepti, bona fide adhærebant ei, quem verum et Catholicum Pontificem invincibiliter credebant; et licet Summo Pontifici dubio sese non subjicerent, tamen toti Ecclesiæ ad legitimum Concilium adunatæ sese subjiciebant, cujus judicium circa legitimum Pontificem debita reverentia expectabant, ac proinde servabant caritatis fraternæ vinculum. Ergo non erant vere Schismatici.

CONCLUSIO III.

Hæretici et Schismatici occulti sunt membra Ecclesiæ, sed imperfecte tantum, et quantum ad corpus visibile.

Prob. Quia Div. Joan.[3] de Hæreticis occultis loquitur: *Et nunc Anti-Christi multi facti sunt: ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Ergo sunt in Ecclesia, et non sunt; sunt in Ecclesia

[1] L. 3 *de Eccles.*, cap. 5. — [2] 2, 2, quest. 39, art. 1, in corp
[3] Epist. 1, cap. 2.

quoad corpus, nam *exierunt ex nobis*; non potuissent autem exire de Ecclesia, nisi fuissent in illa. Non sunt in Ecclesia secundum animam, nam *non erant ex nobis*. Quem locum exponens D. August.[1] ait : *Omnes Hæretici, omnes Schismatici, ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt... si antequam exirent non erant ex nobis, multi intus sunt, non exierunt, et tamen Anti-Christi sunt... sic sunt in Corpore Christi quomodo humores mali*. Quibus verbis exponit D. Aug. occultos Hæreticos esse in Ecclesia quantum ad corpus, et non esse quantum ad animam.

Confirmatur : Quia ab Ecclesia per excommunicationis decretum, ubi suam hæresim prodierint, rejici possunt; ergo sunt in ea, donec suam hæresim prodant.

Objicies. Ecclesia a Conc. Later. [2] definitur : *Societas fidelium*, et a Nicolao Papa: [3] *Catholicorum collectio*. Atqui Hæretici occulti neque sunt fideles, neque Catholici. Ergo

Resp. *Dist. min.* Neque sunt fideles, neque Catholici, interius, *conc.* exterius quoad professionem fidei, *nego min.* hoc autem sufficit ut Hæretici et Schismatici occulti ad Ecclesiæ corpus pertineant ut membra arida, imperfecta et mortua; quia tamen nondum amputata, vera membra sunt.

Inst. 1. Fides interna est forma constitutiva Ecclesiæ.

Resp. *Dist. ant.* Fides interna simul cum caritate est forma constitutiva Ecclesiæ, spectatæ quoad animam, *conc. ant.* quoad corpus, *nego ant.* sic enim constituitur per externam fidei professionem cum participatione Sacramentorum, et subordinatione ad legitimos Pastores.

Inst. 2. Sancti Patres docent omnes Hæreticos et Schismaticos esse ab Ecclesia separatos. *Omnes Hæreticos et Schismaticos*, ait D. Ambr. [4] *a regno Dei, et ab Ecclesia intellige separatos.*

Resp. Sancti Patres de Hæreticis et Schismaticis manifestis loquuntur; quod si aliqui loquantur de Hæreticis oc-

[1] Tract. 3 in Epist. Joann. — [2] Cap. firmiter, *de Summa trinit.*
[3] Can. Ecclesia, dist. 1, *de Consec.* — [4] Lib. 7 in cap. 11 Lucæ.

cultis, sensus illorum est, eos non esse de Ecclesia secundum animam sumpta, quamvis sint de corpore Ecclesi

ARTICULUS V.

AN EXCOMMUNICATI SINT MEMBRA ECCLESIÆ?

CONCLUSIO.

Excommunicati excommunicatione majori, sive sint tolerati, sive non, non sunt membra Ecclesiæ.

Prob. 1. Ex illo Matth. 18. Christus de excommunicatis secundum omnium expositionem loquens, ait : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Atqui Ethnici non sunt de Ecclesia; ergo. etc. Apost. [1] jubens excommunicari incestuosum Corinthium, ait : *Cur non magis luctam habuistis, ut tollatur de medio vestri,* id est, ut ejiciatur de medio Ecclesiæ, *qui hoc opus fecit?*

Prob. 2. Ex Jure Can. [2] « Canonica instituta, et SS. Pa« trum exempla sequentes, ecclesiarum Dei violatores, au« thoritate Dei et judicio Sancti Spiritus a gremio sanctæ « matris Ecclesiæ, et a consortio totius Christianitatis eli« minamus. »

Prob. 3. Ratione D. Augustini [3] : *hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc* (in veteri Testamento) *interfectio.* Atqui interfectio hominem ab hominum societate penitus expellebat; ergo excommunicatio Christianum e gremio Ecclesiæ penitus expellit.

Objicies 1. S. Augustinus sic habet : *Neque enim a populo Dei separamus, quos, vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorem pœnitendi locum redigimus.* Ergo.

Resp. *Dist. conseq.* Excommunicati non separantur ab Ecclesia in perpetuum, sine spe salutis et reditus, *conc.* ad tempus, donec nempe a contumacia recedant, *nego consea.*

[1] 1 Cor. 5. — [2] Q. 39 in Deut.
[3] 1 contra Donat. post collat., cap. 10.

unde sensus est, quod excommunicati non separentur tanquam perituri, sed ut, deposita contumacia, firmius umantur.

Inst. 1. Excommunicatio est essentialiter pœna medicinalis; atqui non esset talis, si Christianum ab Ecclesia penitus ejiceret. Ergo.

Resp. *Nego min.* Quia *excommunicatus non traditur Satanæ quasi damnandus, sed quasi corrigendus*, ait D. Thom. [1] cum Ecclesia cupiat hac medicinali pœna delinquentem humiliari et humiliatum interim in suum corpus recipere.

Inst. 2. Excommunicatus potest salvari per contritionem perfectam, etiamsi moriatur in excommunicatione; atqui nemo potest salvari, nisi sit in Ecclesia. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Nemo potest salvari nisi sit in Ecclesia, vel re, vel voto, *conc. min.* nisi sit in Ecclesia, semper re, *nego min.* Porro excommunicatus, qui per contritionem perfectam justificatur, efficaci desiderio est in Ecclesia visibili, quod ei sufficit ad salutem, sicut sufficit Catechumeno, ante susceptionem Baptismatis morienti.

Objicies 2. Excommunicati tolerati valide Sacramenta administrare possunt, ut constat ex Martino V. [2]. Ergo ab Ecclesia non sunt penitus exclusi.

Resp. *Dist. conseq.* Non sunt penitus exclusi ab Ecclesia, quantum ad jurisdictionem, quæ in gratiam fidelium ipsis conceditur, *conc.* quantum ad bonorum communium spiritualium participationem, *nego conseq.* Hoc enim sensu penitus sunt exclusi.

CAPUT III.

DE NOTIS ECCLESIÆ.

Quæres 1. *Quid sint notæ Ecclesiæ?*

Resp. Sunt certa atque indubitata quædam signa sensibilia, per quæ vera Christi Ecclesia discerni potest a falsis

[1] In suppl., cap. 22, art. 2 ad 3. — [2] Bulla, *Ad evitanda.*

Hæreticorum et Schismaticorum sectis, quæ sese christ nas immerito nuncupant.

Quæres 2. *Quænam conditiones requirantur in notis ve Ecclesiæ?*

Resp. Requiruntur tres.

Prima. Ut illæ notæ ita veræ Ecclesiæ sint *propriæ,* omnes collective sumptæ alteri societati convenire non p sint; alioquin non possent veram Ecclesiam designare, cu nulla res discerni possit per signum multis commune.

Secunda. Ut illæ notæ sint *notiores ipsa Ecclesia;* alioqu non essent verum medium ad demonstrationem veræ E clesiæ.

Tertia. Ut sint aliquo modo *sensibiles,* et proportiona omnibus hominibus, etiam rudibus, ut omnes facile cogno cere possint veram Ecclesiam, in quam ingredi, et in q permanere tenentur ad consequendam salutem : alioqu Deus salutī hominum non satis providisset... porro no illæ debent esse *inseparabiles* a vera Ecclesia; alioquin ce tam notitiam parere non possent.

Quæres 3. *An illæ notæ pariant evidentem Ecclesiæ notitian*

Resp. Pariunt evidentem notitiam *evidentia credibilitat* qua Ecclesia, licet nec in se, nec in suis principiis vide tur, habet tamen tot tamque gravia testimonia, ut quilib eam cognoscere possit. Non vero pariunt evidentem no tiam *evidentia veritatis simpliciter,* qua ipsa in se, vel in su principiis videatur; alias, *credo Ecclesiam,* non esset artic lus fidei.

Dixi : *simpliciter :* quia notæ Ecclesiæ quandoque pariu evidentiam veritatis *hypothetice,* apud eos nimirum qui a mittunt Scripturam, et credunt aliquam existere Chri Ecclesiam : quod enim a Scriptura et traditione evident deducitur, est, evidenter verum ex hypothesi, id est su posita veritate Scripturæ et traditionis.

Quæres 4. *An quælibet nota Ecclesiæ, seorsim sump distinguat veram Ecclesiam ab Hæreticorum sectis?*

Resp. Distinguit *negative*, quatenus sensibiliter demonstrat illam societatem, quæ vel una ex illis notis caret, non esse veram Ecclesiam. Sed non distinguit *positive* : ad hoc enim ut probetur aliquam societatem esse veram Ecclesiam, requiritur ut omnes notæ collective sumptæ illi conveniant

Quæres 5. *Quot sint notæ veræ Ecclesiæ?*

Resp. Hæretici duas tantum Ecclesiæ notas admittunt, nimirum, sinceram verbi Dei prædicationem, et legitimum sacramentorum usum, ut inde probent veram in sua societate Christi Ecclesiam reperiri; ita, Confessio Augustana, *art.* 6, Calvinus[1]. E contra Catholici omnes plures Ecclesiæ notas assignant, quæ omnes revocari facile possunt ad quatuor, quæ a Symbolo Nicæno-Constantinopolitano recensentur, his verbis : *Credo... Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.* Unde refellemus primo notas Ecclesiæ ab Hæreticis assignatas; postea agemus de veris Ecclesiæ notis, quinque Articulis.

ARTICULUS I.

DE NOTIS ECCLESIÆ AB HÆRETICIS ASSIGNATIS.

Nota. Non quæritur hic, utrum in sola Christi Ecclesia sincera verbi Dei prædicatio, et legitimus sacramentorum usus reperiantur; nullus enim id jure negare potest. Sed quæritur utrum hæc duo afferri possint pro genuinis Ecclesiæ notis, quibus vera Christi Ecclesia dignosci, et a quacumque alia falsa Ecclesia discerni possit.

CONCLUSIO.

Neque sincera verbi Dei prædicatio, neque legitimus sacramentorum usus, sunt genuinæ Ecclesiæ Christi notæ.

Prob. *unico argumento.* Conditiones ad veram Ecclesiæ notam requisitæ, sunt tres : 1°. Debent esse propriæ, non

[1] Lib. 4, inst. cap. 1.

communes. 2°. Debent esse notiores ipsa Ecclesia. 3°. Debent esse sensibiles, et cunctis obviæ ac cognitu faciles, ut omnes ad Ecclesiam et veram fidem adduci possint : atqui tres illas conditiones non habent sincera verbi Dei prædicatio, et legitimus sacramentorum usus. Ergo, etc.

Non primam; quia nulla unquam fuit Hæreticorum secta, quæ non jactaret apud suam societatem veram Christi doctrinam, veraque ejus sacramenta reperiri, ut tradit Lactantius [1] dicens : *Singuli quique Hæreticorum cœtus se potissimum Christianos, et suam esse Catholicam Ecclesiam putant.* Atqui fieri non potest, ut veræ Christi Ecclesiæ propria sit nota illa, quam tot diversæ Hæreticorum sectæ, inter se et nos pugnantes, sibi vindicant. Ergo, etc.

Non secundam; quia vera Christi Ecclesia, quæ tot splendidis notis undequaque fulget et emicat, nobis prius innotescit quam vera Christi doctrina, et legitimus sacramentorum usus; cum, ut supra probavimus, non possit nobis innotescere quænam sit Scriptura Sacra, quot et quænam sint sacramenta, nisi per Ecclesiæ auctoritatem; ergo ipsa notior est Ecclesia, quam sincera verbi Dei prædicatio et legitimus sacramentorum usus.

Non tertiam; quia Christi doctrina, ex qua sola numerum habemus sacramentorum, est humanæ menti impervia, nec omni hominum generi et conditioni accommodata, cum de ea ac de ejus sensu tot et tam graves inter ipsos oriantur concertationes, ut constat ex ipsismet Novatoribus, qui circa numerum librorum canonicorum sunt maxime discordes : sic Calvinus admittit Epistolam ab Hæbræos, Epistolas Jacobi, Judæ, secundam Petri, secundam et tertiam Joannis, et Apocalypsim, quos tamen libros rejicit Lutherus. Nec magis sunt concordes circa Scripturæ sensum, nam ex his Christi verbis : *Hoc est Corpus meum*, Lutherus colligit veram et realem corporis Christi præsen-

[1] Lib. 4, inst., c. 29.

liam in Eucharistia, Calvinus præsentiam tantummodo figuratam : ergo non potest quisque per semetipsum in veræ Scripturæ cognitionem, et veram illius interpretationem devenire; debet ergo prius veram inquirere Ecclesiam, ut per eam deinceps quid credendum sit edoceatur, juxta hanc D. Augustini doctrinam [1] : *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas : ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli meruit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.*

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Illud est vera Ecclesiæ nota, quod semper usurpatum fuit ut vera Ecclesia secerneretur a falsa; atqui talis est vera Christi doctrina et legitimus sacramentorum usus. Ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Neque enim id pro veræ Ecclesiæ nota assignari potest, quod Hæretici apud se habere semper gloriati sunt; atqui Hæretici veram doctrinam et vera sacramenta se habere semper gloriati sunt; ergo, etc. Hinc D. Aug. [2] dicit : *Nullus prædicans nomen Christi, et gestans ac ministrans sacramentum Christi, sequendus est contra unitatem Christi.*

OBJICIES 2. Nulla res cognosci potest absque cognitione eorum quæ ad ejus essentiam spectant; atqui vera Christi doctrina et legitimus sacramentorum usus ad essentiam Ecclesiæ spectant; definitur enim, *Cœtus hominum viatorum, unius ejusdemque fidei Christianæ professione et eorumdem sacramentorum communione adunatus,* etc. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Nulla res cognosci potest cognitione perfecta et quidditativa absque, etc., *conc.* cognitione minus perfecta et non quidditativa, *nego maj.* Duplex ergo distin-

[1] Lib. 1 contra Cresconium, cap. 13.

[2] Lib. 3 contra Petilianum, c. 4.

guitur cognitio, *quidditativa* nimirum, qua rei essentia penetratur, et *non quidditativa* qua solum cognoscitur quænam res sit, et ubi existit. Fatemur Ecclesiæ essentiam non posse cognosci, quin vera Christi doctrina et legitimus sacramentorum usus cognoscatur; verum non est necesse ut ejus essentia penetretur ab iis omnibus qui eam ingredi tenentur, cum multi illius cognoscendæ sint incapaces, aut ex imperitia, aut ex defectu ingenii; sufficit ergo ut cognoscant et quænam sit Ecclesia, et ubi sit.

Objicies 3. Scriptura est notior Ecclesia; ergo est nota Ecclesiæ.

Resp. *Dist. antec.* Est notior hypothetice et aliquando, *conc.* absolute et semper, *nego ant.* Itaque Scriptura est notior Ecclesia, ex hypothesi quod eam admittant ambæ partes, et in locis ubi est clara; non vero est notior absolute et respectu eorum qui non admittunt Scripturas, quales sunt Gentiles et Pagani, quia eis facilius est Ecclesiam cognoscere, quam Scripturam. Hinc quando D. Aug. agebat contra Donatistas, qui contendebant Baptismum datum ab Hæreticis nullum esse, quia circa hoc fidei punctum Scriptura, quam admittebant Donatistæ, erat obscura, idcirco validum eum probat quod eum admitteret Ecclesia ubique diffusa : *Nunc vero*, ait, *cum in Scripturis non invenimus aliquos ad Ecclesiam transisse ab Hæreticis, et sicut ego dico, aut sicut tu dicis, esse susceptos; suscipiendi sunt isti, quemadmodum suscipit ista Ecclesia per omnes gentes.*

Inst. 1. Ecclesia probatur per Scripturam; ergo Scriptura est notior Ecclesia.

Resp. *Dist. ant.* Ecclesia probatur per Scripturam, secundario et hypothetice, *conc.* primario et absolute, *nego ant. et conseq.* Equidem Ecclesia probatur per Scripturam, sed apud eos solum qui admittunt Scripturas, quales sunt ut plurimum Hæretici, non vero Ecclesia probatur primario et apud omnes per Scripturam, ut probabimus, cap. 4, art. 4, *de Infallibilitate Ecclesiæ*, ubi diluemus circulum vi-

uosum, quem nobis mendaciter improperant Hæretici.... Responsio constat ex Div. Augustino, qui agens contra Donatistas, qui, admittentes Scripturas, asserebant apud se solos esse veram Ecclesiam, ait [1] : *Ecce Scripturæ communes, ecce ubi novimus Christum, ecce ubi novimus Ecclesiam... si in ipsum Christum, quem legitis, et non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis, quare Ecclesiam negatis, quam et legitis, et videtis?*

INST. 2. Div. August. pluribus locis ostendit non posse Ecclesiam aliter cognosci quam per Scripturam : sic [2] ait : *Sed utrum ipsi* (Donatistæ) *Ecclesiam teneant, nonnisi de divinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant.* Ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Neque enim ex eo textu sequitur Ecclesiam aliter cognosci non posse, nisi per Scripturam; sed ex eo id solum colligi potest, quod nullæ sint notæ veræ Ecclesiæ, quæ non habeant testimonium a Scriptura, et ejus auctoritate non fulciantur.

INST. 3. Div. Chrysost. [3] ait : *Qui vult cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?* Et postea : *Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur et peribunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia.* Ergo, etc.

RESP. 1. *Nego conseq.* Quia hoc opus imperfectum in Matthæum complectens 54 homilias, non est D. Chrysostomi, licet quandoque sub ejus nomine laudetur : quod ostendo ipsismet verbis H. Tournely : *Tum quia,* inquit, *utitur vulgata versione latina Scripturæ Sacræ : tum quia citat libros Apocryphos, librum nempe Seth, Ezechiæ, Itinerarium Clementis, quorum certe nullas apud genuinum Chrysostomum usus : tum denique quia multa continet dogmata hæretica, vera S. Chrysostomi doctrinæ aliena.*

RESP. 2. Tournely : *Eo sensu, in mente auctoris illarum homiliarum, Scripturam esse notam Ecclesiæ, quod ipsa sola nobis*

[1] Epist. 105. — [2] Lib. *de Unitate Ecclesiæ*, cap. 19.
[3] Homil. 49, in c. 24 Matth.

subministret veras notas, quibus possumus eam secernere ab Hæreticorum conventiculis, cum quibus multa communia habemus.

ARTICULUS II.

DE UNITATE ECCLESIÆ.

Nota 1. Unitas Ecclesiæ in tribus potissimum posita est, nempe 1. In universali ejusdem fidei consensione; nam ex Apost. [1]: *Unus Deus, una fides, unum Baptisma.* 2. In eorumdem Sacramentorum participatione, ut dicit Aug. [2]: *Christus paucissimis Sacramentis unitatem novi populi colligavit.* 3. In eodem ubique terrarum regimine sub Pastoribus ab Apostolis continua successione ordinatis atque uni capiti visibili, Romano Pontifici, qui sit unitatis centrum et origo, subordinatis.

Nota 2. Ecclesia Romana sumi potest particulariter, aut universaliter.

Ecclesia Romana *particulariter* sumpta, est ea Ecclesia quæ Romæ constituta est, quæ vocatur *Sedes Romana,* et quæ non minus particularis est, quam Ecclesia, v. g. Tullensis; cum hoc tamen discrimine, quod inter Ecclesias particulares sit principalior, atque mater cæterarum, quatenus in ea est sedes D. Petri, et successorum ejus, qui omnibus aliis Ecclesiis præsunt.

Ecclesia Romana *universaliter* sumpta, est ea fidelium societas, quæ per totum orbem diffusa, Sedem Romanam agnoscit pro Sede, cui a Christo concessus est primatus in omni Ecclesia, cui consequenter aliæ omnes particulares ecclesiæ obedire tenentur : hæc vocatur *Ecclesia Romano-Catholica,* de qua hic agimus.

Nota 3 Novatores, maxime Jurius, *docent* Ecclesiam non esse unam quamdam societatem Christianorum, sub iisdem Pastoribus, eadem dogmatum communione conjunctorum, sed esse unam conflatam ex omnibus sectis, quæ

[1] Ephes. 4. — [2] Epist. 118.

christianum nomen profitentur, quantumvis hæresi aut schismate a se invicem sejunctis, modo non errent in fundamentalibus fidei articulis.

Docent 2° Sedem Romanam, seu Summum Pontificem, non esse centrum unitatis Ecclesiæ, contra quos,

CONCLUSIO I.

Ecclesia est una, extra quam salus obtineri non potest.

PROB. PRIMA PARS. 1. *Ex Scriptura* : Ecclesia est corpus, ovile et sponsa Christi : atqui corpus Christi est unicum [1] : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus Spiritus*, etc. Ovile Christi est unicum [2] : *Fiet unum ovile, et unus Pastor*. Sponsa Christi est unica; *Christus*, ait Optatus Milev. lib. 1, *sponsus est unius Ecclesiæ, sicut in Canticis Canticorum*, cap. 4, *ipse testatur; qui cum unam laudat, cæteras damnat.*

Prob. 2. *Ex SS. Patribus*, qui Ecclesiam comparant cum Arca Noe, cum veste Christi inconsutili, cum domo in qua Agnus Paschalis comedebatur : atqui una tantum fuit Arca Noe, una atque indivisa vestis Christi, una domus pro comestione Agni Paschalis præcepta. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Ex constanti Patrum traditione. D. Cyprian. [3] de Hæreticis et Schismaticis ait : *Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse, nisi in Ecclesia, possit.*

S. Aug. *Serm.* 6, sic loquitur : *Nunquam homo, nisi in Ecclesia Catholica, salutem poterit invenire.*

D. Fulgent. [4] ait : *Firmissime tene, et nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum, sive Schismaticum... si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari.*

[1] Ephes. 4. — [2] Joan. 10.
[3] Epist. 62 ad Pomponium. — [4] Lib. *de fide ad Petrum*, cap. 39.

DICES *contra 1^am partem.* Apost. Rom. 16, ait: *Salutant vos omnes Ecclesiæ;* ergo Ecclesiæ sunt plures.

RESP. *Dist. conseq.* Sunt plures Ecclesiæ particulares, quæ omnes sunt partes Ecclesiæ universalis, sicut plures civitates sunt partes unius regni, *conc.;* sunt plures Ecclesiæ universales, *nego conseq.*

INSTAT *Jurius.* Ad unitatem Ecclesiæ sufficit consensus in ea fide per quam Christiani sumus; atqui Christiani sumus per admissionem solorum articulorum fundamentalium. Ergo, etc.

RESP. 1. *Nego maj.* Nam ad unitatem Ecclesiæ requiruntur tres conditiones supra enumeratæ.

RESP. 2. *Nego min.* Nam vera fides, quæ est una et indivisa, non potest stare cum dissensu ab aliquo articulo per Ecclesiam definito: dicit enim Apostolus [1]: *Si quod solatium charitatis, idem sapientis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem.* Sed qui non admittunt omnes veritates fidei definitas, non idem sapiunt, non sunt unanimes, perpetuas contentiones habent, etiam circa articulos quos vocant fundamentales. Nam Lutherani, v. g. affirmant articulum de reali præsentia esse fundamentalem, quod negant Calvinistæ: item Calvinistæ contendunt doctrinam de Christi divinitate, de gratuita prædestinatione, de Baptismi infantibus collati validitate, esse fundamentalem; quod tamen negant Sociniani et Anabaptistæ: ergo apud Novatores non reperitur unitas fidei.

INST. 2. Ecclesia non potest novos fidei articulos condere, cum ipsi non fiant novæ revelationes; ergo non requiritur ad fidei unitatem, ut omnia credantur quæ de novo definiuntur.

RESP. *Nego conseq.* Licet enim Ecclesia non possit novos condere fidei articulos, tamen, pro temporum necessitate et insurgentium Hæreticorum oppugnatione, potest ex Scriptura et traditione, definire aliquid esse de fide; cui

[1] Philipp. 2.

definitioni per assistentiam Spiritus Sancti factæ, quilibet Christianus tenetur obtemperare, nisi velit *sicut Ethnicus et Publicanus* haberi.

DICES *contra* 2^am^ *partem*. Extra Synagogam poterant omnes salvari; ergo et extra Ecclesiam, quæ successit Synagogæ.

RESP. *Transeat ant. Nego conseq.* Disparitas est, quod Synagoga non fuerit Catholica, cum solos Judæos colligaverit, e contra Ecclesia Christi est Catholica, toto orbe terrarum diffusa, quæ licet Synagogæ successerit, tamen ejus imperfectionibus non participavit.

Dixi *transeat ant.* Quia, juxta multos, extra Synagogam nullus Judæus salutem consequi poterat, utpote transgressor pacti cum Deo per circumcisionem initi.

CONCLUSIO II.

Sedes Romana est centrum unitatis Ecclesiæ, ita ut non possit esse una absque subordinatione et dependentia a supremo ejus capite, Romano Pontifice.

PROB. 1. Ea Sedes est centrum unitatis Ecclesiæ, quæ jure divino primatum habet in universa Ecclesia; atqui Sedes Romana jure divino habet primatum in universa Ecclesia, ut infra probabitur. Ergo, etc.

PROB. 2. Ex constanti SS. Patrum traditione, inter quos quatuor tantum brevitatis causa referam.

S. Iren. [1] ait : *Ad hanc Ecclesiam Romanam, propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est, eos qui sunt undique fideles.*

S. Cyprian. [2]: *Exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur.*

S. Hieronym. [3] sic loquitur : *Ego Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior : super illam petram ædi-*

[1] L. *Advers. hær.*, cap. 3. — [2] L. *de Unitate Ecclesiæ.*
[3] Epist. 14 ad Damasum.

ficatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est; si quis in Arca Noe non fuerit, peribit durante diluvio.

Optatus Milev. [1]: *Negare non potest*, ait, *in urbe Roma, Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam... in qua una Cathedræ unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.*

Dices. Sufficit servare unitatem cum Christo supremo Ecclesiæ capite; ergo ad unitatem Ecclesiæ necessaria non est dependentia a Romano Episcopo, et cum ipso communio.

Resp. *Nego ant.* Equidem Christus est caput Ecclesiæ, sed invisibile; verum, cum Ecclesia sit corpus visibile, requiritur etiam ut habeat aliquod caput visibile, cui adhæreant singula Ecclesiæ membra : tale autem est Pontifex Romanus.

Inst. S. Cyprian. obiit extra communionem Stephani Romani Pontificis, a quo erat excommunicatus; ergo ad unitatem Ecclesiæ non requiritur communio cum Romano Pontifice.

Resp. *Nego ant.* Licet enim Stephanus R. P. comminatus fuerit anathema in Cyprianum et alios Africanos; tamen ultra minas non perrexit, ut docet Div. Aug. [2]: *Stephanus abstinendos putaverat* (Africanos)... *vicit tamen pax in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur.*

CONCLUSIO III.

Sola Ecclesia Romano-Catholica habet unitatem, quæ veræ Christi Ecclesiæ est nota.

Prob. Unitas quæ veræ Ecclesiæ est nota, in tribus consistit, nempe : 1. In universali ejusdem fidei confessione. 2. In eorumdem Sacramentorum participatione. 3. In

[1] L. 2, Contra Parmenianum.

[2] Lib. 5 *de Baptismo contra Donatist.*, cap. 25.

dependentia a Romano Pontifice et aliis Pastoribus ipsi subordinatis; atqui hæc tria occurrunt in Ecclesia Romana, quæ ubique terrarum eadem administrat Sacramenta, eamdem fidem profitetur cum dependentia a Romano Pontifice, ut patet; non vero occurrunt in sectis Hæreticorum; namque, Hæretici inter se, nec quoad fidem nec quoad Sacramenta conveniunt, ut constat ex sectis Lutherana et Calviniana, quæ sibi invicem adversantur in numero Sacramentorum, in præsentia Christi in Eucharistia, et in infinitis aliis quæ referre tædet; imo una eademque secta seipsam contradictionibus et infinitis variationibus confodit [1], nec diu stat quin in plures factiones disrumpatur, ita ut de sola secta Lutheri Bellarm. [2]: *Nunc autem numerantur fere 100 diversissimæ sectæ ab uno Luthero prodeuntes, id quod fit magna providentia Dei, nam hoc modo hæreses seipsas consumunt.* Ergo sola Ecclesia Romana habet unitatem, etc.

Objectiones.

Objicit 1. Calvin. [3] Ex ipsa Apostolorum Ecclesia ortæ sunt variæ sectæ Simonianorum, Nicolaitarum, Marcionitarum, etc. Ergo non mirum est, si ex Ecclesia Lutheranorum et Calvinistarum variæ ortæ sint sectæ contrariæ.

Resp. *Dist. ant.* Ex Ecclesia Apostolorum, et non ipsius Ecclesiæ doctrina, ortæ sunt sectæ variæ, *conc. ant.* ortæ sunt ex ipsa Ecclesiæ doctrina; *nego ant.* Itaque in Ecclesia Romano-Catholica exstat regula certa et infallibilis finiendarum controversiarum, judicium scilicet Ecclesiæ, et ideo divisio Hæreticorum ab Ecclesia Romana non oritur ex ipsius Ecclesiæ doctrina, sed ex malitia Diaboli, ait Bellarm. At in ecclesiis Hæreticorum nulla est regula certa finiendarum controversiarum, cum enim illi suo privato spiritu ducantur, necesse est eos ex suæ Ecclesiæ doctrina in partes omnino contrarias abripi.

[1] Vide illustriss. Bossuet, lib. *de Variationibus*.
[2] Lib. 4 *de Notis Eccles.*, cap. 10. — [3] In præf. instit.

Inst. 1. *Calvin.* [1]. In Ecclesia Romana tot sunt sectæ et divisiones, quot sunt Monachorum ordines, quorum alii Benedictini, alii Franciscani, alii Dominicani dicuntur; ergo Ecclesia Romana non est una.

Resp. *Nego ant.* Nam illæ societates, non minus quam cæteri fidelium, legitimis Ecclesiæ Pastoribus, nimirum Romano Pontifici, subjiciuntur, eamdem fidem profitentur; nec illa nomina Benedictorum, Franciscanorum, etc. desumpta sunt ab authore doctrinæ, sed ab institutore severioris et arctioris disciplinæ, ut notum est.

Inst. 2. Illæ Monachorum societates, imo singula Monasteria sibi diversum altare erexerunt; ergo constituunt sectas diversas et schismaticas.

Resp. *Dist. ant.* Sibi erexerunt altare diversum materialiter, *conc. ant.* formaliter, ita ut altare aliorum censeant profanum, *nego ant.* Porro nullus potest diei Schismaticus propter diversum altare materialiter; alias omnes Parochi essent Schismatici, quia habent diversa altaria in eadem civitate.

Objicies 2. In Ecclesia Romana non est doctrinæ consensio; ergo sufficienti unitatis charactere non est insignita.

Prob. ant. Alia est doctrina Thomistarum, alia Scotistarum, alia Molinistarum, etc. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Alia est doctrina Thomistarum, alia, etc., circa dogmata fidei, *nego ant.* in his enim omnes sunt perfecte concordes, quæ non pendent a particularibus Doctorum opinionibus, sed ex Ecclesiæ definitionibus. Circa opiniones liberas Scholæ, *conc. ant.* illæ enim opiniones non attingunt dogma in se, sed solum in modo illud explicandi, v. gr. omnes nostri Doctores septem Sacramenta admittunt, admittunt illa conferre gratiam ex opere operato, id est, ex virtute sibi a Christo indita; sed an conferant gratiam phy-

[1] L. 4 instit., cap. 13.

sice, an moraliter, est libera opinio Scholæ circa quam varias in partes abire permittit Ecclesia.

Objicies 3. Licet Ecclesiæ omnes habeant eamdem fidem, et eadem Sacramenta, non ideo potest dici una. Ergo, etc.

Prob. ant. Plura quæ habent easdem qualitates, licet sint similia, non sunt tamen unum; ergo licet singulæ ecclesiæ particulares habeant eamdem fidem, etc., non sequitur eas esse unam Ecclesiam.

Resp. *Nego cons.* Disparitas est, quod quæ habent easdem qualitates, non habent eumdem finem, aut, si forte habeant, in eum tendunt velut entia quædam completa, non vero ut partes unius totius, prout faciunt illi qui unam eamdemque habent fidem, etc.

Objicies 4. Licet diversa regna habeant eumdem principem, non tamen sequitur quod sint unicum regnum; ergo licet omnes ecclesiæ particulares habeant eumdem Pontificem, non sequitur eas esse unam ob unitatem capitis.

Resp. *Nego conseq.* Quia singulares ecclesiæ non constituunt diversa regna, uni capiti per accidens subdita, ut fit in regnis hujus mundi; sed constituunt unicum regnum, ordinatione Christi, uni capiti subditum; unde comparatio non est ad rem.

ARTICULUS III.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ.

Nota 1. Ecclesiam Christi in se esse sanctam, certum est apud omnes etiam hæterodoxos, nam *pro ea seipsum tradidit Christus, ut eam sanctificaret.* Unde membra Ecclesiæ dicuntur *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* [1].

Nota 2. Ecclesiam non esse sanctam hoc sensu, quod singula illius membra habeant sanctitatem, quam in ipsis desiderat pia mater; in ea enim sunt boni et mali.

Nota 3. Licet Ecclesia dicatur et sit sancta, *tum* ratione

[1] 1 Petri 2.

capitis Christi Domini, qui est fons et origo omnis sanctitatis; *tum* ratione finis, nempe cultus divini, cui promovendo consecrata est; *tum* ratione Sacramentorum, quæ sunt gratiæ sanctificantis efficacia instrumenta; tamen sanctitas, quæ est nota veræ Ecclesiæ, in tribus potissimum posita est: nempe 1. in sanctitate fundatorum; 2. in sanctitate doctrinæ et professionis; 3. in sanctitate præcipuorum membrorum; ideo hic quæritur in qua societate reperiatur triplex illa sanctitas.

CONCLUSIO.

Sola Ecclesia Romana est sancta sanctitate quæ est nota veræ Christi Ecclesiæ.

Prob. In tribus posita est sanctitas, quæ veræ Ecclesiæ nota est, ut dictum est; atqui sola Ecclesia Romano-Catholica hac triplici sanctitate gaudet.

Prob. min. per partes.

1. Ea Ecclesia est sancta *sanctitate fundatorum*, quæ pro fundatoribus agnoscit viros sanctitate insignes; atqui sola Ecclesia Romana pro fundatoribus agnoscit viros sanctitate insignes, nimirum Apostolos et apostolicos viros, sanctos Patres variosque qui ipsis successerunt Pontifices et Episcopos, qui eminenti sanctitate prædíti ac miraculis clari, martyrium tandem pro Christo ejusque Ecclesia firmo ac constanti animo subierunt. Ergo.

E contra societates pseudo-reformatorum pro fundatoribus agnoscunt Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Bezam, etc., qui omni vitiorum et excessuum pruritu corrupti fuerunt, ut nemo ignorare potest. Ergo.

2. Ea Ecclesia est sancta *sanctitate doctrinæ et professionis*, quæ fidem sanctam et mores sanctos profitetur; atqui Ecclesia Romana fidem sanctam et mores sanctos profitetur; nihil enim proponit credendum, nisi quod in verbo Dei scripto et tradito continetur, nulla morum præcepta tradit,

quæ non sunt sanctissima, per quæ omne vitium damnatur et omnis virtus commendatur. Ergo.

E contra sectæ Hæreticorum habent doctrinam a fide alienam et præcepta quæ bonis moribus adversantur; docent enim : « Deum esse causam peccati; proditionem « Judæ non minus esse opus Dei, quam sancti Petri con« versionem; præcepta divina esse impossibilia; bona opera « non esse ad salutem necessaria; Sanctos non esse invo« candos; justitiam esse inamissibilem; matrimonium esse « jure divino præceptum etiam Sacerdotibus et Monachis;» et multa alia quæ viam omnibus vitiis aperiunt, virtutibus autem præcludunt.

3. Ecclesia Romana est sancta *sanctitate præcipuorum membrorum*, quæ sanctitas, licet sit interna, tamen se prodit exterius; estque visibilis secundum suos effectus, juxta illud [1] : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Quot enim in ea Episcopi, Sacerdotes, et alii Ecclesiæ ministri, in quibus eæ dotes elucent quas Apostolus, scribens ad Timotheum, requirit? Quot sanctæ Congregationes, quarum professores, contemptis sæculi divitiis et honoribus, totos se tradunt operibus, ac rerum divinarum contemplationi? Quot Laici, qui hoc mundo utuntur tanquam non utantur, qui *induunt se, sicut electi Dei sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam* [2].

E contra apud sectas hæreticorum, quot luta, quot fæces; nec mirum, eorum enim doctrina favet omnibus cupiditatibus.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Ea societas non est sancta, quæ identidem indiget reformatione; atqui Ecclesia Romana talis est. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Quæ indiget reformatione in eis quæ spectant ad fidem et mores, *conc. maj.* in eis quæ spectant ad solam disciplinam, *nego maj.* Porro Ecclesia Romana-

[1] Matth. 5. — [2] Coloss. 3, v. 12.

Catholica semper retinuit doctrinam, quam Apostoli tradiderunt; et ideo nunquam indiguit reformatione in eis, quæ ad fidem et mores spectant, sed in eis tantum quæ spectant ad disciplinam; sanctitas autem, quæ est nota Ecclesiæ, non consistit in sanctitate disciplinæ, sed in sanctitate doctrinæ.

Objicies 2. Ecclesia non potest dici sancta propter sanctitatem aliquorum ejus membrorum. Ergo.

Prob. ant. Denominatio desumitur a majori parte; atqui Ecclesia continet plures malos quam bonos. Ergo.

Resp. *Dist. axioma.* Denominatio desumitur a majori parte, quando agitur de qualitate per subjectum extensa, *conc.* sic paries pro majori sui parte dealbatus, denominatur albus. Quando agitur de qualitate, quæ non est sic per subjectum extensa, *nego axioma;* tunc enim denominatio desumitur a nobiliori parte: sic civitas dicitur opulenta, propter quosdam in ea opulentos, licet multo plures in ea sint inopes.

Inst. Ecclesia non dicitur prædestinata propter paucos, qui in ea sunt tales; ergo non debet dici sancta propter paucos, qui in ea sunt sancti.

Resp. *Nego ant.* Nam potest dici prædestinata, non secus ac dicitur sancta.

Prob. ant. Ecclesia non dicitur damnata propter reprobos qui in ea sunt; ergo nec prædestinata propter prædestinatos.

Resp. *Nego conseq.* Quia, ut dictum est, denominatio desumitur a parte nobiliori.

ARTICULUS IV.

DE CATHOLICITATE ECCLESIÆ.

Nota. Ecclesia dicitur *Catholica*, ab universalitate locorum per quæ diffunditur, juxta illud Aug.[1]: *Ecclesia catho-*

[1] Epistol. 107.

lica appellatur quia per totum orbem terrarum diffunditur. Hinc Optatus [1] sic urget Parmenianum : *Ubi ergo proprietas catholici nominis? cum inde Ecclesia dicta sit catholica, quod sit ubique diffusa.*

CONCLUSIO I.

Ecclesia Christi vere est catholica.

Prob. 1. Ex verbis ipsius Domini [2] : *Quoniam scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere tertia die et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Jerusalem.* Quæ verba exponens Aug. [3] ait : *Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam unde cœptura, et quousque perventura esset; cœptura scilicet ab Jerusalem, et perventura in omnes gentes.* Quod prædixerat Regius Psaltes [4] : *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos terræ.*

Prob. 2. Ex præcepto Apostolis a Christo dato, Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes.* Quod præceptum ab Apostolis fuit accuratissime impletum, ut testatur Apost. [5] : *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

Prob. Ex Patribus, quia assignant catholicitatem pro vera et singulari Ecclesiæ nota, qua distinguitur a qualibet alia societate.

Ex Aug. [6] dicente : *Tenet me in Ecclesiæ gremio ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista sola Ecclesia obtinuit ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam, vel domum suam audeat ostendere.* Et lib. *de Vera religione*, cap. 7 : *Velint nolint*, ait, *ipsi quoque Hæretici et Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud*

[1] L. 2 contra Parmen. — [2] Luc. 24.
[3] L. *de Unitate Eccles.*, cap. 10. — [4] Ps. 71. — [5] Rom. 10.
[6] Lib. contra Epist. fundament., cap. 4.

quam Catholicam vocant : non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant quo ab universo orbe nuncupatur.

Ex S. Paciano [1], qui ut significet, se in vera Christi Ecclesia esse, sic loquitur : *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen ; illud me nuncupat, hoc me ostendit.* His duobus Patribus omnes alii consentiunt.

CONCLUSIO II.

Catholicæ nomen soli Ecclesiæ Romanæ convenit.

Prob. Ei soli societati convenit *Catholicæ* nomen, quæ per totum orbem terrarum diffusa est; atqui sola Ecclesia Romana per totum orbem terrarum diffusa est, eminet enim in Europa, Asia, Africa, et America. Ergo.

E contra vero societates Hæreticorum in aliquibus duntaxat, aut Europæ, aut aliarum orbis partium angulis reperiuntur : *Diversorum autem Hæreticorum Ecclesiæ catholicæ non dicuntur*, ait D. Aug. [2], *quia per loca, atque per suas quasque provincias continentur ; hæc vero* Ecclesia Romana *a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.*

Objicies. Ecclesia Romana non est ubique diffusa; ergo non debet dici Catholica.

Resp. *Neg. ant.* Diffusio enim, quæ, juxta prophetias, veræ Ecclesiæ convenit, duplex est. *Successiva :* nimirum, qua temporum successu Evangelium omnibus gentibus annuntiari debet, juxta illud Isaiæ 2 : *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Quod successive fieri debuit. Et *diffusio permanens,* secundum quam Ecclesia debet ingentem multitudinem continere, et latius patere, quam ulla alia Christianorum secta seorsim sumpta. Atqui utraque illa diffusio Ecclesiæ Romanæ convenit; nam,

1. Successive, et per partes propagata fuit *per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem.* Hoc ex continua Pastorum et populorum successione ostenditur.

[1] Epist. 1 ad Sympronianum. — [2] Serm. 131 de tempore.

2. Etsi Ecclesia Romana, mathematice loquendo, non sit ubique physice diffusa, tamen ubique est visibilis, et tantam multitudinem in sua diffusione continet, ut longe superet alias Hæreticorum sectas.

Prob. ant. Hæreticorum et Schismaticorum sectæ majorem orbis partem occupant. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Omnes Hæreticorum sectæ collective sumptæ, *conc. ant.* distributive sumptæ, *nego ant.* Ergo Ecclesia Romana non est ubique diffusa physice, *conc. conseq.* nam sunt aliquæ gentes, quibus Evangelium nondum est annuntiatum. Moraliter, *nego conseq.* Porro ad Ecclesiæ catholicitatem sufficit diffusio moralis, quæ in hoc consistit, ut Ecclesia quæ dicitur Catholica, in præcipuis orbis partibus ita emineat, ut diffusior sit qualibet alia secta seorsim sumpta, nec sicut sectæ particulares quibusdam provinciis, aut regnis coarctetur; atqui talis est Ecclesia Romana; ergo est vere Catholica.

Præterea *nemo dubitat quin Divi Augustini tempore, innumeræ essent gentes, quæ nihil audierant de Evangelio*, ait Juenin [1], *constat plurimas hæreses tunc in orbe christiano grassatas fuisse : et tamen id non impedit quin Ecclesia ab Aug. cæterisque ejus ævi Patribus Catholica diceretur.*

Inst. 1. Religio Mahumetica magnam orbis partem occupat. Ergo est diffusior Ecclesia Romana.

Resp. *Dist. ant.* Magnam orbis partem occupat extra quam non progrediatur, *conc. ant.* extra quam progrediatur, *nego ant.* Nam intra suos fines ita continetur, ut ulterius non progrediatur, solaque Ecclesia Romana cultores habet in omnibus mundi partibus, etiam in terris Hæreticorum et Mahumetanorum. Præterea *Catholicum* interpretatur a S. Paciano [2] *ubique unum :* sed Mahumetismus, non secus ac hæresis, in varias subdividitur sectas sibi invicem

[1] Dissert. 4 *de Locis Theol.*, c. 4, art. 3.
[2] Epist. 1 ad Sympronianum.

oppositas, quarum nulla seorsim sumpta Romanæ Ecclesiæ prævalet.

Inst. 2. Multo plures sunt Mahumetani quam Christiani Romani; ergo Mahumetismus est diffusior Ecclesia Romana.

Resp. *Transeat ant. Nego conseq.* Quia catholicitas non tam desumitur ex majori professorum numero, quam ex majori dispersione et diffusione. Præterea notæ Ecclesiæ non eam distinguunt, nisi a sectis Hæreticorum et Schismaticorum, quæ se christianas dicunt : nam vera Ecclesia in suo ortu non fuit catholica respectu Paganorum, qui universum fere orbem occupabant, sed respectu duntaxat Nicolaitarum, Cerinthianorum, Ebionitarum, etc., qui tempore Apostolorum Ecclesiam sciderunt.

Dixi : *transeat :* Quia Ecclesia Romana Mahumetismo prævalet etiam numero, si omnes numerentur Romani Catholici, qui in Mahumetanorum et Hæreticorum regionibus versantur; et ideo poterat negari antecedens.

ARTICULUS V.

DE APOSTOLICITATE ECCLESIÆ.

Nota. Ex duplici capite Ecclesia dicitur *Apostolica.* 1. Ex parte doctrinæ ab Apostolis traditæ, quam docet Ecclesia. 2. Ex parte auctoritatis a Christo Apostolis traditæ, et ab Apostolis ad successores transmissæ.

Certum est itaque, eam Ecclesiam esse Apostolicam, quæ docet doctrinam ab Apostolis, tum scripto, tum viva voce traditam, et quæ regitur a successoribus Apostolorum; unde hic unice resolvendum est, quænam inter omnes societates, quæ se Christianas nominant, sit Apostolica, tum ratione doctrinæ, tum ratione auctoritatis; ideo,

CONCLUSIO I.

Sola Ecclesia Romana est Apostolica ratione doctrinæ ab Apostolis ad nos usque derivatæ.

Prob. Illa Ecclesia est Apostolica ratione doctrinæ, quæ nullam aliam profitetur doctrinam quam quæ ab Apostolis fuit tradita ac disseminata; atqui Ecclesia Romana nullam aliam profitetur doctrinam quam quæ ab Apostolis tradita fuit ac disseminata; de qua Tertullianus [1] ait : *Apostoli Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant; ac per hoc et ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum.* Nec ullus Ecclesiæ Romanæ novitatem in aliquo dogmate potest objicere, cum omnium suorum dogmatum antiquitatem, legitima præscriptione, demonstrat.

E contra, sectæ Hæreticorum novitatis in doctrina facili negotio convincuntur ab Ecclesia Romana, quæ evidenter probat, a quibus, quo tempore, in quo loco falsa eorum dogmata invecta fuerunt, et a quibus fuerunt oppugnata. Unde de ipsis possumus dicere quod Tertullian. [1] de Hæreticis sui temporis dixit : *Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque Apostolici : quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita et Apostolici non contraria Apostolis edidissent.* Ergo sola Ecclesia Romana est Apostolica ratione doctrinæ.

CONCLUSIO II.

Sola Ecclesia Romana est Apostolica ratione auctoritatis.

Prob. Illa sola Ecclesia est Apostolica ratione auctoritatis, cujus Pastores, et alii ministri, successione non interrupta, ab Apostolis vel immediate vel mediate ordinati et missi fuerunt; atqui solius Ecclesiæ Romanæ Pastores, succes-

[1] L. *de Præscript.*, cap. 52.

sione non interrupta, ab Apostolis immediate vel mediate ordinati et missi fuerunt, teste Aug. [1] dicente : *Tenet me in Ecclesia Catholica ab ipsa sede Petri Apostoli... usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Ideo S. Iren. [2] enumerat omnes Episcopos Romanos a Divo Petro usque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, et dicit per hanc successionem confundi omnes Hæreticos.

E contra, in societatibus Hæreticorum, continua non reperitur ab Apostolis Episcoporum series, sed novo jure Pastores sibi præficiunt. *Hi sunt*, ait D. Cyprian. [3] *qui se præpositos, sine ulla ordinationis lege, constituunt, qui, nemine Episcoporum dante, Episcopi sibi nomen assumunt;* quibus dicere possumus cum Tertull. [4] : *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum : evolvant ordinem suorum Episcoporum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem : hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt : sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum a Joanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit : proinde utique et cæteræ exhibent quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos, Apostolici seminis traduces habent. Confingant tale aliquid Hæretici : quid enim illis post blasphemiam illicitum est ?*

Novatores in omnem partem sese vertunt, ut declinent vim hujus argumenti, quod illos schismaticos visibiliter et sensibiliter ostendit, nec inveniunt ubi firmum figant pedem, ut patebit ex solutione objectionum.

OBJECTIONES.

Objiciunt. 1. Ecclesiarum reformatarum auctores habuerunt missionem tum ordinariam, tum extraordinariam; ergo Ecclesiæ reformatæ sunt Apostolicæ.

Resp. *Nego ant.* Quoad utramque partem, nam *missioor-*

[1] L. contra Epist. fundam., cap. 4. — [2] L. 3, c. 1.
[3] L. de *Præscript.*, cap. 32. — [4] L. *de Præcript.*, cap. 32.

dinaria est ea, qua Deus, mediantibus Ministris jam constitutis, alios mittit, eisque auctoritatem largitur : *missio extraordinaria* est ea, qua Deus per se ipsum, absque medio, aliquem ad ministerium vocat eique auctoritatem immediate largitur; atqui Hæretici neutram habuerunt.

1. Non habuerunt ordinariam, ut docet D. Cyprian. [1] : *Pastor haberi quomodo potest, qui nemini succedens, et a se ipso incipiens, alienus fit et profanus?* Tales sunt Lutherus, Calvinus, Zuinglius, ut probatum est.

2. Non habuerunt extraordinariam missionem, nam hæc probari debet signis et portentis, quomodo Moyses suam probavit, sicut et Christus qui de se ipso dicebat : *opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me.* Atqui authores Ecclesiarum pseudoreformatarum nullis signis, nullis miraculis, se a Deo extraordinarie ad reformandam Ecclesiam missos probarunt. Ergo.

Prob. ant. quoad primam partem. Qui ordinati sunt in Ecclesia Romana, missionem habuerunt ordinariam; atqui authores Ecclesiarum reformatarum sic ordinati sunt. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui in Ecclesia Romana simplices sacerdotes ordinati sunt, habuerunt missionem ordinariam, *nego ant.* nam per missionem intelligitur potestas regendi Ecclesiam Dei, consecrandi Ministros, etc., quæ solis convenit Episcopis. Qui ordinati sunt Episcopi, receperunt missionem ordinariam, *subdist.* quam retinuerunt qui remanserant in Ecclesia Romana, *conc. maj.* quam retinuerunt qui ab Ecclesiæ Romanæ gremio penitus fuerunt exclusi, *nego maj.* nam eadem Ecclesia, quæ Hæreticis et Schismaticis missionem contulerat, illam ab eis abstulit per anathematis decretum, quod in eos intorsit.

Prob. ant. quoad secundam partem. Illi habuerunt missionem extraordinariam, qui suam missionem signis et portentis

[1] Epist. 76 ad Magnum

probarunt; atqui Lutherus et Calvinus suam missionem signis et portentis probarunt. Ergo. *Resp. Nego min.*

Prob. min. Rapidissima tot populorum conversio, qui, intra tempus brevissimum reformationem amplexi sunt, est maximum miraculorum. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Neque enim opus est miraculo, ut quis, relicto austeriore vivendi modo, amplectatur eum qui omnibus hominum cupiditatibus favet, quique vi et armis propugnatus est; e contra maximum fuisse miraculum, quod tota Christianitas ad Calvinismum et Lutheranismum non defecerit, nemo non videt.

Objicies 2. Non est necessaria missio ad regendam Ecclesiam Dei. Ergo.

Prob. ant. Deus *mandavit unicuique* habere curam *de proximo suo* [1]; ergo non est necessaria missio, ut quis veritates fidei doceat.

Resp. *Dist. conseq.* Ut veritates fidei doceat, quatenus homo particularis, *conc.* sic et mulieribus mandavit Deus de proximo suo. Quatenus Pastor, qui, auctoritate Ecclesiastica, regat populum sibi commissum, *nego conseq.* nam *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron,* ait Apost. [2].

Inst. 1. Missio divina deest Pontificibus Romanæ communionis; nam 1. Papa eligitur a Cardinalibus, qui sunt institutionis humanæ; 2. Episcopi plerumque a Regibus eliguntur; ergo non habent missionem divinam.

Resp. *Nego conseq.* Aliud enim est electio, aliud ordinatio; per istam, non per illam, datur missio; et licet Summi Pontifices a Cardinalibus, Episcopi a Regibus eligantur, ab Episcopis tamen, qui sunt juris divini, ordinantur secundum formam a Christo præscriptam, vi cujus ab ipso divinam auctoritatem accipiunt, ubi semel sunt canonice instituti.

[1] Eccl. 17, v. 12. — [2] Hebr. 5.

INST. 2. Plures Antistites in Ecclesia Romana per avaritiam, simoniam et ambitionem sedes quotidie invadunt : atqui ii a Deo non mittuntur, de quibus Deus olim dixit per Jeremiam 23. *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant.* Ergo.

RESP. *Nego min.* Nam ad habendam missionem sufficit vera ordinatio; porro Antistites, de quibus objectio, vere ordinati sunt, et licet gratiam ordinationis non receperint, receperunt tamen characterem et jurisdictionem in membra Ecclesiæ.

CAPUT IV.

DE ECCLESIÆ PROPRIETATIBUS

Nota. Quatuor sunt Ecclesiæ proprietates, visibilitas nimirum, indefectibilitas, auctoritas, et infallibilitas : de quibus sequentibus articulis dicemus.

ARTICULUS I.

DE VISIBILITATE ECCLESIÆ.

Nota 1. Vera Christi Ecclesia dicitur *visibilis*, non tantum eo sensu quod oculis intuentium pateat : hoc enim modo, nulla est, aut fuit unquam Hæreticorum secta, quæ aspectabilis non fuerit; sed præcipue quod inter omnes alias sectas, per totum orbem singulari quadam hac eminenti perspicuitate, omnium oculis præfulgeat.

Nota 2. Novatores, initio suæ defectionis, docuerunt Ecclesiam esse visibilem, et quidem permanenter, ut constat ex Confessionibus Augustana et Wittembergensi : sed cum urgerentur a Catholicis petentibus ubinam esset Ecclesia Reformatorum ante Lutherum et Calvinum, atque ex visibilitate Ecclesiæ probarent eorum Ecclesiam non esse veram, cum invisibilis fuerit ante suam ab Ecclesia Romana defectionem; ut ab ea difficultate sese expedirent, responderunt, eam quidem visibilem esse, sic tamen ut in certis temporibus sic densa caligine fuerit involuta, ut pene fuerit extincta, et minime conspicua. Contra quos sit,

CONCLUSIO

Vera Christi Ecclesia est visibilis. Est de fide.

Prob. 1. Ex figuris quibus Ecclesia comparatur, et quæ a SS. Patribus de ejus coruscante visibilitate intelliguntur.

1. Comparatur [1] civitati supra montem positæ, de qua Aug. [2] ait : *Nulla est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei, Ecclesia declarata, quæ supra montem constituta, abscondi non potest*

2. Comparatur Soli [3] : *In Sole posuit tabernaculum suum.* De quo Aug. [4] ait : *Ipsa est Ecclesia in Sole posita, hoc est, in manifestatione omnibus nota ad usque terminos terræ.*

3. Comparatur lucernæ in candelabro positæ [5], supra quod Aug. [6] ait : *Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui contra lucernam in candelabro positam, oculos claudunt.* Ergo.

Prob. 2. Ratione deducta ex Script. 1. Ecclesia debet regi ab Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* 2. Causæ privatorum debent deferri ad Ecclesiæ tribunal, *si non audierit, dic Ecclesiæ.* 3. Si quis per schisma, aut hæresim sit extra Ecclesiam, tenetur ipsam inquirere, et ad ipsam redire ut salutem consequatur : atqui nihil horum evidenter potest fieri, si Ecclesia non sit visibilis. Ergo, etc.

Confirm. Quia Ecclesia, quæ habet notas visibiles et sensibiles, sane est visibilis; atqui vera Christi Ecclesia habet notas visibiles et sensibiles. Ergo.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Fides est de invisibilibus, non de visibilibus; atqui Ecclesia creditur ex Symbolo, *Credo sanctam Ecclesiam.* Ergo non est visibilis.

Resp. *Dist. min.* Ecclesia creditur sub ea ratione, sub qua

[1] Matth. 5. — [2] L. 3 Epist. contra Parmen., cap. 5. — [3] Psalm. 118. [4] Epist. 166. — [5] Marci 4. — [6] Tract. 2 in Joan.

non est visibilis, *conc. min.* sub ea ratione, sub qua est visibilis, *nego min.* nempe in Ecclesia unum videtur, scilicet cœtus hominum Christi fidem, exterius saltem, sub legitimis Pastoribus profitentium; et aliud creditur, nempe hunc cœtum veram esse Christi Ecclesiam : vera enim Christi Ecclesia ea est, quæ veram fidem profitetur. Sic Baptismus, quatenus est ablutio exterior, cernitur; quatenus vero Sacramentum, creditur. Hinc in Symbolo dicitur, *Credo unum Baptisma.*

Inst. 1. Apost. ait [1] : *Non accessistis ad montem tractabilem et accessibilem ignem;* atqui ille mons est Ecclesia; ergo non est tractabilis, nec consequenter visibilis.

Resp. *Dist. min.* Cum Theophilacto, Œcumenio, etc. ille mons est Ecclesia triumphans, ad quam spe firmissima accedimus, *conc.* est Ecclesia militans, *nego min.* Hunc esse sensum Apost. indicant hæc subsequentia verba : *Sed ad montem Sion civitatem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis.*

Inst. 2. Illud Christi, Luc. 17. *Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic, ecce enim regnum Dei intra vos est*, intelligitur de Ecclesia; sed quod est *intra*, non potest videri. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Textus enim intelligitur de primo Christi adventu, de quo dicit : *Non venit cum observatione*, id est, cum pompa et apparatu quem expectabant Judæi; sed *regnum Dei intra vos est;* id est, Messias venit, qui per suam gratiam *intra vos est.* Hæc expositio est litteralis.

Objicies 2. D. Hilarius, libro de Synodis, loquens de tempore quo vigebat hæresis Ariana, ait : *Absque Episcopo Eleusio et paucis cum eo, ex majori parte decem Provinciæ Asianæ, intra quas consisto, vere Deum nesciunt.* Ergo tunc non erat visibilis Ecclesia.

Resp. *Nego conseq.* Nec enim D. Hilar. loquitur de Eccle-

[1] Hebr. 12.

sia universa, sed de solis decem Provinciis Asiæ, in quibus etiam tunc visibilis fuit Ecclesia per partem illam (licet minorem) quæ fidem Nicænam invicto animo propugnabat; ut respondit D. August. Vincentio Donatistæ, qui ei objecerat textum illum D. Hilarii, ut probaret Ecclesiam posse in toto orbe perire : *Quis enim nescit*, inquit, *illo tempore obscuris verbis multos parvi sensus fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod ipsi credebant; alios autem timore cessisse, vel simulate consensisse.... quanquam et illi qui tunc firmissimi fuerunt, et verba Hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen etiam ipsi quidem pro fide fortiter exsulabant, ac sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est.* Nempe in illis firmissimis.

Inst. 1. Ipse D. Augustinus ante verba mox laud[illegible], ait: *Ipsa est Ecclesia, quæ aliquando obscuratur et obnubilatur multitudine scandalorum.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Secundum aliquam sui partem infirmam, *conc.* secundum se totam, *nego ant.* verum, propter scandalum pusillorum, Ecclesia non amittit suam visibilitatem. *Quia*, inquit D. August. ibidem, *tunc in suis firmissimis eminet, et non potest civitas abscondi supra montem constituta.* Ita Voetio Sylvæducensi ministro respondet Jansenius Yprensis [1] : *Cum vel maxime sæviret illa Constantii persecutio verissimum fuit illud Augustini, quod Ecclesia in suis firmissimis tanquam columnis ædificii immobiliter stantibus, eminebat : tunc enim, non solum Athanasius, sed fidelissimi cooperatores ejus, Caius, Ammonius* (et multi alii antistites, quos enumerat) *partim in deserta relegati, partim spontanea fuga, durante tempestate, dilapsi, fortissime restiterunt.* Et infra : *Statim a morte Constantii integra Concilia catholicorum Episcoporum in Oriente celebrata sunt, in quibus de lapsorum antistitum receptione tractaretur.*

[1] Lib. cui titulus, Spongia notarum, etc., adversus Voetium, cap. 7[illegible].

INST. 2. D. Basilius Epist. 69, ad Occidentales scripta, ait : *Eversa sunt pietatis dogmata... periit gravitas sacerdotum, Pastores gregem Domini reliquerunt.* Ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Nam loquitur tantum de Ecclesiis orientalibus, in quibus etiam multi erant superstites Episcopi orthodoxi, multique ex vulgo qui eis adhæserunt, ut testatur D. Basilius ibidem, dicens : *Populi orthodoxi cum uxoribus, et pueris, ipsisque senibus sub dio preces fundunt;* ne scilicet cum Arianis, qui Ecclesias occupabant, communicarent. Ergo Ecclesia nusquam illustrior apparuit quam ubi Hæreticorum persecutionibus impugnata fuit, de quibus semper triumphum reportavit, juxta promissionem ipsi a Christo factam : *Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.*

OBJICIES 3. Forma Ecclesiæ, scilicet fides, non est visibilis; ergo nec Ecclesia.

RESP. *Nego conseq.* Sicut enim ex forma hominis invisibili non sequitur hominem esse invisibilem, ita ex forma Ecclesiæ invisibili non sequitur Ecclesiam esse formaliter invisibilem. Tunc enim Ecclesia videtur formaliter, quando videtur illa societas, de qua cognoscitur quod sit Ecclesia, sicut tunc videtur homo formaliter, quando is videtur, de quo scitur quod sit homo.

INST. 1. Paritas visibilitatis hominis cum visibilitate Ecclesiæ nulla est. Ergo.

RESP. *Nego ant.*

Prob. ant. In homine effectus naturales sunt signa necessaria veri hominis; atqui in Ecclesia nulla sunt signa necessaria veræ Ecclesiæ; ergo nulla est paritas.

RESP. *Nego min.* Nam in Ecclesia sunt certæ et infallibiles notæ, per quas cognosci potest vera Christi Ecclesia, qua cognita, dubium esse non potest quis ille sit fidelium cœtus.

Prob. min. Non potest Ecclesia videri per suas notas, quia illæ credi debent ex Symbolo, serviuntque ad faciendam Ecclesiæ fidem. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Notæ enim Ecclesiæ videri possunt oculis corporeis, quamvis quod eæ rés, quæ videntur, sint notæ veræ Ecclesiæ, credamus, tum ex Scripturis, tum ex Symbolis : et ideo qui vult venire in notitiam Ecclesiæ, necesse est ut, 1. Credat notas a Scriptura et Symbolis assignatas esse signa veræ Ecclesiæ, et postea, observatione adhibita, deprehendet cœtum, cui illa competunt, esse veram Ecclesiam; et sic patet quomodo serviant ad faciendam fidem.

Inst. 2. Hæretici suæ Ecclesiæ notas habent, nempe prædicationem puri verbi divini, et sincerum Sacramentorum usum; ergo Ecclesia per suas notas non potest cognosci.

Resp. *Nego ant.* Nam neque prædicatio Evangelii, neque sincerus Sacramentorum usus, habent conditiones requisitas ad certam Ecclesiæ notam. 1° Enim non sunt ita *propriæ* Christi Ecclesiæ, ut non conveniant aliis cœtibus; nam puri Schismatici, quamdiu non sunt Hæretici, sanam tradunt doctrinam, et sincerum habent Sacramentorum usum, cum tamen sint extra Ecclesiam. 2° Non sunt *notiores ipsa Ecclesia*, cum Ecclesiæ tamquam notiori, sit judicare quæ sit legitima verbi prædicatio, et quis sit sincerus Sacramentorum usus. Ergo, etc.

ARTICULUS II.

DE INDEFECTIBILITATE, SEU PERPETUITATE ECCLESIÆ.

Nota. Novatores ultro concedunt Ecclesiam, qua parte est invisibilis seu secundum animam, internam scilicet fidem, spem et charitatem, nunquam defecisse, aut deficere posse; sed contendunt ipsam, qua parte visibilis est seu secundum corpus, quatenus nimirum est cœtus hominum fidei professione et eorumdem Sacramentorum usu, sub legitimorum Pastorum regimine, defecisse post quingentos annos ad sua usque tempora, et interdum deficere posse; contra quos,

CONCLUSIO.

Ecclesia Christi visibilis est indefectibilis. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. in qua de Ecclesia dicitur : [1] *sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in æternum.* Quem locum interpretans D. Aug. ait : *Si ergo eam Deus fundavit in æternum, quid times ne cadat firmamentum?* atqui illa civitas est visibilis, alias non posset cognosci, nec in ea aliquid posset videri; ergo Ecclesia visibilis est indefectibilis.

Danielis 2, dicitur : *In diebus regnorum illorum, suscitabit Deus regnum quod in æternum non dissipabitur;* atqui illud regnum haud dubie est Ecclesia Christi, quæ post Romanum Imperium cœpit; ergo quemadmodum regna præcedentia fuerunt visibilia, et illud quod propheta prædixit successurum; atqui *in æternum non dissipabitur.* Ergo, etc.

Matth. 16, dicitur : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Atqui hæc Ecclesia fundata in capite visibili, est visibilis; quomodo enim Pastor regeret Ecclesiam invisibilem? Ergo portæ Inferi non possunt prævalere adversus Ecclesiam visibilem.

Prob. 2. Ex Patribus.

S. Ambrosius [2] ait : *Videtur Ecclesia sicut deficere, sed non deficit; obumbrari potest, deficere non potest.*

S. Hieron. [3] : *Super petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur.*

D. Aug. tandem disputans contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem periisse dicebant, et in solis quibusdam justis in Africa remansisse, ait [4] : *Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis.* Quid clarius?

Prob. 3. *Ratione Theologica* : si Ecclesia perire posset se-

[1] Ps. 47. — [2] Lib. 4, *Examer.*, cap. 4.
[3] In cap. 4 Isaiæ. — [4] In Ps. 90.

cundum partem sui visibilem, perire quoque poterit secundum partem invisibilem; nam de Christi Ecclesiæ essentia est, ut exterius habeat Pastores, ut singula illius membra visibilium Sacramentorum vinculo conjungantur, ut fidem publice profiteantur; atqui si omnino pereat secundum partem sui exteriorem et visibilem, interior, quæ remanet sura supponitur, nullos habebit Pastores, nullis Sacramentis colligabitur, Christi fidem publice non confitebitur; ergo non erit vera Christi Ecclesia.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Ecclesia multoties ita defecit, ut invisibilis plane fuerit. Ergo, etc.

Prob. ant. Ecclesia defecit: 1. Tempore Adami, quando ipse et Eva peccaverunt.

2. Tempore Noe, cum *cuncta cogitatio cordis esset intenta ad malum.* Gen. 6.

3. Tempore Eliæ, qui, 3 *Reg.* 19, ait: *Dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt... derelictus sum ego solus.*

4. Tempore Moysis, cum Aaron summus Sacerdos vitulum adorandum proposuit, et omnis populus clamavit: *Hi sunt dii tui, Israel.* Exod. 32.

RESP. 1. *Nego conseq.* Non valet enim illatio ab Ecclesia veteri ad Ecclesiam Christo fundatam; huic enim, non Synagogæ, visibilis promissa est perpetuitas, *usque ad consummationem seculi.* Matth. ult. Tamen,

RESP. 2. *Nego ant.* Et ad singula resp.

Ad primum. Nego ant. Nam Ecclesia omnino extingui non potest nisi per peccatum infidelitatis; atqui peccatum Adami non fuit infidelitas, sed inobedientia. Ergo.

RESP. *ad* 2. Tempore Noe, etsi maxima pars, non tamen omnes a Deo defecerunt, ex quo sequitur perpaucos tunc fuisse veri Dei cultores, quod non negamus, sed illi constituebant Dei Ecclesiam.

RESP. *ad* 3. *Nego ant.* Nam Eliæ querenti, *Derelictus sum*

solus, respondit Deus : *Derelinquam mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Ex quo liquet non omnes regis Israel subditos in idololatriam prolapsos fuisse : quando ergo Elias dicit se relictum esse solum, ita intelligi debet, quod solus propheta veri Dei relictus esset, ut ipse ait cap. 18. *Ego remansi propheta Dei solus*, quia nempe alii omnes aut occisi a Jezabel, ut Elias putabat, aut in captivitate detenti, causam veri Dei non poterant defendere contra falsos Achab prophetas. Præterea tempore Schismatis decem tribuum quæ adhæserunt Jeroboamo Regi Israel, remanserunt fideles Domino tribus Juda et Benjamin, quibus se adjunxit integra tribus Levitarum; in quibus visibiliter semper remansit vera Dei Ecclesia.

Resp. *ad* 4. Totum populum Israel non consensisse adorationi vituli aurei, quam ultus est Moyses cum tota tribu Levi, Exod. 40; tunc autem Moyses erat solus caput populi Israel, necdum enim Aaron erat creatus Pontifex.

Objicies 2. Apost.[1] prædixit generalem apostasiam futuram in Ecclesia tempore Anti-Christi : *Nisi venerit discessio primum*, inquit, *et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat*, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam, Matth. 24. *Propter electos breviabuntur dies illi;* ergo erunt tunc veri Dei cultores. Itaque vel Apost. per verbum, *discessio*, intellexit Anti-Christum per metonymiam, quia erit causa cur multi discederent a Christo, quæ interpretatio non favet Novatoribus; vel intellexit defectionem, et tunc non debet intelligi de omnium sed de multorum a fide defectione.

Inst. Christus Luc. 18, ait : *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Ergo circa tempus Christi adventus deficiet Ecclesia.

Resp. 1. *Retorq. argumentum contra Novatores.* Nam si

[1] 2 Thessal. 2.

nullo futura sit fides in adventu Christi, Ecclesia non tantum deficiet quoad partem visibilem, sed etiam quoad partem invisibilem, quod negant.

Resp. *Nego conseq.* Quia hac loquendi ratione, ait Theophilactus, *Christus fidei raritatem significat, non totalem interitum.*

Objicies 3. Tempore Arianorum visibiliter defecit Ecclesia, nam Episcopi Conc. Ariminensis et Seleuciensis, *usiæ* nomen ex Symbolo Nicæno abstulerunt, teste D. Hieron. *tunc* ait [1], *Usiæ nomen abolitum est.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Nomen *usiæ* ex Symbolo abstulerunt, non vero rem illo nomine significatam, *conc. ant.* simul et rem tali nomine significatam, *nego ant.* hoc declarat Div. Hieronym. his verbis : *Non erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto.*

Inst. 1. Addit D. Hieronymus : *Tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est.* Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Conclamata est a Patribus Concilii, *nego ant.* a Valente et Ursacio Episcopis Arianis, *conc. ant.* hi enim post dissolutionem Concilii *cœperunt palmas suas jactare dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis,* ait D. Hier.

Inst. 2. D. Hieronym. ait : *Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.* Ergo Nicænæ fidei damnatio conclamata est a Patribus Concilii.

Resp. *Dist. ant.* Miratus est se esse Arianum in specie et apparenter, *conc.* in rei veritate, *nego ant.* namque 1. Patres Ariminenses, non nisi Arianorum dolis decepti, consenserunt suppressioni vocis, *Omoousios,* rati nihil periculi esse, nec curandum *de vocabulo, cum sensus esset in tuto.* 2. Detectis Arianorum fraudibus ad dolum reclamarunt: *Putavimus,* aiebant, ait D. Hieronym. ibid., *sensum congruere cum verbis... decepit nos bona de malis existimatio, non sumus*

[1] In dialogo contra Luciferianos.

arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare: multaque alia flentes asserebant, parati et subscriptionem pristinam et omnes Arianorum blasphemias condemnare. Ergo ille Divi Hieronymi textus significat Episcopos illos, cum sibi conscii non essent Arianæ perfidiæ, ingemuisse de impostura perduellium, et miratos esse, quod sine conscientia Hæretici ferebantur.

ARTICULUS III.

DE AUCTORITATE ECCLESIÆ, UT DOCENTIS.

Quæstio hic movetur, utrum Ecclesia, sumpta pro Pastoribus, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, sit legitimus controversiarum ad religionem spectantium judex. Affirmant omnes Catholici; negant Novatores, ac in assignando judicem controversiarum fidei, non secus ac in aliis dogmatibus variant, nunc Scripturam Sacram, quam per se ita claram affirmant, ut nullius interpretatione indigeat; nunc privatum cujusque spiritum; nunc Principem sæcularem, esse hujusmodi controversiarum judicem asserentes; contra quos,

CONCLUSIO I.

Scriptura Sacra non est supremus controversiarum fidei judex.

PROB. Controversiæ fidei versantur circa genuinum verborum Scripturæ sensum. De illo enim circa dogma agitatum controvertitur quis sit; atqui Scriptura non potest esse judex de sui ipsius sensu. Ergo. *Prob. min.* Objectum seu materia controversiæ, non potest esse judex ejusdem controversiæ; atqui quando de alicujus Scripturæ sensu controvertitur, illa Scriptura est materia seu objectum controversiæ, est enim id de quo inter partes controvertitur; ergo Scriptura non potest esse judex de sui ipsius sensu. Quis enim audivit unquam objectum controversiæ esse judicem de suo sensu, quando de illo ambigitur?

Confirm. Ea Scriptura, quæ non est ubique clara, non potest ultimate controversias fidei dirimere; atqui Scriptura Sacra non est ubique clara; nam D. Petrus [1] asserit in Epistolis Pauli esse *quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Ergo.

Hinc SS. Patres non ad solam Scripturam, sed ad Ecclesiam, remittunt pro terminandis religionis controversiis. D. Irenæus [2] sic ait : *Ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quæ ab Apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprehensibile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Illi autem eam, quæ est in unum Deum qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt... et Scripturas sine periculo nobis exponunt.*

Origenes [3] sic loquitur : *Quoties Hæretici Scripturas proferunt, in quibus omnis Christianus consentit et credit, videntur dicere : Ecce in domibus est verbum veritatis. Sed nos illud credere non debemus, neque exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successiones Ecclesiæ nobis tradiderunt.*

Tertull. [4] dicit : *Ad Scripturas non provocandum, nec in his constituendum certamen, in quibus aut incerta victoria est.... debet illud prius proponi quibus competat fides ipsa, cujus sint Scripturæ* (id est, debet prius inquiri vera Ecclesia). Ubi enim apparuit esse veritatem disciplinæ et fidei Christianæ, illic erit et veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum.

Objectiones.

Objicies 1. Scriptura Sacra est lex et regula fidei et morum ; ergo est judex controversiarum fidei et morum.

Resp. *Nego conseq.* Nam lex et judex sunt duo maxime distincta et caute distinguenda; lex enim docet quid sit

[1] Epist. 2, cap. ult. — [2] Lib. 4 adversus hæreses, cap. 34.
[3] Tract. 29 in Matthæum. — [4] Lib. *de Præscriptionibus*, cap. 19.

agendum; judex vero ex præscripto legis pronuntiat. Scriptura est quidem lex et regula fidei et morum, sed non potest esse eorumdem judex; nam judex debet esse talis, ut partes collitigantes audiat, sententiam ferat quæ ab ipsis audiatur, ipsasque partes compellat ad acquiescendum suæ sententiæ; atqui non potest Scriptura id præstare, ut constat ex Lutheranis et Calvinistis, qui litigare non cessant tum inter se, tum nobiscum, nec tamen hactenus ex sola Scriptura potuit terminari controversia, et quisque in priori sua sententia immotus persistit.

Objicies 2. Id quod Scriptura uno loco obscure dicit, illud alio loco clarius tradit; ergo Scriptura exposuit seipsam.

Prob. ant. Ex Augustino [1] dicente: *Nihil fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Non enim dicit Augustinus nihil esse obscurum quod, etc., sed *nihil de illis obscuritatibus eruitur*; longe autem diversa sunt *erui* et *esse*. Alias sibi contradiceret Aug. [2] dicens: *In ipsis Sanctis Scripturis, multo nescio plura quam scio.*

Nota. Alias Novatorum objectiones circa Scripturæ sacræ perspicuitatem solutas reperies dissert. secunda de existentia Theologiæ, concl. secunda.

CONCLUSIO II.

Privatus cujusque spiritus non est supremus judex controversiarum fidei.

Hic notanda est confusio nuper inducta a plerisque recentioribus scriptoribus, qui promiscue accipiunt has duas denominationes *spiritus privati* et *rationis individualis*, perinde ac si idem significarent; at longe a se distant. Etenim *ratio individualis* in bonam partem accipi potest, cum homo etiam

[1] L. 2 *de Doctr. Christ.*, c. 2. — [2] Epist. 149 ad Januar.

individualis recta ratione sua uti possit ad inquisitionem veritatis, et passim recte eadem utitur ; at denominatio *spiritus privati* semper in malam partem accipitur, pro oppositione nempe rationis propriæ adversus legitimam auctoritatem a Christo institutam, id est, Ecclesiam catholicam; hinc factum est ut Bellarminus, Becanus, Bossuet, etc. aliique controversistæ nunquam impugnaverint *rationem individualem* sed semper *spiritum privatum* Protestantium [1].

Prob. De essentia et officio judicis est, ut auctoritate polleat compellendi partes litigantes ad acquiescendum sum sententiæ; alias nullus esset unquam controversiarum finis, nec Christus unitati Ecclesiæ sufficienter providisset : atqui privatus cujusque spiritus tali non pollet auctoritate, cum via coactiva non sit privatorum, sed solius Principis, qui *Dei minister est, vindex in iram.* Ergo, etc.

Unde juxta Tertullianum [2] : Idem licuit Valentinianis quod Valentio; idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare.

Confirmatur 1°. Quia judex controversiarum debet esse principium unitatis, non divisionis; atqui spiritus cujusque privatus est principium divisionis ; ille quippe spiritus verba illa, *Hoc est enim corpus meum* Luthero suggessit esse intelligenda de præsentia reali; e contra suggessit Calvino, esse intelligenda de præsentia tantum figurativa. De his ergo qui suum privatum spiritum tanquam supremum controversiarum fidei judicem agnoscunt vaticinatus est Ezech. 13 : *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum et nihil vident... divinant mendacium, dicentes : ait Dominus, cum ego non sim locutus.*

* *Confirmatur* 2°. Qui, rejecta catholicæ Ecclesiæ auctoritate, spiritus privati placita sequitur, nullam veram habere potest fidem, sed tantum opinionem et dubium universale;

[1] R. P. Perronne, *de Vera religione*, part. ult., prop. 6 in annot.
[2] *De Præscr.*, cap. 42.

ergo spiritus cujusque privatus non est supremus judex controversiarum fidei.

Prob. ant. Ad actum fidei Theologiæ, cum divinæ gratiæ auxilio, duo requiruntur et sufficiunt : 1° *objectum materiale*, ut dicunt, circa quod exercetur fides, nempe veritates ipsæ revelatæ; 2° *objectum formale*, seu motivum credendi, auctoritas scilicet et veracitas Dei revelantis : atqui tale objectum habere non potest qui privati spiritus placita sequitur. Ad hoc enim duo requiruntur; regula scilicet fidei remota, cujusmodi sunt Scriptura et traditio quæ totam divinam continent revelationem, et regula proxima universalis et infallibilis, nempe auctoritas proponentis tum Scripturam et traditionem, tum ejusdem genuinum Scripturæ et traditionis sensum ; atqui privatus cujusque spiritus non est hæc proxima fidei regula, 1° quia de Scripturis et traditione constare non potest independenter ab Ecclesiæ testimonio, ex prolusionum conclusione quinta et ex mox dicendis; neque ejusmodi genuinus Scripturæ et traditionis sensus agnoscitur, independenter ab ejusdem Ecclesiæ magisterio, ut patebit ex propositione sequenti.

2° Quia regula discernendi revelata a non revelatis debet esse certa et non dubia, clara et non obscura : atqui privatus cujusque spiritus, etiam cum Spiritus Dei afflatu, non est certus, sed dubius. Hoc enim patet ex doctrina et agendi ratione ipsorum Protestantium. Nunquam potuerunt inter se de articulis fundamentalibus convenire, ut notavimus in conclus. 2ª prolus.; Præterea Calvinistæ negant esse in Lutheranis, Lutherani in Calvinistis, utrique in Catholicis. Olim alia dogmata rejecit Lutherus, alia Calvinus, alia Zwinglius, omnia demum rejecerunt Sociniani, Methodistæ, Rationalistæ, Deistæ, ex quibus sunt quamplurimi Protestantium ministri. Ergo spiritus cujusque privatus non est proxima fidei regula. (Hue devenerunt Protestantes ut ne quid sit quidem Protestantismus definire possint. Ab aliis enim definitur : *actus independentiæ rationis humanæ in*

negotio religionis. Ab aliis: *Actus quo quisquis credit quod vult et profitetur quidquid credit.* Ab aliis : *Un Christianisme dégagé des formes gênantes.* Vel prout traditur in Catechismo anglicano nuper Philadelphiæ edito : *Protestantismus est detestatio Papismi, et exclusio Papistarum ab omni officio ecclesiastico et civili* [1]).

Diximus *regula universalis,* hic enim non agitur de revelatione privata quam Deus extraordinarie potest alicui privato facere, sicut fecit olim primis parentibus, patriarchis, prophetis et Apostolis, in quo casu lumen interius datum, vel ipsa immediata revelatio foret regula discernendi credendum: sed agitur de revelatione communi toti societati fidelium, ideoque propositio, seu regula proxima debet esse communis et non privata.

Confirmatur 3°. Illud systema est rejiciendum, quod omnium retro antiquitatis fidelium systemati repugnat : atqui systema spiritus cujusque privatus... etc.

Prob. *min.* Systema fidei est systema auctoritatis. Fides enim in genere non est nisi assensus alicui præstitus ob ejus auctoritatem. Jam vero, ille cui assensum præstiterunt omnium sæculorum fideles, ob ejus auctoritatem, non est spiritus cujusque privatus, sed Ecclesia, cujus auttoritati, si quis non se submiserit, tanquam ethnicus et publicanus semper habitus fuit, juxta præceptum Christi: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Etenim quod revelatio supernaturalis divinitus data fuerit, quod talis et non alius sit sensus ejusmodi revelationis, est *quoddam factum* de quo constare non potest, nisi per eos quos Deus ipse constituit ejusdem testes, depositarios ac interpretes, nempe Apostolos una cum Petro : *Vos autem testes estis horum* [2], in quibus cœpit Ecclesia docens, quæ semper viva est et semper docet per suum magisterium in successoribus Petri et Apostolorum, scilicet in Romanis Pontificibus et in Episcopis qui cum ipsis conjunguntur et ipsis subordinantur.

[1]) Conf. R. P. Perronne, *de Vera relig.*, p. 1, prop. 7, — [2]) Luc. 24, 48.

Propter hanc utique infallibilem Ecclesiæ catholicæ auctoritatem, Christi fideles omnes has et non alias crediderunt veritates tanquam fidei articulos, has et non alias traditiones, hos et non alios libros receperunt tanquam canonicos, juxta celebre S. Augustini effatum : *Ego vero Evangelium non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas* [1]. Ergo, auctoritas cui infideles, ut Christiani fierent, crediderunt, et per quam Scripturam, traditionem, earumque sensum receperunt, est infallibilis Ecclesiæ proponentis auctoritas, id est per idem motivum universale facti sunt Catholici, per quod facti sunt Christiani. Ergo spiritus cujusque privati systema systemati omnium Christi fidelium repugnat. Ergo.

Ex dictis concludi licet cum R. P. Perronne, loco cit. :

1° *Protestantismum non esse, ut cum chimicis loquar, nisi principium dissolvens religionis Christianæ, quæ vitam non habet nisi in sola Ecclesia catholica, quæ cum ea quodammodo identificatur.*

2° *Protestantes ac proinde Hæreticos omnes, nullum habere vinculum unitatis religiosæ, cui propterea consulere non possunt nisi per auctoritatem civilem et politicam, vel per commune odium adversus Ecclesiam catholicam a qua discurrunt.*

3° *Quod si nonnulla adhuc Christianismi lineamenta supersunt apud hæterodoxos, et omnes fructus suos nondum protulit Protestantismus apud populum, id unice repetendum esse ex incohærentia pastorum ac ministrorum qui* propriam auctoritatem *auctoritati Ecclesiæ catholicæ substituerunt, vel ex influxu validissimo,*

[1] Lib. contra Epist. fundament., cap. 5, n. 6. — S. Augustino præiverunt S. Irænеus : *Cum Apostoli*, inquit, *quasi in depositorium divites plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis, ut omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ; hæc est enim vitæ introitus.* (Contra Hær., lib. 3, cap. 3.) S. Polycarpus quem idem Irænеus hæreticis opponens ait : *Hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ Ecclesia tradidit, et sola sunt vera.* (Ibid.) S. Ignatius martyr, quem Eusebius testatur : *Hortatum esse fideles, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent.* (*Hist. eccl.*, lib. 3, cap. 36.) Item S. Clemens Petri Successor, Origenes, Tertullianus, Cyrillus Alex., Vincentius Lirinensis, etc.

quem adhuc, saltem indirecte, exercet catholica Ecclesia in istas sectas, etsi ab ea divisas et rebelles.

4° *Merito nos affirmare Rationalismum et Naturalismum, etc., esse verum, naturalem et necessarium fructum illius principii, in quo tota posita est reformatio seu Protestantismus, independentiæ nempe absolutæ et completæ a legitima auctoritate, seu ab auctoritate Ecclesiæ catholicæ, quam unice Christus constituit custodem, interpretem infallibilem, depositariam et testem suæ doctrinæ ac religionis.**

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. In lege nova omnes sunt a Deo edocti, juxta illud Isaiæ 54: *Ponam universos filios suos doctos a Domino;* ergo privatus cujusque spiritus est judex, etc.

RESP. *Dist. ant.* Omnes sunt edocti a Domino, vel immediate, vel saltem mediate, *conc. ant.* semper immediate, *nego ant.* Apostoli et discipuli a Domino immediate edocti fuerunt; cæteri autem fideles mediate tantum, nempe Ecclesiæ Pastorum ministerio.

INST. Atqui in lege nova omnes a Deo immediate, absque Pastorum ministerio, sunt edocti. Ergo.

Prob. subseq. Jerem. 31 dicitur : *Non docebit ultra vir proximum suum dicens : cognosce Dominum; omnes cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.* Ergo.

RESP. *Dist. ad textum.* Non docebit ultra vir proximum suum, secundum quid, *conc.* simpliciter et absolute, *nego.* Jerem. enim, cap. 3, dicit : *Dabo vobis Pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.*

Itaque Propheta non loquitur hic de mysteriis absconditis Scripturarum, sed de cognitione unius Dei. Cum enim tempore veteris legis non solum Gentiles, sed etiam frequentissime populus Dei, falsos adorarent deos, Jeremias prædicit futurum ut tempore novæ legis omnes homines cognoscant unum Deum, quod certe nunc impletum cernimus; nam Gentiles ad fidem conversi, Judæi, imo et Turcæ, unum Deum colunt.

Objicies 2. Lumen Spiritus Sancti est infallibile; ergo illud in singulis privatis est judex controversiarum fidei.

Resp. *Nego cons.* Nam Judex controversiarum fidei debet esse publicus et certus pro natura Ecclesiæ, quæ est societas visibilis; at spiritus Novatorum est privatus; non videtur, non auditur sicut videri debet et audiri a litigantibus judex, qui sententiam pronuntiat. Ergo.

* Præterea, si lumen Spiritus Sancti in privatis hominibus est, tum vel ille Spiritus idem est in omnibus, vel in diversis diversus; atqui neutrum dici potest; 1° non *posterius*, alioquin sequeretur absurdum, quia Spiritus Sanctus unus est nec secum dissentire potest; non *prius*, alias dicant nobis Protestantes cur in tot diversas ipsi scindantur sententias? Cur ex Scripturis doctrinas eruant sibi omnino contrarias? An Spiritus Sanctus alia suggerit Luthero, alia Calvino, alia aliis sectarum auctoribus? Conf. prolusionum conclus. IV. *

Instabis 2. Ex 1 Corinth. 2 : *Spiritualis homo judicat omnia.* Ergo quilibet privatus, si sit spiritualis, est judex, etc.

Resp. *Dist. conseq.* Est judex fallibilis, *conc.* infallibilis, *nego.* Nullus enim est qui certo cognoscere possit se non decipi, nisi ejus sensus sit probatus ab Ecclesia, quæ est *columna et firmamentum veritatis*, et quæ sola suprema authoritate instructa est, ut circa negotia religionis decretorie pronuntiet.

Inst. 2. Apost. 1 Thessal. 6, ait : *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Ergo quilibet particularis potest omnia probare et judicare.

Resp. *Dist. conseq.* Potest omnia quæ sunt certa probare, qualia sunt quæ Ecclesia approbat vel damnat, *nego ant.* omnia dubia et incerta quæ nondum approbata sunt ab Ecclesia, *subdist.* sunt probanda per privatum cujusque spiritum, *nego cons.* per doctrinam Ecclesiæ, cujus est infallibiliter de vero sensu Scripturæ judicare, *conc. conseq.* Hic

est verus sensus Apostoli, qui de iis quæ certa sunt dicit [1]: *Tenete traditiones quas didicistis*, etc.

CONCLUSIO III.

Princeps sæcularis non est judex supremus controversiarum fidei.

Prob. Illi soli sunt supremi judices controversiarum fidei, quibus Christus dixit : *Pasce oves meas ; Tibi dabo claves regni cœlorum ; Euntes docete omnes gentes ;* atqui soli Petro Christus dixit : *Pasce oves meas; tibi dabo claves regni cœlorum.* Et solis Apostolis: *Euntes, docete omnes gentes.* Ergo, etc. Hinc magnus Osius Cordubensis Episc. scribebat ad Constantium Imperatorem [2] : *Ne te rebus misceas Ecclesiasticis, non nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit.*

Confirmatur : Ex candido Imperatorum Christianorum consensu, dicentium cum Basilio Imperatore in VIII Synodo : *De vobis autem Laicis quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere... hoc enim investigare et quærere, Patriarcharum, Pontificum et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui Ecclesiasticas et cælestes claves adepti sunt, non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus.*

Objectiones.

Objicies 1. In lege naturæ Principes erant judices controversiarum fidei; ergo tales sunt etiam in nova lege.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod in lege naturæ regia et sacerdotalis potestas erant in uno simul junctæ; at Deus voluit ut in lege gratiæ separatæ essent illæ potestates.

Objicies 2. Aliqui Imperatores Christiani leges circa fidem et mores tulerunt. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Tulerunt leges nova decreta condendo, *nego ant.* intimando Canones jam ab Episcopis conditos,

[1] 2 Thess. 2. — [2] Apud S. Athanas. Epist. ad Solitarios.

conc. antec. potestatis autem regiæ est Ecclesiasticam juvare ac tueri.

INST. Constantinus Pogonatus Concil. Chalced. præsedit, sicut aliis Conciliis alii Imperatores. Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Præsedit solo sessionis honore, quem ipsi detulit Concilium tanquam Ecclesiæ protectori, *conc. ant.* præsedit auctoritate, ut judex causarum Ecclesiasticarum, *nego ant.* Hoc constat ex ipso Concil. in quo Imperator post omnes Episcopos subscripsit, non quidem ut definiens, sed ut consentiens; nam Episcopi subscripserunt his verbis : *Ego N. Episcopus N. definiens subscripsi.* Imperator vero : *Ego Constantinus in Christo Deo Rex atque Imperator Romanorum legimus et consensimus.*

CONCLUSIO IV.

Sola Ecclesia, id est, corpus Episcoporum suo capiti Romano Pontifici adhærentium, est supremus et infallibilis judex controversiarum fidei, sive spectetur in Concilio, sive extra Concilium.

PROB. 1. Ex Script. quæ nos ad supremam Ecclesiæ authoritatem pro terminandis religionis controversiis remittit; Deuter. 17 : *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter... lepram et lepram... veniesque ad Sacerdotes Levitici generis... quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem, et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.* Hinc Apostoli constanter affirmant, sibi ita commissum esse Evangelium, ut nonnisi ab ipsis quærendum sit : *Probati sumus a Deo,* inquit Apostol. 1 Thessalon. 2, *ut nobis crederetur Evangelium.* Et Div. Petrus, Act. 15 : *Viri fratres,* inquit, *vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii.*

PROB. 2. Ille solus est supremus et infallibilis judex controversiarum fidei, qui mandatum accepit a Christo docendi omnes gentes, cuique Christus promisit specialem assisten-

tiam ad recte docendum; atqui sola Ecclesia accepit a Christo mandatum docendi omnes gentes, Matthæi ultim.: *Docete omnes gentes,* eique soli Christus promisit specialem assistentiam ad recte docendum, duraturam *usque ad finem sæculi;* ergo, etc. Hinc D. Iren.[1] ait: *Non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli quasi in depositorium divites, plenissime contulerint omnia quæ sunt veritatis.*

Confirm. Ex perpetua traditione et constanti Ecclesiæ usu, quo constat omnes religionis controversias a solis Summis Pontificibus et Episcopis, judicio finali et irreformabili fuisse terminatas, ut legenti Historiam Ecclesiasticam manifestum fiet. Ergo.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Si Ecclesia sit judex controversiarum fidei, judicabit de Scriptura, et sic erit supra Scripturam; falsum conseq. Ergo.

Resp. *dist. sequel. maj.* Judicabit de Scriptura, utrum talis sensus sit germanus illius sensus a Spiritu sancto intenti, *conc.* judicabit de Scriptura, utrum sit vera vel falsa, *nego sequel. maj.* et sic Ecclesia non est supra Scripturam, sed est tantum interpres infallibilis sensus Scripturæ.

Objicies 2. Si a judicio Ecclesiæ penderet fides nostra, Christus ab homine testimonium acciperet; atqui falsum conseq. ait enim Christus[2]: *Ego non ab homine testimonium accipio.*

Resp. *Nego seq. maj.* Nam definitio Ecclesiæ non est verbum hominum, sed est applicatio verbi divini per specialem Spiritus sancti assistentiam. Alias sibi contradiceret Christus, qui Joann. 15, Apostolos alloquens ait: *Vos testimonium perhibebitis de me.*

Objicies 3. Prius debet cognosci Scriptura Sacra, quam Ecclesia; ergo verus Scripturæ sensus non ab Ecclesia debet repeti.

[1] Lib. 3 adversus Hæres., c. 4. — [2] S. Joan. cap. 5, v. 34.

Resp. *Nego ant.* Imo prius Ecclesia debet cognosci quam Scriptura Sacra, quia de Scripturæ Sacræ auctoritate non potest sine Ecclesiæ testimonio constare, juxta illud Div. Aug. [1]: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

Inst. 1. Ecclesiæ auctoritas probatur per Scripturam; ergo prius debet cognosci Scriptura, quam Ecclesia.

Resp. *Dist. ant.* Ecclesiæ auctoritas per Scripturam probatur, probatione confirmativa rei jam aliunde cognitæ, *conc.* rei non aliunde cognitæ, *nego antec.* Itaque ex motivis credibilitatis dignoscitur quæ sit societas quæ veram Christi religionem profitetur; deinde concluditur illud pro certo tenendum esse, quod ipsa auctoritate sua divina credendum proponit. Tandem cum Scripturæ libris, quos ut sacros et divinos nobis Ecclesia proponit, legatur ipsam a Deo accepisse auctoritatem infallibiliter nos docendi res fidei et morum, id esse a Deo revelatum creditur; ex quo novo argumento, fidelis Ecclesiæ auctoritatem veneratur. Hæreticus vero, qui Scripturas admittit, eam demonstrative cognoscere potest, nisi ita obdurato sit corde, ut nolit intelligere ut bene agat... Hac responsione occurritur jam objectioni circuli vitiosi, quam nobis toties improperant Protestantes, et quam diluemus articulo sequenti.

Inst. 2. Div. August. [2] sic loquitur : *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.* Ergo, juxta illum, Ecclesia non potest, nisi per Scripturam Sacram, cognosci.

Resp. *Nego conseq.* Motiva enim credibilitatis sunt oracula divina, sermo, et authentica approbatio Omnipotentis.

Inst. 3. Addit D. Aug. *Utrum ipsi* (Donatistæ) *Ecclesiam habeant, non nisi divinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant.* Ergo Ecclesiæ auctoritas non potest, nisi per Scripturas, probari.

[1] Lib. contra Epistolam fundamenti, cap. 5.

[2] Lib. *de Unitate Ecclesiæ*, c. 3.

Resp. *Dist. conseq.* Ecclesiæ auctoritas non potest, nisi per Scripturas canonicas, probari adversus eos qui Scripturas admittentes, circa Ecclesiam errant, *conc.* adversus omnes, *nego conseq.* Itaque cum Donatistæ admitterent Scripturas canonicas, Ecclesiæ vero diffusionem per omnes gentes negarent, D. Augustinus (procedendo contra eos argumento ad *hominem*) vult ut illa veritas ex Sacris Scripturis dirimatur : *Sunt certi libri divini*, ait ibidem, *quorum auctoritati utrique credimus : ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Sed non negat absolute Ecclesiæ cognitionem aliunde haberi posse, cum et ipse doceat [2] Ecclesiæ auctoritatem prærequiri ad habendam librorum Sacrorum canonicitatem : *Ego vero Evangelio non crederem*, inquit, *nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

ARTICULUS IV.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ.

Nota 1. Infallibilitas duplex est, passiva nempe, seu in credendo; et activa, seu in definiendo.

Infallibilitas *passiva* est ea, qua tota fidelium societas nunquam potest deficere in assentiendo veritatibus fidei et morum decisis. Ecclesiam collective sumptam hac infallibilitate gaudere non diffitentur Novatores.

Infallibilitas *activa* est ea, qua Summus Pontifex, aliique Episcopi *ipsi Summo Pontifici conjuncti et subordinati*, citra erroris periculum, possunt causas fidei et morum definire. Hanc Novatores denegant Ecclesiæ, sive spectetur prout per varias orbis regiones est dispersa, sive prout per Episcopos, in Conciliis generalibus, repræsentatur.

Nota 2. Hic quæritur 1. Utrum Ecclesia per totum orbem dispersa (de Ecclesia enim per Episcopos in Conciliis generalibus repræsentata agemus infra) sit infallibilis in definiendis controversiis quæ spectant ad fidem et mores.

[2] Lib. *Contra Epistol. fundamenti*, c. 5.

2. Utrum sit infallibilis in censura librorum, seu in factis doctrinalibus et dogmaticis. Quæ claritatis causa duobus resolvemus paragraphis.

§ I.

Utrum Ecclesia sit infallibilis in definiendis controversiis, quæ ad fidem et mores spectant?

CONCLUSIO.

Ecclesia per totum orbem dispersa, est infallibilis in definiendis fidei, et morum controversiis.

Prob. Ex Script. cujus tres præ cæteris proferimus textus, quibus Novatores mire cruciantur.

Primus locus petitur ex Matth. 16 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Atqui si Ecclesia in definiendis fidei et morum controversiis posset falli et fallere, portæ Inferi prævalerent adversus eam. Ergo, etc.

Respondent *Novatores,* ex hoc textu recte probari infallibilitatem passivam esse in tota populi Christiani societate; sed non inde probari infallibilitatem activam inesse Ecclesiæ Pastoribus, qui possunt omnes a fide deficere; sed

Contra est : Quia si in Ecclesia non sit infallibilitas activa, nec erit etiam infallibilitas passiva, nam oves tenentur amplecti doctrinam primorum Pastorum, juxta illud Christi[1] : *Qui vos audit, me audit,* etc. Ergo error primorum Pastorum esset error totius Ecclesiæ, et consequenter si corpus Pastorum per orbem sparsorum posset falsum docere, falsum quoque admittere et credere teneretur sparsus ubique Populus Christianus, et sic portæ Inferi adversus Ecclesiam prævalerent, nec esset illa *Ecclesia Dei vivi,* quæ juxta Apost.[2] est *columna et firmamentum veritatis.*

Secundus textus habetur[3] ubi Christus dicit : *Docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcunque mandavi*

[1] Luc. 10. — [2] 1 ad Tim — [3] Matth. ul im.

vobis; et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Ex quo sic argumentor : Christus hic alloquitur Apostolos et in eorum persona Episcopos, qui eis in Ecclesia visibili usque ad finem mundi successuri sunt, nam Apostoli non erant usque ad finem mundi permansuri; atqui ipsis promittit specialem, continuam ac perpetuam assistentiam, ne quid falsum doceant. Ergo, etc.

Tertius textus habetur Joann : 14, ex quo sic argumentor : Illi nonpossunt errare in definiendis fidei et morum controversiis, quibus perpetua promissa est Spiritus Sancti assistentia ne errent in proponendis quæ Christus revelavit; atqui talem assistentiam Christus promisit Apostolis et eorum successoribus. *Ego rogabo Patrem*, ait, *et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis... ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Ergo primi Pastores non possunt errare in definiendis, etc.

Hinc est, quod SS. Patres in dogmatibus fidei et morum appellare soleant ad Ecclesiam, tanquam ad tribunal irrefragabile; sic August. [1] : *Scripturarum*, ait, *a nobis tenetur veritas, cum id facimus quod universæ placuit Ecclesiæ. Quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat.*

* *Confirmatur.* Si Ecclesia etiam dispersa non esset controversiarum judex infallibis, nullum esset in Ecclesia medium efficax et semper præsens, quo componi possent enatæ de religione controversiæ. Etenim, non extat in Scripturis, cum ex dictis Scriptura sit regula mortua, et sæpe circa illam oriantur difficultates quas ipsa dirimere non potest. Non in spiritu cujusque privato, cum pariter ex dictis constet illum esse omnium fontem discordiarum. Neque invenitur in principibus sæcularibus, siquidem probavimus eis a Christo non fuisse credita Ecclesiæ curam et regi-

[1] contra Crescon, cap. 33.

men. Neque in Conciliis generalibus, nam Concilia generalia congregare res admodum ardua, atque iis sæpe difficultatibus impedita, quæ superari nulla ratione possunt. Ergo necesse omnino est ut Ecclesia, licet dispersa, sit ipsum infallibile tribunal, quod absque erroris formidine dirimere controversias possit, tum fidelium, tum aliorum captivare intellectum ejus definitionibus, alias unusquisque posset pro libitu sentire, credere et agere, et perpetua inde confusio. *

Objectiones.

Objicies 1. Singuli Episcopi seorsim sumpti sunt fallibiles; ergo et omnes simul sumpti.

Resp. *Nego conseq.*

Prob. conseq. Valet illatio a sensu distributivo ad collectivum; ergo si quilibet Episcopus seorsim sumptus possit errare circa fidem et mores, poterunt quoque errare omnes simul sumpti.

Resp. *Dist. ant.* Illatio a distributivo ad collectivum valet in necessariis, *conc. ant.* in contingentibus, *subdist.* quando collectio non plus habet quam distributio, *conc.* quando collectio aliquid habet saltem ex extrinseco quod non habet distributio, *nego ant. et conseq.* Porro Christus infallibilitatem promisit collectioni Episcoporum, non singulis Episcopis seorsim sumptis. *Christus*, ait D. Cyprian. [1], *dicit ad Apostolos, ac per hoc omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt : Qui audit vos, me audit.*

Objicies 2. Probando infallibilitatem Ecclesiæ per auctoritatem Scripturæ, conficimus circulum vitiosum; ergo sic non potest probari.

Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Tunc est circulus vitiosus veraque principii petitio, quando duæ propositiones sese mutuo probant; atqui probamus Ecclesiæ infallibilitatem per Scripturam, et

[1] Epist. ad Papinian.

probamus Scripturæ veritatem per Ecclesiæ auctoritatem; ergo est circulus vitiosus.

Resp. *Dist. maj.* Tunc est circulus vitiosus, quando duæ probant eodem genere causæ, *conc.* quando illæ propositiones, nec sunt æque ignotæ, nec eodem genere causæ sese mutuo probant, *nego maj.* et sic distincta minore, *nego conseq.*

Itaque duæ istæ propositiones : *Ecclesia est infallibilis*, et *Scriptura*, quæ probat Ecclesiæ infallibilitatem, *est verbum Dei*, non sunt æque ignotæ, nec sese mutuo probant eodem genere causæ.

1. *Non sunt æque ignotæ :* Siquidem Ecclesiæ infallibilitas nobis prius innotescit quam auctoritas Scripturæ; sic enim proceditur in isto negotio. *Primo*, per motiva credibilitatis suadetur religionis christianæ divinitas, quæ directe, principaliter, et immediate super illa motiva fundatur. *Secundo*, Ecclesiæ docentis divinitate semel posita, sequitur Scripturam, quam Ecclesia proponit ut verbum Dei, esse divinæ autcoritatis. *Tertio* tandem, admissa auctoritate librorum canonicorum, ex eis probatur infallibilitatem a Christo promissam esse Ecclesiæ. Quare, Ecclesiæ infallibilitas, per motiva credibilitatis prius nota, deducit nos in Scripturæ sacræ cognitionem; et Scripturæ auctoritas semel admissa rursum Ecclesiæ docentis infallibilitatem demonstrat; in quo progressu evidens est nullum esse circulum vitiosum.

2. *Illæ duæ propositiones non sese mutuo probant eodem genere causæ.* Nam auctoritas Ecclesiæ probat veritatem Scripturæ *a posteriori* duntaxat, tanquam regula animata proponens; auctoritas vero Scripturæ probat infallibilitatem Ecclesiæ velut *a priori*, tanquam ratio formalis motiva credendi. Porro qui sic procedit, non magis conficit circulum vitiosum, quam is qui per risibilitatem probat *a posteriori* rationale, et ex rationali semel admisso, rursum *a priori* demonstrat risibilitatem

INST. 1. Infallibilitas Ecclesiæ pendet ab auctoritate divinarum Scripturarum. Ergo quæcumque supponantur motiva credibilitatis, ea infallibilitas non est prius nota quam Scripturæ authoritas.

RESP. *Nego ant.* Evidens est enim infallibilitatem Ecclesiæ non pendere a Scripturis, ipsa Ecclesiæ infallibilitate posterioribus; sed Christianorum religio diu viguit absque Novi Testamenti libris, qui nonnisi pluribus annis post Ecclesiam fundatam scripti sunt; ergo Ecclesia ista gaudebat infallibilitate virtute oralis Christi concessionis; ergo ista infallibilitas non in auctoritate Scripturarum canonicarum primo fundatur, sed in Verbo Dei non scripto, in stupendo Evangelii progressu, et in miraculis a Christo, Apostolis et primis Martyribus patratis, per quæ authentice a Deo declarata est Ecclesiæ auctoritas, et confirmata.

INST. 2. Ideo miracula stupenda Christus et Apostoli patrarunt, ut per ea probarent divinam librorum Novi Testamenti auctoritatem; ergo Ecclesiæ auctoritas non fuit prius nota quam auctoritas Scripturæ Novi Testamenti.

RESP. *Nego ant.* Neque enim miracula Christi et discipulorum ejus effici potuerunt ad auctoritatem conciliandam libris nondum scriptis; præcipue ergo directe et immediate patrata sunt ad demonstrandam divinitatem missionis Christi et discipulorum ejus, et ad firmandas auctoritate divina veritates quas populis viva voce annuntiabant, sive postea scripto mandatæ illæ fuerint, sive non.

INST. 3. Nullus hucusque Theologus potuit, absque circulo vitioso, rationem suæ fidei reddere contra impugnatores infallibilitatis Ecclesiæ. Ergo, etc.

RESP. *Nego. ant.* cujus falsitas demonstrata est in responsione ad objectionem; verum ut clarius adhuc pateat, et ut infallibilis auctoritas Ecclesiæ ab inanibus et frivolis Novatorum argutiolis maneat tuta, sic fidelis potest fidei suæ rationem analyticam reddere :

1. Per motiva credibilitatis certus sum Ecclesiam chris-

tianam esse divinæ auctoritatis, et consequenter eam docere infallibiliter omnem salutis veritatem.

2. Certus sum, per eadem motiva, quod etiam esset divinæ auctoritatis, quamvis nullum verbum Dei esset scriptum.

3. Certus sum libros, quos Ecclesia infallibilis nobis exhibet ut sacros et divinos, esse divinæ auctoritatis, et ab omnibus pro sacris et divinis esse recipiendos, et consequenter :

4. Certus sum et infallibilitatis Ecclesiæ, et divinitatis librorum sacrorum, cum hac essentiali et maxime notanda differentia, quod per motiva credibilitatis prius, immediatius ac directius demonstretur infallibilis et divina auctoritas Ecclesiæ docentis quam divinitas sacrorum librorum quos ipsa nobis proponit ut verbum Dei, et in quibus præcipuos fidei christianæ articulos esse contentos declarat ac definit.

Hac fidei nostræ expositione, objectio circuli vitiosi, nobis mendaciter a Novatoribus improperata, plene ac funditus profligatur.

Objicies 3. Ecclesia in controversiis morum potest errare; ergo in his non est infallibilis.

Resp. *Nego ant.* Nam Deus in necessariis nunquam Ecclesiæ suæ deest; deesset tamen, si non dedisset Ecclesiæ Pastoribus authoritatem sana pascua a pravis et venenatis discernendi; hinc fieri non potest, ut Ecclesia definiat vitiosum esse quod est honestum, ac approbet quod Evangelio et rectæ rationi contrarium est.

Prob. ant. De sola fide dictum est Petro ; *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Nam nomine fidei intelligi debet tum fides credendorum, eorum scilicet quæ ad contemplationem pertinent, v. g. *Deus est trinus;* tum etiam fides faciendorum et omittendorum, quæ in morum præceptis generalibus posita sunt, v. gr. *Homicidium esse vitandum;*

atem contractum esse vitandum; talem contractum esse usura-ium, etc.; nam Christus dixit Petro : *Pasce oves meas*, et Paulus asserit Deum dedisse *Pastores et Doctores ad consum-nationem Sanctorum, ut non circumferamur omni vento doctrinæ;* at si errarent in moribus ejusmodi, non pascerent salubri-er oves : non enim moralis doctrina minus exigitur ad pastum ovium Christi salutarem, quam fidei veritates; in his igitur Ecclesiæ Pastores non possunt errare.

Objicies 4. Ecclesia dispersa non habet infallibilitatem udicii, qua possit ortas de novo quæstiones extra Concilium definire. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Cujus falsitas constat ex perpetua Eccle-iæ praxi, quæ multo plures errores recens natos proscrip-it extra Concilia generalia, quam in Concilis generalibus. Sic innumeræ hæreses, v. g. Sabellii, Pauli Samosateni, Montani, Novatianorum, Manichæorum, etc., quæ a tem-pore Apostolorum ad annum Christi 325, quo Concilium generale primum celebratum est, fuerunt sufficienter damnatæ ab Ecclesia dispersa, sine Conciliis generalibus.

Hanc praxim agnovit Clerus Gallicanus in Epistola, quam, anno 1653, scripsit Innocentio X, post acceptam ejus, contra quinque Jansenii propositiones, constitutionem : *Perspectum habebat*, inquit, *vetustæ illius ætatis Ecclesia* (nimi-rum tempore Pelagii) *non solum ex Christi Domini nostri pol-licitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, et ex anathematismis adversus Apollinarium et Macedonium, non-dum ab ulla Synodo œcumenica damnatos, a Damaso paulo antea actis, judicia pro sancienda fidei regula a SS. Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in Actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divina æque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti : cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præs-are teneantur.*

Probatur iterum responsio ex perpetua traditione Patrum, inter quos, duos vel tres referre sufficiat.

1. Tertull. [1] ut refellat eos qui Ecclesiam toto orbe dispersam errasse dicebant, ait : *Age nunc omnes erraverint* (Ecclesiæ), *nullam respexerit Spiritus Sanctus Ecclesiam, ut eam in veritate deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus a Patre, ut esset Doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere quod ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verosimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint ?*

2. Div. Basilius [2] ait : *Justum est res judicari non ex uno, vel altero, qui non recte ambulant ad veritatem, sed ex multitudine Episcoporum per orbem terrarum nobis conjunctorum per gratiam Christi.*

3. D. August. [3] ut contumaciam reprimeret Pelagianorum, qui idcirco ad Concilium generale provocabant, quod ab Episcopis dispersis absque Synodi generalis congregatione fuerint damnati, ait : *Quid est ergo quod dicunt*, Pelagiani, *de simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi, in locis suis sedentibus, exorta subscriptio est ? quasi vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur ; quasi nulla hæresis, nisi Synodi congreg. damnata sit. Cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit, multoque sint atque incomparabiliter plures quæ, ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt.* Et post plura addit : *Cum potius vigilantia et diligentia pastorali, post factum illis competens sufficiensque judicium ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint.* Ergo ex Div. August. competens atque sufficiens est judicium, quod fertur ab Ecclesia per orbem dispersa, nec licet ab eo ad Concilium generale provocare.

Prob. ant. obj. Ut judicium dogmaticum fiat legitime, examen requiritur ; atqui extra Concilium examen sufficiens

[1] Lib. de Præscript., cap. 28. — [2] Epist. 75
[3] Lib. 4 ad Bonifacium, cap. ult.

fieri non potest, quando agitur de rebus inter Catholicos agitatis. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Quia Summus Pontifex cum solito consiliariorum cœtu, Episcopi singuli in suis sedibus, vel in Conciliis Provincialibus congregati, possunt, extra Concilium generale, illud examen facere; ad hoc enim sufficit ut unusquisque Scripturam Sacram perspiciat ac traditionem Ecclesiæ consulat; atqui ubique consuli potest. Ergo, etc.

Inst. Ut valeat aliqua definitio dogmatica, debent Episcopi de sensu illius definitionis convenire; atqui non possunt de eo sensu convenire, nisi sint in Concilium congregati. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Ad hoc enim, ut Episcopi de sensu definitionis conveniant, sufficit quod definitionem pure et simpliciter in sensu naturali et obvio recipiant : atqui extra Concilium generale, æque ac in Concilio id fieri potest, et revera factum est in causa Jansenii, Molinosi, Quesnellii. Ergo, etc.

Inst. 2. D. Aug. in loco mox laudato ait : *Rarissime inveniuntur* hæreses *propter quas damnandas necessitas talis*, nempe congregationis Synodi, *extiterit*. Ergo aliquando talis reperitur necessitas, et consequenter non possunt semper hæreses per Ecclesiæ dispersæ auctoritatem extingui.

Resp. *Conc. totum.* Neque enim negamus Concilia generalia aliquando esse necessaria ad extinguendas hæreses, quando scilicet hæresis quæ a pluribus iisque insignibus Ecclesiis propugnata, suo veneno potest magnos inficere populos; tunc enim ut dissidium componatur, vel ad unitatem revocentur errantes, et contumaces puniantur, necessarium est Concilium in quo tam grave negotium tractetur ac discutiatur. Sed negamus cum D. Aug. necessarium esse Concilium generale, quoties aliqui Episcopi decretis dispersæ Ecclesiæ resistunt, et ab eo ad Concilium provocant. Nam quando D. Aug. vidit 18 Episcopos, qui pro Pelagianis stantes, provocabant ad futurum Concilium,

ut eorum frangeret contumaciam, docuit congregationem Synodi non esse necessariam, sufficiens competensque fuisse judicium quo ab Ecclesia per orbem dispersa damnati erant, ita ut post illud a sua contumacia per pœnas essent coercendi.

Inst. 3. Div. August. [1] loquens de rebaptizationis quæstione, ait : *Nec nos ipsi tale quid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui et ipse* (Cyprianus) *sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata et declarata, per plenarium Concilium solidaretur.* Ergo hujusmodi quæstiones non possunt per Ecclesiæ dispersæ auctoritatem, absque Concilio generali, definiri.

Resp. *Nego conseq.* Utrumque enim verum est, et Ecclesiam dispersam supremo judicio posse religionis controversias definire, et tamen quosdam casus esse, in quibus necesse sit Concilium generale congregare, v. g. quando per Regna et Provincias multas est magna divisio, quando multi nobiliorum Ecclesiarum Episcopi in eamdem fidei confessionem nolunt consentire; tunc enim, ut dissidium componatur, opus est Concilio in quo tam grave negotium tractetur ac discutiatur. Talis erat controversia de rebaptizandis hæreticis, pro qua, cum S. Cypriano, militabant omnes Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ, Ponti et Orientis Ecclesiæ. Oppositam vero sententiam pugnabant, cum sancto Stephano, Occidentis Ecclesiæ. In his certe circumstantiis concedimus necessarium esse Concilium generale, non quidem defectu auctoritatis in Ecclesia dispersa, sed tanquam medium aptius ad pacem conciliandam inter partes litigantes.

Quæres 1. *An Ecclesia sit infallibilis in doctrina disciplinæ?*

Ante resp. nota : Inter res faciendas, aliæ sunt omnino necessariæ et immutabiles, v. gr. *Quod talis contractus sit usurarius*, et vocantur, *res morum*. Aliæ sunt liberæ et mutationi obnoxiæ, v. g. *Communio sub una, vel duplici specie,*

[1] Lib. 2, de Bapt., cap. 4.

et vocantur *res disciplinæ;* quæ vel est universalis pro tota Ecclesia invecta et probata; vel particularis pro aliqua particulari Ecclesia.

Resp. *Ecclesia non potest errare in disciplina generali, quæ ad omnes pertineat, præcipienda.*

Prob. Ex Concil. Apostolorum [1], in quo præcipientes disciplinam generalem, et quidem non diu duraturam, nempe abstinentiam a sanguine et suffocato, asserunt se habere præsidem, et sibi assistentem Spiritum Sanctum. *Visum est,* inquiunt, *Spiritui Sancto et nobis,* etc. Atqui certum est de fide Ecclesiam non posse errare in his pro quibus definiendis præsidem habet et sibi assistentem Spiritum Sanctum; ergo est de fide, ac revelatum in Scripturis certum esse ac infallibile de disciplina universali judicium.

Hinc sacra facultas Parisiensis anno 1644, censura notando hanc Propos. Theophili Brachet, *Mos Ecclesiæ absolutionem concedendi ante satisfactionem expletam, abusivus est atque intolerabilis,* declarat, *temerarium esse, atque erroneum, et hæreticum damnare disciplinam et consuetudinem Ecclesiasticam ab omnibus Catholicæ communionis Ecclesiis receptam, tanquam abusivam, et institutioni Christi atque Evangelicæ doctrinæ contrariam.*

*Por[illegible] hæc potest[illegible] 1° divinitus Ecclesiæ data, 2° coactiva, 3° independens et suprema: id enim exigit ipsa Ecclesiæ constitutionis natura prout a Christo instituta est. Christus enim Ecclesiam suam velut societatem in ordine suo perfectissimam, proprie dictam et externam constituit: atqui perfectæ ac visibilis societatis natura postulat, ut qui præsunt potestatem habeant independentem atque supremam sanciendi per leges, juxta temporum, locorum rerumque adjuncta, exteriorem disciplinam, cogendi subditos ad earum observationem, et coercendi salutaribus pœnis devios et contumaces, lex siquidem sine sanctione, sanctio sine vi coactiva subsistere nequit in præsenti rerum ordine.

[1] Act. 15

1° Quod tali gaudeat Ecclesia potestate patet : ex Matth. cap. ult. : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Hanc potestatem divinam sibi vindicat Apostolus dicens : *Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem, non erubescam* [1].

2° Illam esse coactivam potestatem liquet ex eodem Apostolo his verbis : *Prædixi et prædico, ut præsens et nunc absens iis qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam ; an experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus* [2] ? Aliunde Spiritus Sanctus posuit Episcopos *regere* Ecclesiam *Dei ;* atqui regiminis naturæ est imperare, ordinate disponere, exteriorem disciplinam constituere, eamque legibus sancire. Ergo. Hinc Apostoli Concilio Hierosolymitano statuunt politiam externam quoad legales cæremonias et legem abstinendi a sanguine et suffocato. Paulus [3] præscribit modum quo ineunda sunt fidelium conjugia cum infidelibus; quomodo decenter cogendi essent publici fidelium conventus, et alia ejusmodi quæ promittit ore tenus disponere : *Cætera autem cum venero disponam* [4]. Docet Thimotheum et Titum qua ratione se gerere debent circa Episcoporum, Diaconorum, viduarum electionem, arcetque neophytos et bigamos ab ordinibus sacris.

3° Hanc potestatem esse supremam et independentem clarius luce patet in Christo et in Apostolis, hanc sibi semper vindicavit Ecclesia, hanc ad solum Ecclesiæ pertinere conclamarunt omnes Patres [5], Augustinus in duabus epistolis ad Januarium, S. Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem : *Noli te gravare*, inquit, *Imperator, ut putes in ea, quæ divina sunt, Imperiale aliquod jus habere... ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ* [6]. Hosius Corduben-

[1] 2 Cor. 10, 8. — [2] Ibid., cap. 13, 2, 3. — [3] 1 Cor. 7.
[4] Ibid., 11, 34. — [5] Ep. ad Constant, apud S. Athanas.
[6] Ep. 20, n. 16, ed. Maur.

sis ad Constantinum Imperatorem scribebat : *Ne te rebus misceas ecclesiasticis : non nobis iis de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit... neque nobis terræ imperare licet, neque tu edocendi habes potestatem.* *

Quæres 2. *An similiter Ecclesia sit infallibilis in præceptis morum et disciplinæ, quæ non toti Ecclesiæ communia sunt, sed quæ ad privatos homines, vel ad particularem Ecclesiam referuntur.*

Resp. *Negat.* Quia circa hos mores et disciplinam particularem, judicium Ecclesiæ nititur testimoniis hominum qui possunt falli et fallere : unde quando aliquis, uxore una occulte ducta, aliam publice ducit, et Ecclesia jubet, ut, illa priore relicta, huic secundæ adhæreat, *ea in re sine dubio fallitur, et id præcipit homini quod rationi et Evangelio adversum est*, ait Canus [1], errat ergo errore facti, quamvis non erret errore juris; unde Innocent. III, cap. *A nobis*, de Sentent. excom. ait : *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur : Judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam et fallere sæpe contingit et falli*, etc.

Quæres 3. *An Ecclesia sit infallibilis in canonizatione Sanctorum?*

Nota 1. Canonizatio Sanctorum est sententia canonica ac definitiva sanctitatis et gloriæ alicujus defuncti, a Summo Pontifice lata, et universali Ecclesiæ proposita ac intimata, qua Canonizatus exponitur cultu publico venerandus.

Nota 1. Posse Ecclesiam errare in canonizatione Sanctorum docuit Joan. Wiclef, ut refert Thomas Waldensis [2]. Idem sentire Lutheranos et Calvinistas certum est, cum in aliis similibus rebus nullam fere Ecclesiæ tribuant auctoritatem; contra quos

Resp. Una est omnium Catholicorum sententia, Eccle-

[1] L. 5 de Locis, cap. 5, conclus. 3.
[2] Tom. 3

siam non posse errare in canonizatione Sanctorum, ita ut aliquem canonizet, qui non sit Sanctus.

Prob. Quia si Ecclesia posset errare definiendo aliquem esse Sanctum, posset etiam errare præcipiendo omnibus fidelibus, ut canonizato cultum exhibeant, in ejus honorem festum celebrent; atqui falsum consequens; tum quia Ecclesia non potest errare in legibus universalibus ferendis quæ concernunt mores fidelium; atqui maxime refert ad mores fidelium, quod Ecclesia non erret in Sanctis canonizandis et colendis. *Multum enim*, ait Canus [1], *refert ad communes Ecclesiæ mores scire quod debeat religione colere : quare si in illis erraret Ecclesia, in moribus quoque graviter falleretur : nec differt Diabolum colas, aut hominem condemnatum.* » Tum quia ex D. August. Epist. 118 : *Insolentissimæ insaniæ est disputare, an sit faciendum quod tota facit Ecclesia*, quæ certe non potest obligari ad sequendum errorem, utpote cui in necessariis Deus non deest. Ergo.

Dices 1. D. Aug. ait : *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna.* Ergo.

Resp. *Nego ant.* Hæc enim sententia in Augustino nullibi reperitur, ut testatur Bellarmin., quanquam si reperiretur, intelligi posset de impiis, qui superbissimis mausoleis honorantur, vel de martyribus Donatistarum, qui ab Hæreticis honorabantur ut martyres, cum eorum animæ revera torquerentur in Inferno.

Dices 2. Quod nititur medio fallibili est fallibile; atqui judicium Ecclesiæ in canonizatione Sanctorum, nititur medio fallibili. Ergo.

Prob. min. Testimonium hominum est fallibile; atqui medium quo nititur Ecclesiæ judicium in canonizatione Sanctorum, est testimonium hominum. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Quamvis enim Ecclesia in hoc negotio requirat humana testimonia, tanquam manuductionem ad

[1] L. 5 de Locis, cap. 6, conclus. 5.

prudenter agendum, ejus tamen judicium nititur testimoniis divinis, quæ sunt vita Beatorum sancta, miracula per eorum merita vel invocationem facta, ac peculiariter lumen et assistentia Spiritus Sancti a quo dirigitur : unde D. Thom., Quodlib. 9, art. 16, docet, quod *Pontifex potest certificari de statu alicujus per inquisitionem vitæ et attestationem miraculorum, et præcipue instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et Canus citatus ait : *Turpiter errabit Ecclesia in doctrina morum, si legem ferat de divo colendo, quem colere, si divus non est, et cum ratione, et cum Evangelio pugnat. Ne igitur tantus error in Ecclesia sit, Deus peculiariter providere credendus est, ne Ecclesia quantumlibet hominum testimonia sequatur, in Sanctorum canonizatione erret.*

Hinc Clemens VII in canonizatione S. Antonii Paduani Bullam edens nomine Adriani VI, prædecessoris sui, dicit: *Considerans idem Adrianus, quod in eadem canonizatione non permissurus esset Deus eum errare, etc.*

Quæres 4. *An Ecclesia sit infallibilis in beatificatione Sanctorum?*

Nota : Beatificatio est indulgentia, seu licentia facta a S. Pontifice, ut aliquis defunctus BEATUS possit appellari, eique cultus aliquis in aliqua Provincia, cum recitatione divini Officii, exhiberi valeat. Constat ex Bullis beatificationis, in quibus non dicit Pontifex : *Definimus*, sed *indulgemus, ut BEATI nomine nuncupetur*, etc.

Resp. *Evidenter credibile est Ecclesiam non posse errare in beatificatione Sanctorum.*

Prob. Quia in processu beatificationis Ecclesia procedit maturo et alto judicio, multis et exactis inquisitionibus, probationibus per multas Congregationes perpensis et examinatis, cum profunda indagine probitatis vitæ, felicissimi exitus, ac miraculorum (quæ divina sunt testimonia) beatificandi intercessione perpetratorum; atqui ista omnia faciunt rem evidenter credibilem. Ergo, etc. Hinc fit ut uni-

versus consensus totius populi Christiani, ut certum teneat beatificatum esse in cœlo.

Quæres 5. *Qua certitudine tenendum sit, Ecclesiam non posse errare in canonizatione et beatificatione Sanctorum?*

Resp. Licet non sit certum certitudine fidei divinæ, est tamen certum certitudine fidei Ecclesiasticæ omni certitudine humana majore, quæ cum in Spiritus Sancti assistentia subnixa sit, in errorem inducere nequaquam potest.

Prob. 1. *Quod non sit de fide divina certum, Ecclesiam non posse errare in Sanctorum beatificatione*, quia quod de fide divina est certum, non eget ulteriori certitudine : imo cum injuria certitudinis fidei, novæ fierent inquisitiones, consultationes et examina; atqui ad procedendum ad canonizationem Beatificati, novæ inquisitiones, consultationes et examina instituuntur. Ergo.

Prob. 2. *Quod non sit de fide divina certum, Ecclesiam non posse errare in canonizatione Sanctorum*, quia nulla exstat aperta Ecclesiæ definitio, quæ decernat istam rem esse fide divina tenendam, nec contrarium damnavit tanquam hæreticum : sicut damnari solent illa quæ opponuntur iis quæ fide divina credimus. Ergo, etc.

Restat ergo certum esse Ecclesiam non posse errare in canonizatione Sanctorum, certitudine fidei Ecclesiasticæ, in Spiritus sancti assistentia subnixæ, quia, ut ait Canus citatus : *Deus peculiariter providere censendus est, ne Ecclesia, quantumlibet hominum testimonia sequatur, in Sanctorum canonizatione erret. Cujus quidem peculiarissimæ providentiæ abunde magnum argumentum es , quod nunquam infirmata est fides ab humanis testibus semel in hujusmodi judiciis suscepta.*

Confirmatur. Ex D. Thom. qui [1] postquam dixit, certum esse quod impossibile sit judicium universalis Ecclesiæ errare in his quæ ad fidem pertinent; in aliis vero sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de pos-

[1] Quodlib 9, art. 6.

sessionibus vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile esse judicium Ecclesiæ errare, propter falsos testes, subjungit : *Canonizatio vero Sanctorum medium est inter hæc duo : quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit.*

Dices. D. Bonaventura opusculo contra Guill. docet : *ad infidelitatem spectare de Sancti canonizati gloria dubitare.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. antec.* Spectare ad infidelitatem late dictam, sumptam nimirum pro pertinacia non credendi quidquid sub motivo ecclesiastico districte credere debemus, *conc.* ad infidelitatem stricte sumptam, nempe pro pertinacia non credendi quidquid fide divina credere tenemur, *nego ant.* Porro D. Bonav. loquitur de infidelitate late dicta, cujus reus est qui in re gravi ad religionem spectante in dubium revocat Ecclesiæ ea de re judicium.

Resolves : Asserere Ecclesiam posse errare in canonizatione Sanctorum, esse erroneum, temerarium, scandalosum et impium. 1. *Est erroneum*, quia opponitur communi sensui fidelium. 2. *Est temerarium*, quia adversatur communi Theologorum sententiæ. 3. *Est scandalosum*, quia inde potest in animis fidelium oriri scandalum. 4. *Est impium*, quia est contra religionem et cultum Sanctis debitum.

Quæres 6. *An Ecclesia possit errare in approbatione Ordinis Religiosi?*

Resp. Non potest esse erroneum Ecclesiæ judicium, quo decernit aliquem Ordinem Religiosum, quoad suum proprium institutum esse bonum, ac divinæ legi et Evangelio consentaneum; atque ideo per se utilem ad christianam perfectionem acquirendam.

Prob. Ecclesia non potest, auctoritate sibi a Deo concessa, approbare tanquam bonum et honestum id quod revera malum est et inhonestum; ergo non potest definire aliquem vitæ statum, esse statum perfectionis, qui talis non

esset, tum quia hoc esset in detrimentum Ecclesiæ, tum quia sic definiendo, erraret circa veritatem magni momenti, maximeque ad mores pertinentem.

Dices. Ecclesia suppressit et extinxit Ordines Religiosos quos prius approbaverat. Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Si enim aliquando Ecclesia aliquos Ordines extinguere compulsa fuerit, non inde factum est quod in sua origine perversi fuerint, sed quod a prima instituti sanctitate vel defecerint degeneres subinde discipuli, vel inutiles, et temporum conditioni idonei amplius non fuerint illi Ordines.

§ II.

An Ecclesia, sit infallibilis in censura librorum, seu in factis dogmaticis et doctrinalibus?

Nota 1. Duplex est genus quæstionum, circa quas Ecclesia pronuntiare potest, nempe quæstio juris, et facti.

Quæstio *juris* est ea, qua quæritur qualis sit in se hæc, vel illa doctrina, an vera, vel falsa; an orthodoxa, vel heterodoxa; v. g. cum quæritur, *Utrum B. Virgo sit Mater Dei?*

Quæstio *facti* duplex est : nempe facti simplicis, quod et historicum et personale dicitur; et facti doctrinalis, seu dogmatici.

Quæstio *facti simplicis* est ea, quæ spectat veritatem rei gestæ, nempe crimen vel innocentiam alicujus personæ, internum animi sensum, etc., verb. gr. *Utrum Jansenius sit auctor hujus libri?* Circa hanc quæstionem certum est Ecclesiam non esse infallibilem, cum ejus de facto mere personali judicium fundetur aut in sensibus, aut in testimoniis hominum incertis et fallacibus.

Quæstio *facti dogmatici* est ea, quæ est de aliquo facto, jure, seu dogmate, permixto; sive quæ est de aliquo dogmate fidei illiusque attributione alicui libro, v. g. *Utrum in hoc, qui sub nomine Jansenii circumfertur libro, doctrina contineatur hæretica?* hæc quæstio vocatur *facti jure permixti,*

quatenus duas quæstiones complectitur, unam juris, nempe, *Utrum hæc doctrina sit hæretica?* altera facti, nempe *Utrum hæc doctrina hæretica in sensu proprio et obvio hujus libri, qui sub nomine Jansenii circumfertur, in illo sit contenta et expressa?*

Nota 2. Hic unice quæritur utrum falli possit Ecclesia, dum de sensu orthodoxo, vel heterodoxo propositionum, vel librorum, decretorie pronuntiat. Ideo,

CONCLUSIO.

Ecclesiæ judicium, de sensu librorum et propositionum, definientis, est infallibile.

Prob. 1. Ecclesia est infallibilis in his quæ ad fidem pertinent, ut fide constat et probavimus supra; atqui judicium de sensu orthodoxo vel heterodoxo librorum, ad fidem pertinet. Ergo, etc.

Prob. min. 1. Ex Div. Leone, qui scribens ad Synodum Chalcedon. asserit: *Pertinere ad puritatem fidei atque doctrinæ, damnare hæreses cum suis auctoribus.* Ergo.

Prob. min. 2. Illud judicium pertinet ad fidem, sine quo fides non potest custodiri ac defendi : nam de munere Ecclesiæ est, illibatam custodire fidem eamque contra omnes novitates defendere, juxta illud Apost. [1]: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas novitates.* Atqui sine infallibili Ecclesiæ judicio de sensu librorum, fides illibata custodiri non potest, nec defendi (cum sine eo, nec Sanctorum Patrum libros, in quibus fides traditur, approbare; nec Hæreticorum scripta, in quibus evertitur, reprobare possit); ergo Ecclesiæ de sensu librorum judicium pertinet ad fidem.

Prob. 2. In hoc Ecclesiæ definitio est infallibilis, pro quo definiendo, tum sua praxi, tum sua declaratione, judicat sibi a Christo datam esse infallibilem auctoritatem; atqui

[1] 1 ad Tim. 6.

Ecclesia pro definiendis factis doctrinalibus, tum sua praxi, tum sua declaratione, judicat sibi a Christo datam esse infallibilem auctoritatem; ergo, etc.... Major est certa : si enim Ecclesia hoc privilegium immerito sibi arrogaret, circa ipsum dogma erraret; pertinet enim ad dogma scire, utrum Ecclesia privilegium infallibilitatis a Christo acceperit, vel non, in factis doctrinalibus definiendis, et fidelibus, ut suo subscriberent judicio, sub anathematis pœna compellendis. Itaque

PROB. PRIMA PARS MIN. Nempe, *Ecclesiam sua praxi judicare sibi a Christo datam auctoritatem definiendi infallibiliter facta doctrinalia*. Quia Ecclesia semper damnavit hæreses et hæreticos; ergo sua praxi judicavit, etc.

Prob. ant. Ecclesia in Concil. Nicæno damnavit Arium cum ejus doctrina erronea [1], his verbis : *Placuit Concilium communibus suffragiis anathema denuntiare, et ei ipsi* (Ario), *et nefariæ ejus opinioni*. Item Ecclesia in Synodo Palæstina damnavit perversam Pelagii doctrinam, ut testatur D. August. [2]; cum vero Pelagius negaret illa scripta esse sua, a Concilio coactus fuit ea anathematizare : *Synodus dixit : quoniam negas te talia scripsisse, anathematizas eos qui sic tenent? Pelagius respondit : Anathematizo*. Infinita hujusmodi exempla proferre possem, sed non sinit brevitas proposita.

PROB. SECUNDA PARS MIN. Nempe, *Ecclesiam sua declaratione judicare se infallibilem in definiendis facti doctrinalis quæstionibus*. 1. Ecclesia in Conc. Chalcedon. generali IV, act. 6, damnando Nestorium, Eutychem, et Dioscorum dicit : *Nestorio et Eutychi anathema. Trinitas hos tres damnavit, Trinitas hos tres ejecit*. Ergo judicavit sibi a Christo datam infallibilem in ejusmodi factis cum dogmate connexis definiendis auctoritatem.

2. In Concil. generali V, Constantinop. II, fuit excitata controversia de uno sensu trium famosorum capitulorum,

[1] Epist. Synodica ad Ecclesiam Alexandrin.

[2] L. de gestis Pelagii, c. 6.

seu de facto doctrinali, nempe utrum erroneus Nestorii sensus, jam in Concil. Chalcedonensi damnatus, contineretur in libris Theodori Mopsuesteni Episcopi, in libris Theodoreti adversus S. Cyrillum, in epist. Ibæ Edesseni Episc. ad Marim Persam; atqui S. Synodus tria illa Capitula sub anathematis pœna damnans, declarat se ea damnare virtute norum verborum, *portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*, et, *sponsabo te mihi in fide*, etc., quibus Christus promisit Ecclesiæ infallibilem in rebus Religionis auctoritatem; ergo Ecclesia profitetur se infallibilem in definiendis facti doctrinalis quæstionibus... *Prob. min.* Patres Synodi antequam Canones, quibus tria Capitula damnantur, statuant, auctoritatem Ecclesiæ sic explicant : *In memoria tenentes promissiones de sancta Ecclesia factas, et qui dixit quod* portæ Inferi non prævalebunt adversus eam, id est : *Hæreticorum mortiferæ linguæ; recordantes autem et quæ per Oseam prophetata sunt in quibus dicit :* et sponsabo te mihi in fide, et cognosces Dominum... *nos autem mandatum habentes per doctrinam rectam exhortari populum... necessarium esse putavimus capitulis comprehendere et prædicationem veritatis, et Hæreticorum, nec non eorum impietatis condemnationem.* Postea tribus Canonibus damnat tria Capitula, eorumque defensores anathematizat. *Quo judicio*, ait Cardinalis Norisius in Apologia Monachorum Scythiæ, *demonstratur in damnandis propositionibus in sensu ab auctoribus intento, non errare Ecclesiam; neque latum ab ea semel judicium posse retractari.*

Prob. 3, *ratione.* Ecclesia, fatentibus ipsismet adversariis potest certo et infallibiliter judicare de sensu seu doctrina propositionis avulsæ ex libro et in se nude consideratæ; v g. de hac propos. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur.* Sic enim purum dogma continet. Ergo similiter potest certo et infallibiliter judicare de sensu, seu doctrina ejusdem prout attribuitur libro Jansenii, v. g. an ista prop. *interiori gratiæ*, etc., possit colligi ex libro Jansenii; nulla enim est disparitas, cum nullum sit discrimen inter

propositionem quæ prout avulsa ex libro separatim proponitur, et eamdem quæ prout in libro continetur; e contra sensus propositionis in libro melius dignosci potest ex antecedentibus et consequentibus totius libri, quam ex consideratione ejusdem prop. separatæ et truncatæ.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. In quæstionibus facti errare posse Ecclesiam senserunt qui de hac re scripserunt, ad censuram usque famosarum V Propositionum Jansenii; ergo opinio infallibilitatis Ecclesiæ in quæstionibus facti est nova et a scholis eliminanda.

RESP. *Dist. ant.* In quæstionibus facti particularis, seu personalis, *conc. ant.;* facti dogmatici *nego ant.* Cum enim factum personale spectet personæ statum, v. g. innocentiam, crimen, internum sensum, quorum cognitio ex testimoniis hominum fallacibus pendet, consequens est, ut de eis Ecclesiæ judicium incertum sit, et errori obnoxium; at judicium Ecclesiæ de facto doctrinali, seu doctrina in libris expressa, non pendet ex testimoniis hominum, sed ex collatione doctrinæ in libris contentæ cum Scriptura et traditione, certis fidei nostræ regulis; unde fit ut Ecclesia, speciali Dei assistentia adjuta, nec falli, nec fallere possit.

Prob. ant. Auctoritate Theologorum, qui ad medium usque sæculum XVII scripserunt.

Div. Thom., Quodlibet 9, quæst. 8, artic. ultim., ait : *In sententiis quæ ad particularia facta pertinent... possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes.*

Melchior Canus [1] ait : *In moribus non toti Ecclesiæ communibus, sed qui ad privatos homines vel Ecclesias referuntur, errare per ignorantiam Ecclesia potest.*

Joan. Gerso [2] dicit : *Communiter Doctores asserere, errare posse Ecclesiam in iis quæ sunt facti, non vero in iis quæ sunt juris.*

[1] L. 5 de Locis, cap. 5, conclus. 3.
[2] Tract. de Potest. Eccles. et Laica, cap. 16.

Bellarm. [1]: *Conveniunt omnes Catholici et Hæretici in duobus: 1. Posse Pontificem, etiam ut Pontificem, et cum suo cœtu consiliariorum, vel cum Concilio generali, errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione, testimonioque hominum, præcipue pendent.* Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Hi enim Theologi, et alii, quos cum fastu congerit Vitasse, loquuntur de factis particularibus, de quibus Ecclesia judicium fert ex relatione et testimoniis hominum; atqui de factis pure personalibus judicat Ecclesia ex relatione et testimoniis hominum; ergo loquuntur de factis pure personalibus; namque

1. D. Thom. clare designat facta personalia in verbis quæ omittuntur in objectione; ait: *In sententiis quæ ad facta particularia pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus*, etc., *possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes.*

2. Canum loqui de factis personalibus constat ex exemplo quod adducit: *Cum quis enim*, ait, *occulto una uxore habita, alteram ducit publice, jubet illi Ecclesia, ut, priore relicta, posteriorem accipiat, qua in re sine dubio fallitur, et id præcipit homini quod rationi et Evangelio adversum est.* Refert idem exemplum Gerso citatus, et addit: *sed istud est unum factum, et non unum jus.* Utique est factum pure personale.

3. Bellarminum loqui de factis pure personalibus constat, tum ex causa fallibilitatis Ecclesiæ in factis quæ adducit, quia *ex informatione testimoniisque hominum, præcipue pendent*, tum ex exemplis quæ profert ibidem, ut, *an talis sit promovendus ad Episcopatum, an jure fuerit promotus, an videatur deponendus?*

Porro, si omnes alii ad unum Theologi examinentur, certo certius videbitur ex unica quam adducunt ratione, et exemplis quæ referuntur, eos de factis pure personalibus locutos fuisse.

[1] L. 4 de Summo Pontifice, cap. 2.

Inst. 1. Bellarm. [1] expendens Honorii causam, postquam conatus est probare adulteratam esse VI Synodum addit: *Quod si aliquis non possit adduci ut credat corruptam esse VI Synodum, is accipiat alteram solutionem, quæ est Joannis a Turre-Cremata, lib. 2, de Eccles., cap. 93, qui docet Patres Synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, nec proinde in eo judicio errasse... Itaque tuto dicere possumus hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, et non intellectis Honorii Epistolis, immerito cum Hæreticis connumerasse Honorium.* Ergo Bellarminus sensit Ecclesiam errare posse in factis dogmaticis.

Resp. *Nego conseq.* Nam hic Bellarm. loquitur de facto mere personali Honorii, nimirum de ejus sensu personali et interno, cujus decisio pendet principaliter *ex informatione et testimoniis hominum,* liquet ex his verbis, *ex falsa informatione* et *ex falsis rumoribus,* alias sibi contradiceret; nam [2], ait: *Non habemus testimonium infallibile quod Concilia illa fuerint, et legitima fuerint, et hoc aut illud definierint, nisi quia Ecclesia, quæ nunc est et errare non potest, ita sentit et docet.* Atqui quod aliquod Concilium tale fuerit, quod fuerit legitimum, quod hoc vel illud definierit, sunt facta doctrinalia; ergo ex Bellarm. Ecclesia est infallibilis in factis doctrinalibus.

Nota Bellarminum *per Patres Synodi* intellexisse *Græcos,* cum certum sit Turre-Cremata errorem facti in causa Honorii rejicere in solos Græcos, sicut et ipse Bellarminus in solutione objectionis, quam sibi hic proponit dicens: *A Joanne IV, Martino I, Agathone et Nicolao I, SS. Pontificibus et a toto Concilio Rom., sub Martino congregato, eas Epistolas* (Honorii) *melius esse intellectas, quam a Græcis in Concilio VI.*

Inst. 2. Bellarm. loquitur *de Epistolis* Honorii a Patribus VI Concilii *non intellectis.* Ergo agit de ejus sensu litterali, non personali.

Resp. *Dist. ant.* Loquitur de Epistolis Honorii male in-

[1] L. 4 de Rom. Pontif., cap. 11. — [2] Lib. 2 de Sacramentis, cap. 25.

lectis secundum sensum ejus personalem et internum, *conc. ant.* secundum sensum litteralem, *nego ant. et conseq.* nam judicium de sensu litterali textus, qui ob oculos versatur, non fit *ex informatione et rumoribus*, sed ex consideratione significationis vocum et propositionum, cum Spiritus Sancti gratia facta earumque collatione cum Scriptura et traditione.

Objicies 2. Illud Ecclesiæ judicium non est infallibile, quod aliquando revocat Ecclesia; atqui suum de textibus et libris dogmaticis judicium aliquando revocavit Ecclesia, Ergo.

Prob. min. aliquot exemplis.

1. Concilium Antiochenum vocem *Omoousios* proscripsit, quam tamen postea Concil. Nicænum I approbavit.

2. Ante Concil. Ephesin. hæc vox, *Christotocos*, habebatur Catholica; atqui tamen Concil. Ephesin. illam improbavit.

3. Concil. Chalcedonense tria Capitula famosa approbavit tanquam Catholica; atqui illa, tanquam hæretica, Concilium V damnavit. Ergo.

Resp. *ad* 1. *Dist. ant.* Concil. Antiochenum vocem *Omoousios* proscripsit, secundum sensum proprium, et orthodoxum, *nego ant.*: secundum sensum heterodoxum, quem Paulus Samosatenus huic voci attribuebat, *conc. ant.* Paulus Samosat. per hanc vocem, *Omoousios*, intelligebat Filium habere substantiam ejusdem speciei cum substantia Patris, sed numero distinctam ab illa; quem sensum merito Concilium reprobavit.

Resp. *ad* 2. *Dist. min.* Concilium. Ephes. vocem *Christotocos* improbavit in se absolute, et in sensu ab Ecclesia usitato, *nego min.;* in sensu Nestorii, qui, negando unionem hypostaticam, per hanc vocem, *Christotocos*, excludebat istam, *Theotocos*, seu Dei genitrix, *conc. min.* hic enim sensus est hæreticus.

Resp. *ad* 3. *Nego ant.* Nam in Concil. Chalcedonensi de tribus capitulis nihil fuit agitatum, sed solum de admit-

tendis ad communionem Theodoreto et Iba, qui, postquam dixerunt anathema Nestorio et Eutychi, atque Epistolæ Sancti Leonis ad Flavianum subscripserunt, ad eam admissi fuerunt, ut de Iba testatur Anatolius Constantinop. Act 3, Concil. Chalcedonensis. *Omnem de eo* (Iba) *abjicio suspicionem, quoniam consentit et subscribit ei quæ nunc de fide sententia data est a S. Concilio et Epistolæ Sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis.* Hinc Vigilius Papa, qui confirmavit V Synodum, ait : *Absit ut tam horrendas blasphemias Patres Chalcedonenses approbaverint.* Idem asserit Vigilius Papa in suo constituto.

Inst. 1. Legati S. Pontificis in Conc. Chalcedon. sententiam pronuntiantes dixerunt : *Relectis chartis agnovimus, ex sententia RR. Episcoporum, Ibam innoxium approbari.* Ergo Concil. approbavit Epistolam Ibæ.

Resp. *Nego conseq.* Non enim Ibas innoxius visus est, quia ejus Epistola innoxia, sed quia, cum fuerit interrogatus Ibas, ex ejus responsis deprehensus est orthodoxus. Nam, ut ait Eunomius Nicomediæ Episcopus : *In quibus dicendo male culpare visus est B. Cyrillum, in postremis recte confessus, illa, in quibus culpaverat, refutavit; unde et ego,* addit, *anathematizantem eum Nestorium et Eutychem et impia ejus dogmata... dignum esse Episcopatu decerno.*

Inst. 2. Legati Summi Pontificis dixerunt : *Relecta ejus Epistola, agnovimus eum esse orthodoxum.* Ergo ejus Epistola declarata est orthodoxa.

Resp. *Nego conseq.* Equidem dicunt Legati Epistolam Ibæ fuisse relectam, ipsumque Ibam esse orthodoxum, sed nullo modo dicunt Epistolam esse orthodoxam; quæ duo valde diversa sunt et distinguenda.

Inst. 3. In eodem Concilio Maximus Antiochenus dixit : *Et relecto quoque rescripto Epistolæ Ibæ.., orthodoxa ejus declarata est dictatio.* Ergo.

Resp. *nego conseq.* Ex 300 enim et amplius Episcopis, quibus constabat illud Concilium solus Maximus Episto-

Iam Ibæ orthodoxam declaravit ; qui, ut recte observant Patres V Concilii, collat. 6 : *In Conciliis, non unius aut alterius interlocutio attendi debet, sed quæ ab omnibus vel a majori parte definiuntur.* Ergo, etc.

OBJICIES 3. Pelagius II, in Epist. ad Episcopos Istriæ, de Epist. Ibæ loquens, ait : *Licenter unusquisque eam reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio* (Chalcedonensi) *residentes, suis illam subscriptionibus approbassent.* Ergo ille Pontifex agnovit Ecclesiæ judicium de tribus Capitulis non esse infallibile, alias non potuisset rescindi.

RESP. *nego conseq.* Non enim ita loquitur Pelagius, quod sentiret Ecclesiæ judicium de textibus dogmaticis esse errori obnoxium, sed quod actio Concilii decima, in qua quæstio de auctoribus trium Capitulorum fuit ventilata, non fuit approbata et confirmata à S. Leone, qui noluit ut ea, quæ post actionem sextam gesta sunt, authoritatem haberent Concilii generalis.

OBJICIES 4. Vigilius S. P. constitutum edidit, ne tria Capitula damnarentur, eo quod putaret illa fuisse a Conc Chalced. approbata ; atqui tamen confirmavit V Synodum in qua damnata fuerunt. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Ne damnarentur in seipsis spectata, seu secundum doctrinam Nestorianam quam continebant, *nego maj.* ne damnarentur una cum auctorum nomine, *conc. maj.* Verebatur enim ne, si cum auctorum nomine damnarentur tria capitula, in aliquibus lædi videretur auctoritas Concilii Chalced. in quo Theodoretus et Ibas fuerant absoluti ; unde in V Concilio, damnando tria Capitula, personas Theodoreti et Ibæ non damnavit.

OBJICIES 5. Multi Episcopi diu V Concilio restiterunt, et damnationem trium Capitulorum rejecerunt ; ergo senserunt judicium Ecclesiæ de factis dogmaticis non esse infallibile.

RESP. *Dist. ant.* Damnationem trium Capitulorum rejecerunt, eo quod crederent Ecclesiam falli posse in suo de

textibus dogmaticis judicio, *nego ant.* eo quod, falso et ex errore, crediderint tria Capitula in Concilio Chalced. approbata fuisse, et Concilium V non esse generale, *conc. ant.* Unde illi Episcopi tanquam schismatici habiti sunt ab Ecclesia, nec ad ejus communionem fuerunt admissi, nisi postquam tria Capitula damnarunt et Concilium V ut legitimum et generale susceperunt.

Objicies 6. Ecclesia non est infallibilis circa sensum auctoris personalem; ergo nec circa sensum litteralem.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod cum infallibilitas sit Ecclesiæ concessa ad recte docendum populos res fidei et morum, non est necesse ut hanc habeat circa sensum personalem auctorum, qui cum in mente delitescat, veram fidem et bonos mores adjuvare nec depravare potest in aliis : e contra, sensus litteralis ad veram fidem et mores aliorum juvandum vel depravandum multum valet, cum ab omnibus legi et percipi possit, et ideo gravissima est ratio Ecclesiæ attribuendi infallibilitatem circa sensum litteralem auctorum dogmaticorum.

Inst. Ecclesia sæpe anathematizat et libros dogmaticos et eorum auctores; atqui non anathematizat auctores, nisi propter sensum eorum personalem; ergo non magis est infallibilis circa sensum litteralem quam circa personalem.

Resp. *Dist. maj.* Anathematizat et libros dogmaticos, et eorum auctores, eodem genere certitudinis, *nego maj.* diverso, *conc. maj.* Nam cum Ecclesia anathematizat librum dogmaticum, definit sensum illius litteralem esse heterodoxum, in quo judicio est infallibilis ex promissionibus Christi; at cum anathematizat auctorem libri dogmatici, solum declarat se illum habere ut hæreticum et ab omnibus Catholicis ut talem habendum, propter sensum illius personalem, qui ex sufficientibus indiciis cognoscitur esse conformis sensui litterali hæretico; in qua declaratione Ecclesia potest absolute errare, licet prudenter judicet; verum hic error meri facti non noceret puritati doctrinæ, nec per

illum Ecclesia fideles ad falsum aliquod dogma suscipiendum induceret.

INST. 2. Ecclesia damnavit V famosas Jansenii propositiones *in sensu ab auctore intento;* atqui talis sensus est personalis. Ergo.

RESP. *Nego min.* Nam Ecclesia per has voces, *in sensu ab auctore intento*, intelligit sensum ab auctore intentum per librum ejus, seu sensum ab auctore in suo libro expressum, ut explicat Clem. XI in constit. *Vineam Domini Sabaoth*, dum dicit : *Damnatum in V propositionibus Jansenii libri sensum ab omnibus Christi fidelibus... damnari debere.* Ergo Ecclesia per hæc verba, *in sensu ab auctore intento*, damnavit sensum litteralem, non personalem Jansenii, ad quem non attendit; nam librum Jansenii, non ipsum Jansenium, damnavit ut hæreticum.

QUÆRES 1. *Quomodo fideles teneantur Ecclesiæ de sensu librorum judicio subscribere et acquiescere?*

RESP. Tenentur in conscientia acquiescere ex intimo mentis ac judicii consensu et approbatione, nec sufficit ut acquiescant religioso, ut aiunt, silentio; id est, non sufficit ut, intus et animo dissentientes, exterius præ reverentia sileant, nihilque dicant, aut scribant contra definitionem Ecclesiæ circa factum.

Prob. Tale obsequium Constitutionibus Apostolicis debent præstare fideles, quale exigitur ab Ecclesia; nam authoritas in superioribus imperandi inferioribus imponit obsequendi necessitatem; atqui Ecclesia exigit ut Constitutionibus Apostolicis præstetur obsequium mentis, ut constat ex formulario, quod ab omnibus subscribendum mandavit Alexand. VIII[1], in quo sub juramento dicitur : *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii V, datæ die 31 Maii 1653, et constitutioni Alexand. VII, datæ 16 octobr. 1656, SS. Pontificum me subjicio, et V propositiones e Cornelii Jansenii libro cui nomen*

[1] Bulla, Regiminis Apost. data 1665.

Augustinus, *excerptas, in sensu ab eodem auctore intento, prout illas Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, et ita juro; sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Cujus formularii subscriptionem pure et simpliciter *absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione*, præcepit Innoc. XII [1].

Hinc Tellus, cui titulus *Casus Conscientiæ*, in quo hæc erat prop.: *Post subscriptionem simplicem sine ulla restrictione formulæ Alexand. VII, satis est, si quis circa factum Jansenii ab Ecclesia definitum, religiosum dumtaxat servet silentium*, fuit damnatus a Clem. XI [2] et a Cardinali Noallio [3], qui declaravit dictam prop. *adversari Constitutionibus Innoc. X et Alexand. VII, et Brevibus Innoc. XII, receptis in comitiis generalibus Cleri Gallicani ann.* 1700, *de novo excitare jam definitas quæstiones, favere æquivocationibus, mentalibus restrictionibus et etiam perjuriis, ac derogare authoritati Ecclesiæ.*

Quomodo, quæso, a mendacio et perjurio excusandus, qui cum juramento profitetur *se sincero animo prop. ex libro Jansenii excerptas damnare in sensu ab eodem auctore intento*, quas tamen intus et animo non damnat nec rejicit, imo tanquam veras et orthodoxas admittit?

Objicies 1. In definitionibus factum simul et jus comprehendentibus, circa factum sufficit religiosum silentium. Ergo.

Prob. ant. Clem. XI [4] ad pacem Ecclesiæ admisit quatuor Episcopos, Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, et Aletensem; atqui illi docuerant pro subscriptione formularii sufficere erga factum Jansenii solam reverentiam silentii, nec hanc revocaverant sententiam. Ergo.

Resp. *Nego secundam part. min.* Non enim admissi sunt ad pacem, nisi postquam Clementi IX declararunt se aliorum Episcoporum Gallorum institutum imitatos fuisse. *Quam-*

[1] Brevi ad Episc. Belgii, ann. 1694. — [2] Brevi dato, anno 1703.
[3] Mandato anni 1703, 22 febr. — [4] Brevi dato 19 januar. 1669.

obrem, aiunt [1], *congregata, sicut illi* (Episcopi Galli), *diœcesana Synodo, et impetrata nova subscriptione, nos etiam subscripsimus... quod, in Apostolicas Constitutiones obsequium injunxerunt, injunximus.* Sic etiam testatur Episcopus Laudensis [2], dicens : *Nova necnon sincera subscriptione aliis Episcopis consentiunt illustrissimi Aletensis, Apamiensis, Andegavensis et Bellovacensis, ut disertis verbis professi sunt.*

Idem declarat Clemen. IX in Brevi ad Regem Christianissimum, dato 28 septemb. 1668. *Cum lætitia,* inquit, *cognovimus in simplici et pura subscriptione formularii quatuor illorum Episcoporum obedientiam et obsequium.*

Inst. 1. Cardinalis Rospigliosus, in sua relatione, certum facit Pontificem : *Quod ad pontificiam de facto* Jansenii *sententiam, videri eam Episcopis cum reverentia excipiendam, sed intra eos fines, quos in ejusmodi causis Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Pallavicinus, et PP. Sirmundus et Petavius determinant, nimirum ne quid pronuntietur, scribatur doceaturve ipsi contrarium.* Atqui hæc forma subscribendi, est reverentia silentii, cum qua sola eos ad pacem admisit Clemens IX; ergo reverentia illa sufficit.

Resp. *Dist. min.* Hæc formula subscribendi est reverentia silentii erga factum personale Jansenii, *conc.*, erga factum doctrinale, nempe circa attributionem sensus erronei quinque propositionum libro Jansenii, *nego min.* Hanc fuisse mentem Pontificis constat. 1. Quia in Epistola quam scripsit postea quatuor Episcopis, declarat, *nullam circa illud* formularium *exceptionem aut restrictionem admissurum unquam fuisse.* 2. Quia in dicta relatione Cardinalis Rospigliosi dicitur : *Si nihil ibi,* nempe in actis verbalibus quatuor Episcoporum, *affirmatum fuisset præterquam posse Pontificem falli in quæstionibus de facto, prout supra num.* 153 (in quo agitur de facto mere personali) *explicavimus, prudenti rem dissimulatione supprimendam existimat* Pontifex; *sin vero asseruissent*

[1] Epist. data 1 septemb. 1668.

[2] Epist. ad Clem. IX, data 22 septemb. 1668.

Episcopi nolle se pro hæreticis agnoscere quinque propositiones in sensu Jansenii, quemadmodum ab Apostolica Sede fuerant damnatæ, en factum doctrinale. *Id sane nullatenus ferre, neque in re tanti momenti quidquam connivere, quinimo acerrime obviam ire statuerat.* Et postquam retulit ea quæ sunt in objectione posita, addit : *De formula vero eosdem* quatuor Episcopos *profiteri, sinceritate et fide quæ esse maxima posset, ei se subscripsisse, et quinque propositiones tum damnavisse, tum damnandas curasse, sine ulla exceptione aut limitatione, in quolibet sensu in quo ab Ecclesia damnatæ fuissent.* Ergo illi Episcopi quinque propositiones in sensu Jansenii, in quo revera eas damnavit Ecclesia, se eas quoque reprobare significabant, ac definitioni facti acquiescere. Est enim hæc facti doctrinalis quæstio, *Utrum Jansenii sensus erroneus sit, et damnatus;* et eo ipso huic questioni acquiescere censetur, quo declarat se damnare V propositiones in eo omni sensu, in quo eas damnavit Ecclesia.

Inst. 1. Episcopi, qui in V Concilio damnaverunt tria Capitula, invitabant contumaces ad pacem, etiam non mutata sententia, ut testatur Facundus [1]. Ergo persuasum illis fuit defensores trium Capitulorum, pacis causa, potuisse eorum damnationi subscribere, licet intus illam non approbarent.

Resp. *Nego conseq.* Equidem, ex prudenti œconomia, ad apertum schisma vitandum, invitarunt Schismaticos ut redirent ad unitatem, etiam non mutata sententia, ut testatur S. P. Vigilius in sententia adversus Theodorum Cæsariensem, *Pro scandalo frænando,* ait..., *quædam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda.* Sed postquam animi fuerunt sedati, ab illis exegerunt ut, deposita priori sententia, Ecclesiæ judicio acquiescerent.

Quæres 2. *Quo motivo tenemur credere libros ab Ecclesia ut hæreticos damnatos, tales esse?*

[1] Lib. 2, cap. 3.

Resp. Circa præsentem quæstionem duplex est sententia

Prima est eorum qui volunt nos fide ecclesiastica, cujus motivum sit infallibilis ac suprema Ecclesiæ auctoritas, teneri credere libros ab Ecclesia damnatos, tales esse, quales ab Ecclesia fuerunt damnati.

Secunda, quam amplectimur, est aliorum, qui existimant fide divina, cujus motivum est implicita revelatio, credendum esse tales libros vel propositiones tales esse, quales ab Ecclesia fuerunt judicati ac censurati.

Prob. Ex D. Thom. [1] dicente : *Ad fidem aliquid pertinet dupliciter, uno modo directe et principaliter, sicut articuli fidei : alio modo indirecte et secundario, sicut ea ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli, et circa utraque potest esse hæresis eo modo quo et fides.* Atqui si quis negaret librum ab Ecclesia ut hæreticum damnatum, talem esse, ex ejus negatione sequeretur necessario corruptio hujus articuli fidei, *Ecclesia est infallibilis declarando orthodoxiam, vel heterodoxiam librorum dogmaticorum ;* quæ propositio est revelata per hæc et alia verba : *Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam :* et *sponsabo te mihi in fide.* Ergo.

Confir. Quia fide divina credimus libros a D. August. de gratia conscriptos catholicos esse, Canonem Missæ nullum errorem continere, etc. Ergo eadem fide credere debemus librum Hæreticorum ab Ecclesia damnatum, vere esse hæreticum; paritas enim videtur omnimoda, cum ex utraque parte occurrat aliquod factum juri permixtum. Unde Gallicani Præsules in Epist. ad Innoc. [2] dicunt, discipulos Jansenii fidem ac mentis obsequium detrahentes Ecclesiæ factum Jansenii definienti, quasi in eo judicio errasset, *e veteri fidei deposito, cujus custodia Cathedræ Petri a Christo concredita est, partem adimere tentare.* Et Cardinalis Laurea [3], huic quæstioni : *An propositiones doctrinales, includentes ali-*

[1] 2, 2, q. 11, art. 2, in corp. — [2] Data die 28 Mart., anno 1654.
[3] Tom. 3 suæ Theolog., disput. 6, art. 6.

aliquid facti, possint esse objectum fidei? respondet : *Dico 1 : Dum Ecclesia in Concilio, vel Romanus Pontifex extra Concilium, damnat aliquam doctrinam cum expressione auctoris, v. g. Sabellii, Cerenthi, etc., licet totum complexum includat aliquid facti, damnatio illa est objectum fidei; idco absolute, et sine distinctione facti a jure, est recipienda ut fidei objectum :* ergo fide divina credenda.

Objicies 1. Gregor. Mag., Epist. ad Episc. Hiberniæ, loquens de gestis in V Synodo, dicit : *Nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed de quibusdam solummodo personis esse actitatum.*

Atqui fide divina non tenemur credere quod non est de fide. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* In V Synodo : *Nihil de fide convulsum est,* id est, nihil de novo dogmate fidei, *conc. maj.* id est, nihil pertinens ad fidem, *nego maj.* Sic enim loquitur Greg. Mag. quin in V Syn. nova hæresis non fuit damnata, sed solum renovata et confirmata hæresis Nestorianæ condemnatio, et *de personis est actitatum*, utrum nempe scripta Theodoreti et Ibæ in pace Ecclesiæ defunctorum, appellatis eorum nominibus, damnari possent, quæ quæstio magis personas quam doctrinam spectat.

Inst. Pelagius II, in Epistola secunda Episcopis Istriæ, qui propter tria Capitula schisma fecerant, exprobrat quod in schismate remaneant propter *superfluas* quæstiones; atqui superfluæ quæstiones non sunt fide divina credendæ. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quæstiones de tribus Capitulis a Pelagio II dicuntur superfluæ *relative* ad Episcopos Istriæ, *conc. maj.* cum enim illi Nestorianam damnarent hæresim, superfluum ipsis erat de scriptis damnatis disputare. *Relative* ad doctrinam in aliis scriptis contentam, *nego maj.* nam ibi sic loquitur Summus Pontifex : *Facile sentietis quantum sit periculum pro superfluis quæstionibus, et Hæreticorum defensione Capitulorum, tamdiu ab universa Ecclesia segregari.*

OBJ. 2. Quod non est revelatum, non potest credi fide divina; atqui factum dogmaticum (v. g. hæreticitas libri Jansenii) non est revelatum. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Quod non est revelatum, neque implicite, neque explicite, *conc. maj.* quod non est revelatum explicite, sed est revelatum implicite, *nego maj.* Porro hæreticitas libri Jansenii est implicite revelata, nimirum in hac prop. universali, in qua continetur: *omne factum doctrinale, quod, ut hæreticum, damnatur ab Ecclesia, quæ est* columna et firmamentum veritatis, et adversus quam portæ Inferi non prævalebunt, *revera hæreticum est.*

INST. 1. Ergo fide divina credere debemus Jansenium hæreticam in suo libro tradidisse doctrinam; atqui hoc est falsum. Ergo. RESP. *Nego min.*

Prob. min. Hæreticitas libri Jansenii, antequam damnaretur, non poterat credi fide divina; ergo nec fide divina credi potest, postquam damnata est.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod hæreticitas libri Jansenii ante sui damnationem nullo modo erat revelata; at postquam ab Ecclesia est definita, tunc est revelata implicite, quatenus habet necessariam connexionem cum revelatione infallibilitatis Ecclesiæ circa doctrinam librorum dogmaticorum.

INST. 2. Si factum dogmaticum, ab Ecclesia definitum, esset fide divina credendum, Ecclesia conderet novos fidei articulos : falsum conseq.; nam non fiunt a Deo novæ revelationes. Ergo.

RESP. *Nego seq. maj.* Ecclesia enim, declarando aliquem textum heteredoxum, non condit novum articulum fidei, sed, per assistentiam Spiritus Sancti, applicat revelationem, olim a Deo factam, ad aliquod objectum particulare, quod in illa jam, propter definitionem Ecclesiæ, continetur estque veritas fide divina credibilis; unde Formularium Alex. VII dicitur, *Formula fidei*, ab Episcopo Laudunensi in sua ad Clementem I. Epist. in favorem quatuor Episcoporum.

QUÆRES 3. *Quid Ecclesia in suis Censuris intelligat per sensum naturalem?*

RESP. cum distinctione propositionum de quibus judicat Ecclesia; vel enim illas propositiones in se *absolute*, et independenter ab omni proferente spectatas, judicat, vel *relative* ad sensum libri a quo extrahuntur, vel auctoris a quo prolatæ sunt.

Cum Ecclesia judicium pronuntiat de propositionibus in se absolute spectatis, *per sensum obvium et naturalem*, intelligit sensum quem verba ex communi ac recepta significatione præ se ferunt.

Cum Ecclesia judicium pronuntiat de prop. spectatis relative ad privatum sensum auctoris vel libri, *per sensum obvium et naturalem*, intelligit sensum ab auctore intentum, ad quem Ecclesia semper attendit, quando in sua censura librum vel auctorem designat. Nec tunc respicit sensum verborum in se et absolute, quia talis sensus est a mente libri vel auctoris alienus et quasi extraneus.

Hinc, quando Ecclesia damnat propositionem alicujus libri vel auctoris æquivocam, quæ duplicem habet sensum, unum rectum, alium falsum, nec prævie distinguit sensum verum aut falsum, censura unice cadit in sensum falsum libri vel auctoris, qui illius sensus est obvius, proprius, et naturalis; nullatenus vero cadit in sensum verum et catholicum, qui, relative ad librum vel auctorem, alienus est et extraneus; sic in Concil. Constantiensi hic Articulus IV Joan. Huss fuit indistincte damnatus : *Duæ naturæ, divinitas et humanitas, sunt unus Christus*, qui certe in se et absolute spectatus, nullam meretur censuram, sed qui fuit confixus in sensu proprio et naturali Joan. Huss contendentis unamquamque sigillatim naturam esse totum et integrum Christum, ita ut possit dici : *Humanitas est totus Christus, divinitas est totus Christus :* quod est falsum et hæreticum.

Hinc fit, ut una eademque propositio, iisdem verbis con-

cepta, modo probetur, modo improbetur, et quidem sine ulla sensus explicatione, sed ex sola circumstantiarum temporis et personarum, a quibus prolata est, consideratione; sic vox *consubstantialis* a Conc. Antiocheno rejecta fuit in sensu Pauli Samosateni, qui per eam intelligebat Filium habere substantiam ejusdem speciei cum substantia Patris, sed numero distinctam ab illa. E contra fuit consecrata in Concil. Nicæno I, ut unitas naturæ in Patre et Filio significaretur, qui sensus est illius vocis, in se et absolute consideratæ, proprius. Fieri ergo potest, et sæpe fit, ut propositio quæ in se innoxia est, noxia fiat ex perversa auctoris, qui ea abutitur, intentione, ut de Juliano testatur D. Augustinus [1] dicens : *Quæ veraciter et catholice dicta sunt, imo in divinis litteris veraciter scripta, non ab illo catholice dicta esse, quia non intentione catholici pectoris dicta sunt.*

QUÆRES 4. *Utrum exigi possit ab Ecclesia, cum damnat propositiones æquivocas, ut perversum earum sensum per datas explicationes assignet.*

RESP. *negative.* Quia eo ipso quo damnantur, constat ipsas in pravo sensu damnari, non autem in orthodoxo quem pati possent. Ecclesia enim, cum sit *columna et firmamentum veritatis,* nec errorem probare, nec verum damnare potest.

QUÆRES 5. *Quas ob causas Ecclesia, in suis censuris, varios propositionum sensus non distinguat?*

RESP. Duæ vulgo assignantur, 1. Quia ad damnationem propositionis sufficit ut sit æquivoca, cum ratione suæ æquivocationis possit fideles in errorem inducere.

2. Quia si explicationes daret Ecclesia, nullus esset rixandi finis in Novatoribus, qui, ad excutiendum obedientiæ jugum, novas in infinitum explicationes postularent ad priores exponendas. Nemo nescit quam importune Janseniani postulaverint, ut quinque magistri sui propositiones,

[1] Lib. 2 de Nuptiis et concupisc., c. 1.

quas æquivocas esse contendebant, varios in sensus distinguerentur, non alio certe consilio quam ut earum damnationem hac arte declinarent.

DISSERTATIO II.

De Romano Pontifice.

Nota. Quæ ad Romanum Pontificem spectant, ad duo capita reducemus, quorum *primum* de ejus primatu, *secundum* erit de ejus prærogativis.

CAPUT I.

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

Nota. Duplex est primatus, honoris nempe et jurisdictionis.

Primatus honoris est jus ante aliquem sedendi, absque ulla in eum jurisdictione; hunc heterodoxi facile concedunt D. Petro, dicuntque eum fuisse primum inter pares... *Primatus jurisdictionis* est jus regendi universam Ecclesiam cum amplitudine potestatis in omnes Christi fideles, tam Laicos quam Clericos et Episcopos.

Nota 2. Primatum jurisdictionis Summi Pontificis negarunt non solum Hæretici, qui Constantinopoli, sedente Photio, schisma adversus Ecclesiam Romanam fecerunt; sed etiam Joannes Wiclef, Lutherus, Calvinus, aliique recentiores Hæretici, contra quos duo sunt resolvenda : *primum*, utrum D. Petrus a Christo primatum et jurisdictionem in universam Ecclesiam acceperit; *secundum*, utrum Romanus Pontifex succedat Petro in primatu.

CONCLUSIO I.

D. Petrus accepit a Christo primatum honoris et jurisdictionis in tota Ecclesia, non solum supra fideles, sed et supra alios Apostolos. Est de fide, et consequenter ex sola Scriptura et traditione probanda.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 16, Christus dixit Petro : *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Ex quo sic argumentor : Qui est constitutus fundamentum Ecclesiæ, ille obtinuit a Christo primatum jurisdictionis in universa Ecclesia; atqui D. Petrus est constitutus a Christo fundamentum Ecclesiæ. Ergo... Major constat; minor firmabitur solutione objectorum.

Prob. 2. Christus addit ibidem : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis*, etc., ex quo sic arguo : Nomine clavium, per metaphoram significatur primatus et suprema potestas; cui enim traduntur claves civitatis, illius princeps et rector instituitur; atqui Christus promisit Petro claves regni cœlorum. Ergo, etc.

Prob. 3. Ex Joan. 21, ubi Christus dixit Petro : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, ex quibus verbis primatus S. Petri supra cæteros Apostolos merito colligitur : namque ille primatum divinitus habuit, qui non agnorum tantum, id est fidelium, sed et ipsarum quoque ovium, id est Pastorum, Pastor constitutus est; atqui sanctus Petrus a Christo constitutus est Pastor, non solum fidelium, sed et omnium ovium, id est Pastorum, cum propositio Christi sit indefinita, proindeque universali æquivalens. Ergo.

Prob. 4. Traditione PP. Græcorum et Latinorum, qui omnes uno ore Petrum prædicaverunt caput Ecclesiæ.

1. *Ex Græcis.* S. Basilius [1] de Petro ait : *Ille beatus, qui cæteris Prælatus discipulis fuit.*

[1] Serm. de judicio Dei.

S. Epiph. hæresi 51, dicit : *Petrum elegit* Christus, *ut dux esset discipulorum.*

S. Chrysost.[1] : *Deus concedere solus potest, ut futura Ecclesia... immobilis maneat, cujus Pastor et caput est homo piscator et ignobilis.*

2. *Ex Latinis.* S. Ambros.[2] : *Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.*

D. Hieron.[3] ait : *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio.*

S. Leo[4] ait : *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus*[5].

[1] Hom. 11 in Joann. — [2] In cap. 12, epist. 2 ad Corinth.

[3] L. 1 ad Jovinianum.

[4] Serm. 3 de assumpt. sua ad Pontificatum.

[5] * Ex R. P. Perronne (*de Locis theol.*, p. 1, sec. 2, cap. 1, prop. 2) in septem classes Patrum testimonia distribuuntur quæ hanc nostram astruunt veritatem. 1ª Complectitur eos Patres qui verba Christi (Matth. 23) de Petri persona ita intellexerunt, ut Petro præeminentiam omnimodam a Christo collatam agnoscant.

2ª Classis testimonia Patrum et scriptorum ecclesiasticorum continet qui hæc verba, *Tu es Petrus*, etc. de fidei confessione a Petro edita et prædicanda intelligentes, necessitatem adstruunt fidei integræ Petri adhærendi, ut quis possit unitatem fidei servare, neque inter hæreticos deputari, siquidem super hanc confessionem quæ omnia complectitur dogmata, Christus suam ædificavit Ecclesiam.

3ª Classis constituitur ex illis testimoniis Patrum, qui tradunt Christum in Petro instituisse primatum, ad constituendam et conservandam unitatem fidei et communionis in Ecclesia.

4ª Classis conficitur ex illis Patrum testimoniis qui verba Christi apud Joann. 21, de suprema in universos Apostolos et universam Ecclesiam auctoritate interpretantes, Prælationem Petri super alios Apostolos inde intelligunt.

5ª Classis componitur ex iis qui absolute Petro eas tribuunt denominationes, quæ nonnisi suprema auctoritate prædito competere possunt, ut

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES 1, cum Calvino: Christus per hæc verba, *Tu es etrus, et super hanc petram*, etc., non intelligit Petrum, sed seipsum; ergo ex illis non potest concludi primatum Ecclesiæ concessum fuisse Petro.

RESP. *Neg. ant.* De persona enim S. Petri sermonem esse contextus ipse demonstrat; nam particula *hanc* refertur ad *petram*, de qua Christus antea immediate locutus fuerat; atqui non de seipso, sed de Petro, antea immediate locutus fuerat, dicens: *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc. Hinc est quod SS. Patres, tam Græci quam Latini, per to *petram*, intelligant S. Petrum; hic sufficiat aliquos referre.

Ex Græcis, Gregor. Nazianzen. ait [1]: *Petrus Petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet.*

S. Epiphan. in Ancorano: *Dominus*, inquit, *constituit Petrum primum Apostolorum Petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.*

S. Chrys. [2] sic loquitur: *Dominus ait: Tu es Petrus, et ego super te ædificabo Ecclesiam meam.*

Ex Latinis, Tertull. [3] ait: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum?*

Div. Cyprian. [4]: *Petrum Dominus primum elegit, et super eum ædificavit Ecclesiam suam.*

S. Hilarius [5], dicit: *O in nuncupatione novi nominis felix*

cum vocant Petrum *caput*, *Apostolorum principem*, *Apostolorum verticem*, *os Apostolorum*, *primum mundi præsidem*, etc.

6ª Classis conflatur ex illorum testimoniis qui, docentes Petrum semper in sede Apostolica vivere et omnes docere veritatem, affirmant Petrum locutum esse per Summos Pontifices.

7ª Tandem classis ex iis conficitur qui Ecclesiam Romanam extollunt veluti principalem, Ecclesiarum omnium Matrem, matricem, principium et originem unitatis, etc. Hæc testimonia passim apud Patres et Doctores inveniuntur.*

[1] Orat. de moderatione servanda in disput. — [2] Hom. 55 in Matth.
[3] L. de Præscript. — [4] Epistol. ad Quirin. — [5] In c. 16, Matth.

Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges dissolveret! O beatus cœli janitor, etc.

INST. 1. Si in textu allato Christus per *Petram* intellexisset Petrum, debuisset dicere, *tu es Petra et super hanc Petram;* atqui non dixit. Ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Nam in idiomate Syriaco, quo Christus usus est, bis repetitur *Cephas*, sic, *tu es Cephas, et super hanc Cephas*, quod nomen Petram duram, seu rupem significat; interpres tamen Latinus non vertit priori loco *Petram*, sed Petrum, quia non ex Syriaco, sed ex Græco vertit codice, in quo legitur, *tu es Petros;* porro cum apud Græcos, tam *Petros*, quam *Petra*, significet lapidem, interpreti Latino commodius visum est homini nomen masculinum quam femineum tribuere.

INST. 2. De Aug. Ista verba, *super hanc Petram*, intelligit de Christo [1] dicens in hoc libro (contra Epist. Donati scripto): *Dixit de Petro, quod in illo, tanquam in Petra, fundata sit Ecclesia... sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est, tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hanc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Ergo.

RESP. *Dist. ant.* D. Aug. illa verba intelligit de Christo exclusione explicationis naturalis, quæ Petram de Petro interpretatur, *nego ant.* sine illius exclusione *conc. ant.* Hæc distinctio eruitur ex ipso D. Aug., qui ibidem lectori permittit ut quam interpretationem probabiliorem judicaverit, eligat. *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector;* qui insuper in Ps. 69 ait : *Petrus... illa confessione*, Filii Dei, *appellatus est Petra, super quam fabricaretur Ecclesia.*

INST. 3. Origenes [2] explicans hæc verba, *super hanc Petram*, dicit : *Petra est omnis qui imitator est Christi, et super omni ejusmodi Petra ædificatur Ecclesia Dei.* Ergo per illam *Petram* intelliguntur omnes fideles.

[1] L. 1 Retract., cap. 21. — [2] Tract. 1 in Matth.

Resp. *Nego cons.* Nam Origenes hic allegorice hunc textum exponit, quem [4] litteraliter exponens, de solo Petro interpretatur, dicens : *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, et Petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino : Modicæ fidei, quare dubitasti ?*

Inst. 4. Solus Christus est fundamentum Ecclesiæ, juxta illud [2] : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus;* ergo solus Christus est caput Ecclesiæ.

Resp. *Dist. ant.* Solus Christus est fundamentum Ecclesiæ, per exclusionem alterius fundamenti primarii et principalis, quod propria virtute structuram Ecclesiæ sustentat, *conc. ant.* per exclusionem fundamenti secundarii Christo subordinati, ab eoque accipientis virtutem, ut solide possit sustentare et gubernare Ecclesiam, *nego ant.* Responsio est D. Leonis, qui [3] Christum introducit sic loquentem : *Ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.*

Subsumes. Esto Petrus sit fundamentum secundarium Ecclesiæ, non sequitur inde quod sit ejusdem caput. Ergo.

Prob. subs. Ex Apoc. 21, ubi Ecclesia vocatur : *Murus civitatis habens fundamenta duodecim; et in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum Agni.* Atqui ex eo quod duodecim Apostoli dicantur fundamenta Ecclesiæ, non sequitur inde quod sint ejusdem caput. Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Quia non eodem modo dicuntur cæteri Apostoli Ecclesiæ fundamenta, quo D. Petrus; nam licet cæteri Apostoli fuerint Petro æquales in fundandis Ecclesiis, in annuntianda fide omnibus gentibus, fuerunt tamen dispares in regenda et gubernanda universa Ecclesia. Habuerunt quidem, quatenus Apostoli, universalem et plenissimam potestatem regendi Ecclesiam, juxta illud Joan. 10:

[4] Hom. 5 in Exod. — [2] 1 Cor. 3.
[3] Serm. 3 in anniversario suæ assumpt.

Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos; sed illa potestas erat tantum extraordinaria et delegata, solusque Petrus, ut Pastor, habuit ordinariam non solum in fideles, sed et in ipsos Apostolos, quorum erat caput: nam cæteri, quatenus Episcopi: *Habent sibi assignatos greges, singuli singulos,* ait D. Bernard. Eugenio Papæ [1], *tibi universi concrediti sunt, uni unus, non modo ovium, sed et Pastorum; tu unus omnium Pastor.* Unde licet Petrus sit fundamentum Ecclesiæ ministeriale respectu Christi cui subordinatur, est tamen principale, respectu aliorum Apostolorum, qui Petro subordinantur.

Inst. 3. D. Cyprian. [2] ait: *Hoc erant utique cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris, et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur.* Ergo censuit omnes Apost. æquales fuisse, et consequenter Petrum non habuisse primatum supra illos.

Resp. *Dist. conseq.* Censuit omnes Apostolos inter se æquales fuisse in auctoritate Apostolatus, quatenus nimirum poterant, sicut Petrus, per totum orbem prædicare, ecclesias fundare, Episcopos creare, etc., *conc. ant.* in auctoritate Episcopali, *nego ant.* Sic enim erant impares, cum Petrus in omnes, etiam Apostolos, potestatem ordinariam haberet tanquam eorum Pastor et caput, in ipsum vero nullus. Neque aliud voluit Cyprian., qui hic primatum Petri agnoscit, cum ait: *Exordium ab unitate proficiscitur;* unitas autem illa ab uno capite repetitur, ideo addit: *Primatus Petro datur, ut una Ecclesia et Cathedra una monstretur.*

Objicies 2. Multi Patres per ly, *Super hanc petram,* intelligunt Petri fidem et confessionem, *Et super hanc Petram, id est fidem atque confessionem,* ait D. Chrysost. [3]; ergo textus non intelligitur de Petro [4].

[1] L. de Considerat., cap. 8. — [2] L. de Unit. Ecclesiæ. — [3] Hom. 55.

[4] Ita perlucide rem totam explicat cl. R. P. Perronne, loco cit. ad obj. 6um: ... Omnes Apostoli pares quidem fuerunt in potestate sive *auctoritate Apostolica intrinseca, et essentiali*, minime vero quoad potestatem sive authoritatem extrinsecam, accidentalem ac superadditam qua Petrus

Resp. *Dist. ant.* Per Petram intelligunt Petri fidem et confessionem *in abstracto*, quasi vellent Ecclesiam fundari in fide sine subjecto spectata, *nego ant.* de fide enim sic spectata nullum Christus fecit sermonem. Intelligunt Petri fidem et confessionem *in concreto*, id est Petrum in fide fideique confessione firmum, *conc. ant.* Responsio patet ex ipso D. Chrysost., qui ibidem ait : *Dominus ait : Tu es Petrus, et super te ædificabo Ecclesiam meam.*

Objicies 3. Hæc verba[1] : *Tibi dabo claves regni cœlorum*, etc., diriguntur ad Ecclesiam, non ad propriam Petri personam; ergo ex illis non potest firmum duci argumentum pro primatu D. Petri.

Resp. *Nego ant.* Nam omnia textus verba propriam Petri personam manifeste designant; nempe : *Beatus es, Simon Bar-Jona... et ego dico tibi quia tu es Petrus... tibi dabo claves regni cœlorum.* Deinde illi dictum est a Domino : *Tibi dabo claves*, etc., cui dictum est, *Vade post me, Satana ;* atqui postrema hæc verba dicta sunt Petro et in propria persona, ut

constituebatur superior reliquis Apostolis, et qua aliquid adjiciebatur super ipsum Apostolatum, seu auctoritatem apostolicam. Quapropter Petrus ut merus Apostolus nullum jus, nullum *officialem* primatum exercere potuisset super cæteros Apostolos, neque Apostoli exercere itidem potuissent super Petrum et alter in alterum ; at vere Petrus potuisset super reliquos omnes exercere vi illius potestatis et auctoritatis superaddita quam nos primatum vocamus. Falsum porro est quod si Petrus vi primatus potuisset potestatem super alios Apostolos exercere, essentialis exinde atque intrinseca differentia inter Petrum et Apostolos reliquos consequeretur : etenim hoc quidem oriretur si intrinseca hæc fuisset, quia reipsa tunc in Apostolatu omnes non fuissent pares, sed Petrus, vi Apostolatus sui, cæteris emineret. Cum vero non vi Apostolatus, sed vi primatus supperadditi Apostolatui eidemque extrinseci, Petrus cæteris Præfectus fuerit, liquet exinde inferri haud posse intrinsecam et essentialem inter Petrum prout Apostolus est, et Apostolos reliquos differentiam.... Cæterum semel a Christo instituto primatu in Ecclesia sua ad ejus unitatem constituendam et conservandam, hic primatus jam essentialis est ipsi Ecclesiæ constitutioni, eoque sublato, unitas, ac per consequens Ecclesia prout a Christo constituta est plane dilaberetur. *

[1] Matth. 16.

docent S. Hilarius [1], Aug. [2], Theophilactus [3] et alii. Ergo, etc.

Inst. 1. Illa Christi verba : *Tibi dabo claves*, ad eum diriguntur quem Petrus repræsentabat quando Christus illa protulit; atqui tunc Petrus repræsentabat Ecclesiam ex Augustino [4]: *Quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit*. Ergo claves datæ sunt Ecclesiæ, non Petro.

Resp. *Dist. ant.* Quem Petrus repræsentabat, ut rector et supremus Ecclesiæ Pastor, *conc. maj.* quem repræsentabat, ut procurator vel legatus, *nego maj.* atqui Petrus repræsentabat Ecclesiam, ut ejus Rector et Pastor supremus, *conc. min.* ut ejus Legatus et Procurator, *nego min.* Itaque quando Christus dixit Petro : *Tibi dabo claves*, etc., Petrus repræsentabat Ecclesiam eo modo quo Rex, dum civitatis claves recipit, repræsentat Rempublicam cui præficitur. *Petrus*, inquit Augustinus [5], *propter Apostolatus sui primatum, Ecclesiæ gerebat, figurata quadam generalitate, personam.*

Inst. 2. Ex Div. Ambrosio in psalm. 38 : *Quod Petro dicitur, cæteris Apostolis dicitur : Tibi dabo claves.* Ergo ex illo textu non potest inferri primatus Petri.

Resp. *Dist. textum.* Quod Petro dicitur, cæteris Apostolis dicitur, et eodem modo, *nego*. Et diverso modo, *conc.* Petrus enim accepit a Christo claves, seu summam jurisdictionem in tota Ecclesia, ut Pastor ordinarius a quo cæteri Pastores penderent, et cujus potestas ad successores transitura esset; e contra, cæteri Apostoli acceperunt summam jurisdictionem in totam Ecclesiam, ut extraordinarii legati, et cum subordinatione et dependentia a Petro, ut supremo Ecclesiæ capite, quæ potestas cum ipsis expiravit, nec fuit transmissa ad eorum in Episcopatum successores.

Objicies 4. D. August. [6] ait : *Cum ei* (Petro) *dicitur, ad*

[1] In Psalm. 131. — [2] L. 2 contra Gaudent., c. 31. — [3] In c. 16 Matth. — [4] Tract. 50 in Joan. — [5] Tract. 12 in Joan. — [6] L. de Agone Christiano, cap. 30.

omnes dicitur: amas me, pasce oves meas. Ergo ex illo textu non potest colligi primatus Petri supra alios Apostolos.

Resp. *Dist. ant.* Omnibus dictum est: *Pasce oves meas,* et æque primo et principaliter, *nego ant.* et non æque primo et principaliter, *conc. ant.* hæc enim verba primo et principaliter dicta sunt Petro in propria persona; secundario vero omnibus Ecclesiæ ministris in ipso Petro, tanquam in Principe illos repræsentante, qui per hæc verba: *Pasce oves meas,* potestatem accepit pascendi totum Christi gregem, non qua solus uteretur, sed quæ aliis communicaretur, qui cum dependentia ab ipso Petro debent porportionaliter pascere eam gregis partem quæ sibi est commissa.

Objicies 5. Christus [1] docet Apostolos non debere habere prælaturam: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam Christus, per hæc verba, non omnem primatum vetuit, sed eum principatum a suis rejecit, qui a gentibus exercebatur cum fastu, imperio et avaritia, ut exponit D. Petrus: *Pascite,* inquit [2], *qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Deinde Christus satis indicat aliquem inter discipulos esse aliis superiorem dicens: *Qui major est in vobis fiat sicut minor, etc.*

Objicies 6. [3] Apostoli miserunt Petrum Samariam; atqui [4] *Apostolus non est major eo qui misit illum.* Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Miserunt per mandatum, *nego maj.* per consilium et suasionem, ut Samaritanos in fide confirmaret, *conc. maj.* Porro qui consilio mittitur non est minor mittente. Textus Joann. intelligitur de Christo, qui mandato misit Apostolos ut docerent omnes gentes.

Inst. Ad Galat 2, Paulus in faciem Petro restitit; ergo ipsi erat superior.

[1] Luc. 22. — [2] Epist. 1, cap. 5. — [3] Act. 8. — [4] Joann. 13.

Resp. *Dist. maj.* Restitit Petro ex studio veritatis et zelo religionis, *conc. ant.* ex superioritate et imperio, *nego ant.* Illa autem correctio non est superioritatis argumentum; unde Greg. Magn. [1] ait: *Ecce a minori suo reprehendi non dignatur: non ad memoriam revocat quod claves regni cœlorum acceperit.*

Objicies 7. Nonnulli ex Patribus Petrum et Paulum faciunt pares dignitate et auctoritate. Ergo.

Prob. ant. S. Epiph. [2] ait: *Romæ primi Petrus et Paulus Apostoli pariter et Episcopi fuerunt.* Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Paulus dicitur cum Petro Episcopus Romanus, ratione muneris Pastoralis Ecclesiæ particularis Romanæ, *nego ant.* Certum est enim quod D. Paulus in nulla particulari Ecclesia sedem Episcopalem fixerit. Ratione muneris Apostolici, quod omnibus Apostolis jus Episcopale ubique terrarum conferebat, *conc. ant.* Hujus muneris Apostolici virtute, Paulus cum Petro Ecclesiam Romanam fundavit et rexit, sed semper cum subordinatione et dependentia a Petro.

Inst. Romani Pontifices in suis bullis ac diplomatibus se fungi auctoritate Beatorum Apostolorum Petri et Pauli testantur; sic Paulus III in bulla convocationis Concilii Trident.: *Auctoritate Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, qua nos quoque in terris fungimur*, etc. Ergo Paulus fuit particularis Ecclesiæ Episcopus, non secus ac D. Petrus.

Resp. *Nego conseq.* Hic enim loquendi modus non intelligitur de auctoritate, cui Romani Pontifices successerunt; sed de auctoritate præsidii quod implorant; unde non pauci Rom. Pontifices in suis bullis declarant se aliquid facere non solum Petri et Pauli, *sed et omnium simul Sanctorum, atque venerandorum et universalium Conciliorum auctoritate*, ut loquitur Nicolaus I in sententia contra Photium lata; atqui tamen non succedunt auctoritati omnium Sanctorum. Ergo, etc.

[1] L. 2 in Ezech., hom. 18. — [2] Hæresi 27.

OBJICIES 8. Jacobus Episcopus Jerosolymitanus fuit Petro major. Ergo.

Prob. ant. Jacobus Christo in Episcopatu Jerosolymitano successit. Ergo, etc.

RESP. *nego ant.* Neque enim Christus fuit Episcopus alicujus particularis loci, sed fuit, et etiamnum est, totius Ecclesiæ Pontifex, qui, cum vivat in æternum, non potuit habere successorem.

INST. 1. Jerosolymorum Ecclesia fuit mater omnium Ecclesiarum; ergo Jacobus fuit Pater omnium Ecclesiarum, non Petrus.

RESP. *Dist. ant.* Fuit mater omnium Ecclesiarum antiquitate, cum prima omnium fuerit fundata, *conc. ant.* auctoritate et officio gubernandi, *nego ant.* Dominus enim primo Jerosolymorum Episcopo non contulit primatum, sed soli Petro.

INST. 2. Clemens Roman. apud Eusebium [1] docet Apostolos, *post Salvatoris Ascensum... Jacobum, cognomine justum, Apostolorum Episcopum elegisse.* Ergo.

RESP. *nego ant.* Ille enim textus est mendosus, qui licet sic legatur in codice Basileensi, non sic legitur in aliis, in quibus vox *Apostolorum* non reperitur, sed vox *Jerosolymorum;* unde Nicephorus [2] hunc Eusebii locum sic refert: *Jacobum justum Episcopum Jerosolymorum elegerunt.*

CONCLUSIO II.

Romanus Pontifex jure divino primatum honoris et jurisdictionis habet in tota Ecclesia. Est de fide contra Græcos schismaticos, Lutheranos et Calvinistas.

PROB. 1. Legitimus Petri successor jure divino primatum habet in tota Ecclesia; atqui Roman. Pontifex est legitimus Petri successor. Ergo, etc... Major est certa: nam legitimus Petri successor eamdem habet in tota Ecclesia potesta-

[1] L. 2, Hist., cap. 1. — [2] L. 2, c. 3

tem, quam in ea habuit D. Petrus; cum Christus dixerit Petro, non solum in propria persona, sed etiam in persona omnium ejus successorum : *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et : *Pasce oves meas;* atqui Petrus jure divino primatum habuit in tota Ecclesia, ut probatum est. Ergo, etc. Ideo

Prob. *min.* Ille est legitimus Petri successor, qui Cathedram habet in qua Petrus sedit et mortuus est; atqui Romanus Pontifex Cathedram habet in qua Petrus sedit et mortuus est. Ergo, etc. Major est certa; nam, *non succeditur nisi locum cedenti vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, id est depositionem, vel per renuntiationem,* ait Bellarm.[1]. Hinc est quod Episcopus Antiochenus D. Petri non sit successor, *quia,* addit Bellarm., *Petrus adhuc vivens, et Pontificatum gerens, Antiochenam Ecclesiam reliquit, et Romæ sedem suam fixit,* ibique mortuus est.

Prob. *min.* Ex scriptoribus ecclesiasticis fide dignissimis. Eusebius in Chronico ann. 44 ait : *Petrus Galilæus Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans 25 annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Et in Chronico anni 71: *Primus Nero super omnia scelera sua, etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus et Paulus gloriose Romæ occubuerunt.*

D. Hieronym.[2] : *Simon Petrus,* inquit, *ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25 annis Cathedram Sacerdotalem tenuit usque ad ultimum, id est 14 Neronis annum, a quo et affixus cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso.*

Paulus Orosius[3] : *Exordio regni Claudii, Petrus Apostolus Christi Romam venit, et salutarem cunctis fidem fideli verbo docuit, atque exinde Christiani Romæ esse cœperunt.* Eamdem veritatem tradunt omnes alii historici ecclesiastici, Patres et

[1] L. 2 de Rom. Pont., c. 12. — [2] De viris illustribus, in Petro.
[3] L. 7, Hist., c. 6.

Concilia, ipsaque Ecclesia, quæ in officio SS. Petri et Pauli sic canit : *O Roma felix! quæ duorum Principum es consecrata glorioso sanguine*, etc.

Prob. 2. Ex Conciliis : Nicæno, in cujus can. 6 dicitur : *Ecclesia Romana semper habuit primatum.*

Constantinop. 1, can. 2 : *Constantinopolitanus Episcopus habeat primatus honorem post Romanum Episcopum.*

Ephes. in quo Philippus Apostolicæ Sedis legatus, nemine reclamante, actione tertia dixit : *Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod S. Beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiæ Catholicæ fundamentum a Domino nostro J. C. claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet.*

Chalced. [1] Patres clamarunt : *Ex his quæ gesta sunt, et ab unoquoque deposita, perpendimus omnem quidem primatum et honorem præcipuum secundum canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari.*

Florentino quod, Græcis et Latinis consentientibus, in definitione fidei [2] sic pronuntiat : *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Rom. Pontificem successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro J. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur.*

Hinc Martinus V, in Conc. Constantiensi [3], decernit ut omnis de hæresi Joannis Huss et Wiclefi, qui hanc fidei veritatem negabant, suspectus, interrogetur *utrum credat quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor B. Petri habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei.*

[1] Act. 16. — [2] Sess. 6. — [3] Sess. ult.

Prob. 3. Ex Patribus, tum Græcis, tum Latinis.

E Græcis : D. Irænæus [1] ait : *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles.*

S. Athanas. *Ob id vos,* inquit [2], *prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules in summitate arcis constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis.*

S. Chrysost. a sententia depositionis in se per Theophilum Alexandrinum lata, ad Innocent I appellavit... Idem Theodoretus a Dioscoro Alexandrino depositus ad Leonem appellavit. Ex quibus patet Ecclesiam Orientalem, ante schisma Photii, constanter agnovisse primatum Romani Pontificis, ejusque supremam in omnes Patriarchas et Episcopos jurisdictionem.

Ex PP. Latinis.

August. [3] : *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.*

D. Cyprian. [4] : *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata ; aliud Altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum Altare et unum Sacerdotium, non potest ; quisquis alibi collegerit, spargit.* Ergo sicut Deus unus est, et Christus unus, et Ecclesia una numero, non specie, ita et Cathedra una est numero, illaque est Cathedra Petri, extra quam quicumque colligit, spargit.

D. Prosper [5] : *Roma per Sacerdotii principatum,* inquit, *amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.*

His authoritatibus addo declarationem Cleri Gallicani, in comitiis generalibus anni 1681, ubi de Romano Pontifice sic loquitur : *Caput est Ecclesiæ, centrum unitatis, obtinet ille in nos primatum auctoritatis et jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona Sancti Petri collàtum : qui ab hac veritate dissentiret, Schismaticus, imo et Hæreticus esset.*

[1] Lib. 3, cap. 3, de Romana Ecclesia. — [2] Epist. ad Felicem Papam. — [3] Epist. 162. — [4] Epist. 8 ad plebem. — [5] L. 2 de vocat. gentium.

Objectiones.

Objicies 1. D. Cyprian. primatum Romani Pontificis supra alios Episcopos non agnovit. Ergo.

Prob. ant. D. Cyprian. asserit omnes Episcopos pares esse in auctoritate Episcopali : *Episcopatus unus est*, ait [1], *cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Ergo.

Resp. *Nego ant.* Asserit Episcopos esse pares in auctoritate Episcopali, quoad munera quæ sunt intrinseca et essentialia Episcopatui, *conc. ant.* quoad munus Episcopatui accidentale, *nego ant.* Porro primatus est quid accidentale Episcopatui ad eumque pertinet Episcopum, quem Dominus elegit.

Inst. 1. Si Romanus Pontifex haberet primatum in Episcopos, esset Episcopus Episcoporum; falsum conseq. Ergo.

Prob. min. Ex Cyprian. [2] : *Neque enim*, ait, *quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit.* Ergo.

Resp. *Nego conseq.* D. enim Cyprian. loquitur solum de Episcopis in Concil. Carthaginensi III congregatis, de quibus asserit nullum se Episcopum Episcoporum constituisse, qui vim inferret aliis, ut rebaptizationi, quæ in eo Conc. decreta est, faveret vel non faveret; sed unumquemque suam sententiam liberrime aperuisse. *Superest*, inquit, *ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes... neque enim quisquam nostrum Episcopum, etc.*

Inst. 2. Qui non potest alios judicare Episcopos, non est Episcopus Episcoporum; atqui ex D. Cypr. ibidem, Episcopus Roman. non potest alios judicare Episcopos. Ergo.

Resp. *Nego min.* D. Cyprian. non loquitur de Rom. Episcopo, sed de Episcopis in Conc. suo Carthaginensi congregatis, de quibus dicit : *Omnis Episcopus... tam judicari ab alio non potest, quam nec ipse possit alterum judicare;* alias contradiceret Conc. Ephesino, a quo Joannes Patriarcha Antiochenus jussus est, *obedientiam et honorem deferre Apostolicæ*

[1] L. 2, de Unitate Eccl. — [2] Epist. ad Quintum

Sanctæ Dei Ecclesiæ Romanorum, apud quam maxime mos est ex Apostolico ordine et traditione, ut ipsa Sedes Antiochena dirigatur, et apud eam judicetur. Errasset ergo D. Cyprian. si judicandi Episcopos potestatem Romano denegasset Pontifici, ipsiusque authoritate possemus cum D. Aug.[1] respondere: *Litteras Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero; et quod in eis Scriptur. divinarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.*

Inst. 3. D. Cyprian. Stephano S. P. definienti *nihil* circa rebaptizationem Hæreticorum *esse innovandum*, obstinate reluctatus est; ergo non eum agnovit Episcopum Episcoporum.

Resp. *Nego conseq.* Non enim ideo reluctatus est Stephano definienti, quod ejus primatum negaret; dicit enim ibidem: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra monstretur:* sed quod putaret S. P. Stephanum sua abusum fuisse au ctoritate, cum censuerat Ecclesiastica communione privandos esse Episcopos a se dissentientes in quæstione, quam erronce putabat esse solius disciplinæ, non fidei.

Inst. 4. Ille primatum non habet in tota Ecclesia, qui non potest dici Episcopus universalis; atqui Rom. Pontifex non potest dici Episcopus universalis. Ergo.

Prob. min. Greg. Mag.[2] Joannem Constantinop. insectatur quod se diceret Episcopum universalem, atque illud esse *nomen blasphemiæ;* ergo Episcopus Rom. non potest dici Episcopus universalis.

Resp. *Dist. ant.* Hoc nomen, *Episcopus universalis*, est nomen blasphemiæ in sensu pravo quo illud usurpabat Joannes Constantinop. *conc. ant.* in sensu orthodoxo, *nego ant.*

Itaque duplici sensu potest accipi nomen *Episcopi universalis*... 1. Ita ut qui dicitur Episcopus universalis, ut solus universæ Ecclesiæ Episcopus, cujus cæteri omnes Episcopi

[1] L. 2 contra Crescon., cap. 32. — [2] L. 4, epist. 32.

sint tantum delegati ac vicarii; hic sensus est falsus et erroneus; in hoc tamen sensu Joann. Constantinopol. voluit appellari *Episcopus universalis*, ut constat ex his D. Gregori verbis : *Ad hoc perductus es, ut despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari*. 2. Nomen Episcopi universalis potest accipi hoc sensu, quod aliquis dicatur Episcopus universalis, eo quod regat singulas orbis Ecclesias, servata singulorum Episcoporum jurisdictione; hoc vero et orthodoxo sensu Pontifex Romanus vocatus est *Episcopus universalis* a Concilio Chalcedonensi.

INST. 5. Div. Greg. asserit *nullum unquam prædecessorum suorum tali vocabulo appellari voluisse ;* ergo non ipsis competit illud nomen.

RESP. *Nego conseq.* Non ideo Romani Præsules titulum Episcopi universalis assumere noluerunt, quod ipsis non competat, sed quia pravo sensui obnoxium esse poterat; hanc utique rationem reddit D. Greg. : *Ne*, inquit, *si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hunc omnibus fratribus denegasse videretur.*

INST. 6. Ille non est Episcopus universalis, cujus jurisdictio intra limites Occidentis coercetur; atqui Romani Pontificis jurisdictio sic coercetur a Conciliis. Ergo, etc. *Resp. Nego min.*

Prob. min. Canon 6 Concil. Nicæni I sic habet : *Mos antiquus perdurat in Ægypto, vel Libya et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem et Episcopo Romano parilis mos est.* Ergo.

RESP. *Dist. conseq.* Jurisdictio Romani Episcopi coercetur, quatenus est Patriarcha, *conc. conseq.* quatenus est Summus Pontifex et Vicarius Christi, *nego conseq.*

Itaque Summus Pontifex spectari potest, 1. ut Episcopus respectu Diœcesis Romanæ; 2. ut Metropolita, respectu Provinciæ Romanæ; 3. ut Patriarcha, respectu Occidentis; 4. Tandem ut Summus Pontifex, respectu totius orbis christiani. Porro prædictus Canon non confert Alexandrinum

Episcopum cum Episcopo Romano quoad dignitatem Pontificiam, sed tantum quoad dignitatem Patriarchalem et jura illi annexa; nam hic Canon in Concil. Chalced. sic refertur : *Trecentorum decem et octo Patrum Canon VI quod Ecclesia Romana semper habuit primatum, teneat autem et Ægyptus ut Episcopus Alexandriæ, etc.* Ad cujus relationem Patres dixerunt : *Perpendimus quidem omnem primatum et honorem præcipuum, secundum Canones, antiquæ Romæ Archiepiscopo conservari.*

Objicies 2. D. Hieronym. [1] ait : *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopol... ejusdem meriti, ejusdem est Sacerdotii.* Ergo nullus est qui supra alios habeat potestatem.

Resp. *Nego conseq.* Nam D. Hieron. Epist. ad Damasum clare tradit primatum Rom. Pontifici, dicens : *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum; quicumque tecum non colligit, spargit.* Itaque hic loquitur de potestate et honore Episcopis debito, hocque ut reprimat Diaconorum Romanæ Ecclesiæ superbiam, qui supra Episcopos Romæ existentes sese extollebant, eisque declarat, *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii,* id est in loco suæ sedis, *ejusque esse Sacerdotii,* id est esse supra Clericos inferioris ordinis.

Objicies 3. Qui sunt Vicarii Christi in terris quibusque commissa est universalis Ecclesiæ cura, sunt paris jurisdictionis cum Episcopo Romano; atqui omnes Episcopi sunt Vicarii Christi, juxta Apost. [2]: *Pro Christo legatione fungimur.* Omnibus *commissa est cura universæ Ecclesiæ,* ut scribit Eleutherius Papa ad Episcopos Galliæ. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui sunt Vicarii Christi in tota Ecclesia, quibusque commissa est cura universalis Ecclesiæ, authoritate jurisdictionis regendæ, *conc. maj.* qui sunt Vicarii Christi in sua quisque particulari Ecclesia quibusque commissa est universalis Ecclesiæ cura per charitatem, qua Ec-

[1] Epist 85 ad Evagrium. — [2] 2 Cor. 5, v. 10.

clesiæ laboranti subvenire debent, *nego maj.* Porro solus Romanus Pontifex est Vicarius Christi in universa Ecclesia, solus potest, per authoritatem et jurisdictionem, curam habere universæ Ecclesiæ. Ergo.

Præterea Decretalis Eleutherii viris eruditis hodie certissimæ suppositionis convicta habetur, sicut et aliæ Pontificum Rom. usque ad Syricium, qui Petri Cathedram an. 385 ascendit.

Inst. 1. Episcopi sunt successores Apostolorum; atqui Apostoli habebant jurisdictionem in universa Ecclesia. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sunt successores in Episcopatu, *conc. maj.* in Apostolatu, *nego maj.* Porro Apostoli jurisdictionem universalem habebant, qua Apostoli, non qua Episcopi; illa autem jurisdictio erat extraordinaria, cui non succedunt Episcopi.

Inst. 2. Jurisdictio universalis competebat Petro ratione Apostolatus; atqui tamen ei succedit Episcopus Romanus. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Nam jurisdictio universalis competebat Petro ratione muneris supremi totius Ecclesiæ Pastoris, et non solum ratione Apostolatus, et ideo in eo erat ordinaria et independens.

Objicies 4. Primatus totius Ecclesiæ fuit privilegium personale Petri; ergo non transit ad ejus successores.

Resp. *Dist. ant.* Fuit privilegium personale Petri, cum potestate ipsi a Christo facta illud alligandi ad aliquem certum locum, *conc. ant.* sine tali potestate, *nego anteced.*

Itaque, Primatus Petro primum collatus est sine alligatione ad aliquem locum, sed cum potestate illum postea ad aliquem locum particularem alligandi; et cum Petrus, ex speciali Dei inspiratione et jussu, sedem Romæ ultimo fixerit, illiusque Episcopus mortuus fuerit, inde factum est, ut Rom. Episcopus succedat Petro in omni potestate quam Petrus, pro se et pro suis successoribus, a Christo accepit.

Inst. 1. Petrus nunquam Romam venit; ergo non fuit Romæ Episcopus.

Resp. *Nego ant.* Cujus falsitas patet tum ex dictis, tum ex prima Petri Epist. quæ scripta fuit Romæ, ut probant hæc cap. 1 verba, *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta.* Atqui, juxta omnes interpretes, D. Petrus per Babylonem significavit Romam, ubi tempore D. Petri erat confusio idolorum et vitiorum. *Petrus in Epist. prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans : Salutat vos, inquit, Ecclesia quæ est in Babylone,* ait D. Hieronym. [1].

Inst. 2. Non potest dici quo tempore Petrus Romam venerit, et quot annis Romæ commoratus sit. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Nam ex D. Hieron. [2] : *Petrus Romam venit anno Claudii secundo... ibique 25 annis Cathedram tenuit, usque ad ultimum Neronis annum.* Et ex Paulo Orosio [3] : *Exordio regni Claudii Petrus Apostolus Romam venit.* Annus autem secundus potuit dici exordium regni Claudii, qui 14 annis imperavit.

Objicies 3. Ex facto Petri sedem Romæ figentis ortum est quod Romanus Episcopus, potius quam alter, succedat Petro in primatu universæ Ecclesiæ; ergo jure humano, non divino, succedit primatui.

Resp. *Dist. ant.* Ex facto Petri ortum est, ut Episcopus Rom. succedat in primatu, quoad ordinem successionis, *conc. ant.* quoad ipsam successionem, *nego ant. et conseq.*

Itaque observandum est cum Bellarm. [4] : *Aliud est successionem, aliud ordinem successionis : nam successio Romani Pontificis in Pontificatum Petri ex instituto Christi est,* qui instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi, ac proinde quicumque Petro succedit, accipit a Christo Pontificatum. *Ratio autem successionis, qua Rom. Pontifex potius quam Antiochenus aut aliquis alius succedat, est*

[1] Lib. de Viris illustr. in Marco. — [2] Lib. de Viris illustr. in Petro.
[3] L. 7, Hist., c. 6. — [4] L. 2 de Rom. Pontif., cap. 12.

facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit quinque primis annis, et tunc moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset : potuisset quoque semper manere Antiochiæ, et tunc Antiochenus sine dubio successisset; quia vero Romæ sedem fixit et tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Rom. Pontifex ei succedat.

INST. Primatus a Canonibus Rom. Pontifici est delatus; nam sic ait, can. 28 Concil. Chalced. : *Antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia contulerant.* Ergo primatus competit Rom. Pontifici jure humano.

RESP. *Dist. ant.* Concilium enim Chalced. nullum novum privilegium Pontifici Rom. tribuit, sed privilegia ei a Christo collata declaravit et definivit, quomodo Concil. Nicænum definivit Christum esse consubstantialem Patri; juxta illud D. Thomæ, opusculo contra impugnantes religionem : *Ecclesia Romana nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit.*

Resolves. Contra Novatores, Lutheranos et Calvinistas, quibus accessit Richerius, regimen Ecclesiæ esse vere Monarchicum, Summumque Pontificem vere esse illius Monarcham, ut docent melioris notæ Theologi, teste Duvallio Doctore Sorbonico [1]. *De fide enim est,* inquit, *statutum Ecclesiæ esse Monarchicum, et Ecclesiam habere unum supremum in terris visibilem Monarcham a quo gubernetur, ut contra nostræ ætatis Novatores luculenter demonstrant melioris notæ Theologi.*

Cum vero *Anonymus,* qui contra hanc veritatem scripsit, falso et impudenter, ad suorum dogmatum confirmationem, nomen Sorbonæ usurpet, lubet hoc loco clarissimorum Theologorum Parisiensium sententias apponere.

[1] L. de Eccles. et politica potest. contra anonymum, qui a DD. Geslin et Froger doctoribus Paris. fuit approbatus.

Petrus de Alliaco Cardinalis et Archiep. Cameracensis [1] ait : *Ideo Dominus hoc prævidens* (nempe Schisma et dissentionem) *contulit Petro, pro se et successoribus suis, auctoritatem disponendi ministros Ecclesiæ, et determinandi eorum jurisdictionem dicens : Pasce oves meas, id est, sis pater et prælatus generalis, ad quem pertinent dispositio et regimen regale ovium et ovilis.*

Joannes Gerson [2] : *Status Papalis*, inquit, *est a Christo immediate et supernaturaliter, tanquam primatum habens Monarchicum et Regalem in Ecclesiastica Hierarchia ; secundum quem statum unicum et supremum, Ecclesia Militans dicitur una sub Christo : quem statum quisquis impugnare, vel diminuere, vel alicui Ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, Hæreticus est, Schismaticus, impius, atque sacrilegus : cadit enim in hæresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiæ usque hodie, tam per institutionem Christi de primatu Petri super alios Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis suis, et generalibus Conciliis.*

Idem Gerson [3] ait : *Plenitudo legis Ecclesiasticæ sic proprie sumpta, non potest esse de lege ordinaria, nisi in uno Summo Pontifice formaliter et subjective, alioqui regimen Ecclesiasticum non esset Monarchicum, et habere posset multiplex caput ; quod est aperte hæreticum.*

Idem Gerson [4] docet : quod *Ecclesia in uno Monarcha supremo, per universum fundata est a Christo.* Et infra, *nullam aliam politicam instituit Christus Monarchicam, et quodammodo regalem, nisi Ecclesiam.*

Almainus [5] ait : *Christus fuit sapientissimus, quia sapientia plenus, et quod instituerit optimam politiam, sed optima politia regi debet regimine regali. Hoc est*, inquit Duvallius referens

[1] De origine Ecclesiasticæ potestatis, concl. 2.
[2] Tract. de Statibus Eccl., tit. pro statu Summi Pontificis, considerat. 1.
[3] L. de Origine juris et legum concl. 2. — [4] Tract. de auferibilitate Papæ consider. 8. — [5] L. de Potestate Ecclesiastica, c. 4.

hunc textum, *ut sit unus qui in unumquemque auctoritatem habeat, ut nullus alius in eum.* — Sic Joannes de Cellaja apud Duvallium [1], Mauclerus [2], Robertus Pœnalis [3], Gilbertus Genebraldus [4], etc... [5].

* Corollarium. *Ergo* 1° *S. Pontifex suprema fungit auctoritate supra Concilium.* Nam : 1° Sicut Episcopis supra fideles, sic supra fideles et Episcopos S. Pontifici primatum dedit Christus, ut constat ex dictis; unde : *Pasce agnos,* etc.. Atqui Episcopi sunt supra fideles tam separatim quam collective sumptos. Ergo. — 2° Christus, si in terra degeret, certe haberet supra Concilium auctoritatem. Atqui S. Pontifex est vicarius, *vices gerens,* Christi. Ergo. — 3° Ecclesia ex S. Script. est *domus, ovile, corpus;* S. Pontifex autem domus *fundamentum,* ovilis *pastor,* corporis *caput.* Atqui 1° Tam sub ratione collectionis quam individui, lapides ædificii fundamentum sustentat, oves pastor regit, membra caput supereminet. 2° Nunquam collectio lapidum fundamentum sustinet, ovile pastorem regit, nec membra simul sumpta

[1] Lib. *contra Anonymum,* pag. 157. — [2] *De Christi regno spirituali,* lib, 3, 1 part. — [3] Lib. 2 *de Oblata ab hæretcis conditione,* pag. 42. — [4] Lib. 3, pag. 462.

[5] His adde decretum S. Facultatis Paris, quo sic statuit : *Hierarchiæ Ecclesiasticæ potestas, divino jure Monarchia est eaque Papalis quilibet fidelium subesse dignoscitur.* (Apud Maucl., pag. 4, lib. 8, cap. 6, col. 2134). Eadem hæc duas Antonii de Dominis damnavit propositiones : 1. *Monarchiæ forma non fuit immediate in Ecclesia a Christo instituta.* Censura : *Hæc propositio est hæretica, schismatica, ordinis Hierarchici subversiva,* etc. 2. *Dico :* Romanam *Ecclesiam ex magnitudine civitatis et ex eo quod duo primi Apostoli eam fundaverunt, Petrus et Paulus, et ex aliis capitibus extra jus divinum, habuisse ut semper reputata sit Ecclesia principalis, non tamen domina et regina super universas Ecclesias.* Et infra : *Erat ergo et est Ecclesia præcipua nobilitate, existimatione, nomine, et dignitatis auctoritate, non regiminis et jurisdictionis principatu.* Censura Parisiensis : *Hæc propositio est hæretica et schismatica, quatenus aperte insinuat Rom. Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias Ecclesias non habere.*

caput gubernant. Ergo. — 4° Jus appellationis a Concilio ad Papam viguit semper et approbatum semper fuit, ut videre est in can. 4 et 7 Synodi Sardicensis trecentorum Patrum præsentia coadunatæ. Appellatio vero a S. Pontifice ad Concilium illicita, imo nulla semper fuit, ut aiunt Nicolaus I [1], S. Yvo, Episc. Carnotensis [2], S. Aug. [3]. — 5° S. Pontifex hanc auctoritatem exercuit, nam, v. g. [4], Liberius Concilii Arim. et Leo Mag. Conc. II Ephes. acta infregit: et ambo a Conciliariis Patribus fidei professionem exegerunt contrariam iis quæ antea decreverant. Insuper Leo Mag. infirmavit can. 28 Conc. Chalced., licet a Patribus exoratus ut illum sua auctoritate firmaret. Atqui hæc et similia facta non fuissent, si S. Pontifex non esset supra Concilium. — 6° Ipsimet Gallicani concedunt doctrinam S. Pontifici et majori Episcoporum parti communem, esse de doctrina catholica. Atqui propositio nostra... Ergo.

Ergo 2° *S. Pontifex in canonibus rite dispensare potest.* Nam : 1° Liquet evidenter ex præcedentibus; 2° Ecclesia universa privilegiis gaudet a SS. Pontificibus datis contra canonum dispositionem, et *præsertim Gallia.* Unde sanctus Thomas [5] : *Non est dubitandum quod Papa habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita ut quæcumque instituta sunt per Ecclesiam vel Ecclesiæ Prælatos, sint dispensabilia ab ipso.* *

CAPUT II.

DE PRIMATUS SUMMI PONTIFICIS PRÆROGATIVIS

Nota 1. Ex dictis, S. Pontifex ratione primatus sui caput est universæ Ecclesiæ; et ideo prærogativæ, quas Ecclesiæ vindicavimus, eminentiori modo reperiri debent in S. Pontifice, sicut in homine caput eminentiori modo in se continet quidquid in membris excellentiæ est. Porro, duo dotes

[1] Epist. 8 ad Michaelem Imper. — [2] Epist. 183. — [3] Lib. 4 *ad Bonifac.*, cap. ult. — [4] Vide Serryum, disp. 5, prælect. 1. — [5] Quodlib. 5, quæst. 8

præcipuæin Ecclesia eminent, *infallibilitas* in docendo, et *auctoritas* in regendo. De auctoritate jam constat; de infallibilitate ergo dicemus, tum ratione juris, tum ratione facti.

Nota 2. S. Pontifex spectari potest vel ut *doctor particularis*, vel ut *docens ex Cathedra*. Certe, priori modo sumptus, errare potest : quæstio ergo est an sit infallibilis, non circa facta personalia, disciplinæ particularis decreta, et similia, sed ut loquens ex Cathedra. — Ut autem dicatur loqui ex Cathedra, tria requiruntur : 1° definitio sit de re ad fidem vel mores pertinente ; 2° sit omnino libera saltem ex parte Pontificis definientis; 3° res definita universæ Ecclesiæ credenda vel facienda proponatur sub pœna anathematis [1]. Itaque juxta has leges expendemus eorum Pontificum exempla, qui errores ex Cathedra docuisse circumferuntur.

CONCLUSIO I.

Romanus Pontifex ex Cathedra definiens infallibilis est, ejusque dogmatica decreta, etiam antequam accedat Ecclesiæ consensus, sunt prorsus irreformabilia.

PROB. 1. *Ex S. Scriptura :* Ex Matt. [1] : *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Textus ille nimis clarus, nimisque stringit adversarios : et ideo, ut se ab illo extricent,

* [1] Aliqui quartam addunt conditionem, nempe : definitio non feratur, nisi maturo examine prævio, consultis Prælatis ac Doctoribus adhiberi solitis, imprimis vero Romanæ Ecclesiæ doctrina et traditione : unde requirunt libertatem ex parte Doctorum consultorum. Sed verius alii dicunt hanc conditionem solum de congruentia esse : necesse est enim ut omnes, qui Pontificiam infallibilitatem tuentur, eam non consiliariis, nec examini, sed solo Pontifici promissam fuisse fateantur : alias hæretici semper objicere possent sufficiens examen non extitisse, sicut de facto sectarii in Tridentinum opponuere. Ad providentiam autem S. Spiritus pertinebit (ut recte ait Suarez, *de Fide*, sect. 8), quod Pontifex non temere nec imprudenter unquam in tantis rebus agat et decernat. (S. Alph. de Liguorio, *Th. mor.*, lib. 1. n. 110.) *

[2] Cap. 16. 18.

quidam, ut Natal. Alex., pro *Petra* explicant Ecclesiam: sed inepta interpretatio, ait S. Liguorius [1]; quæ meptum reddit sensum, nimirum: *super hanc Ecclesiam ædificabo Ecclesiam meam*. Patet igitur quod totus sermo dirigitur ad Petrum. Unde communiter Sancti Patres, ut Basilius, Cyprianus, Chrysostomus, Hilarius, Tertullius, Epiphanius, Origines, etc., dicunt nomine *Petra* intelligi Petrum. Signanter S. Basilius [2] ait de Petro: *Quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit*. Et S. Cyprianus adversus Novatianos, post verba: *Tu es Petrus.....* subdit: *Super illum unum ædificat Ecclesiam, et illi pascendas mandat oves suas*. Quidam autem verba: *Et portæ Inferi*, etc., non ad Petrum, sed ad Ecclesiam referunt; ast hæc interpretatio contra sensum antiquitatis pugnat reique naturam de qua agitur. Aliunde conjunctio *et* ultimum phrasis membrum ad principale subjectum reducit, ut si legeretur: *Tu es Petrus, et super hanc Petram, adversus quam..., ædificabo*, etc... Dato tamen adversariis verba: *Et portæ Inferi*, etc., non ad Petrum, sed ad Ecclesiam referri, non minus evidenter stabilitur Petri et ejus successorum, in iis quæ ad fidem pertinent, infallibilitas; nam: 1° Petræ fundamentalis hoc est proprium, totum ædificium sustentare; si itaque hujusmodi ædificium est Ecclesia, adversus quam Inferi prævalere nequeunt, ut non possit ruere, necesse est fundamentum ejus neque destrui posse, ne destructo fundamento, tota domus corruat; ideo Origen.: *Si portæ Inferi adversus Petrum, in quo Ecclesia fundata est contra Ecclesiam etiam prævalerent*. 2° Si Petrus ab Ecclesia reformari deberet, istud sequeretur absurdum, non ædificium nempe, seu Ecclesiam, a fundamento, Petro scilicet, consolidari, sed Petrum, seu fundamentum ab ipso ædificio. Ergo.

Ex Luca [3], cum dixit Christus: *Simon, Simon, ecce Satanas*

[1] *Th. mor.* lib. 1, n. 111. — [2] Lib. 2 *contra Eunom.* — [3] 22, 31 et

expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Hic tria promittit Christus, scilicet : 1° tentationes Apostolis et Ecclesiæ, *expetivit vos;* 2° fidem indefectibilem Petro et ejus successoribus, *ut non deficiat fides tua,* 3° munus Petro et ejus successoribus, fratres suos seu Ecclesiam in fide confirmandi, *confirma fratres tuos.* Unde sic : Christus oratione sua in Petro et ejus successoribus præsens paravit remedium contra tentationes quibus Apostoli et Ecclesia erant agitandi; atqui, si Petrus seu Rom. Pontifex infallibilis non esset, seu deficere posset fides ejus, dum ex Cathedra loquitur, plura sequi possent. sequeretur enim aut Christi orationem pro Petro ineffacem fuisse; aut sufficienti remedio Christum suæ Ec[illegible] nequaquam providisse; aut Ecclesiam, prout distinguitur a capite suo, præditam esse infallibilitate; aut Petrum non amplius confirmare fratres suos, sed potius a fratribus Petrum confirmari. Jam vero ex illis duo priora sunt impia, tertium contra Christi promissionem, quartum vero contra ordinem a Christo institutum. Ergo.

Ex Joan. [1], Christus dixit Petro : *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Unde sic : Ex una parte, per hæc verba totus dominicus Petro ejusque successoribus committitur grex, sive agni sive oves, fatentibus adversariis [2], scilicet Episcopi, qui licet Pastores sint respectu illius gregis portionis, quæ ipsorum curæ commissa est, attamen ipsi agni aut oves sunt, respectu supremi Pastoris, scilicet Petri seu Rom. Pontificis, juxta illud : *Fiet unum ovile et unus Pastor, et hujus Pastoris vocem tenentur audire et consequi* [3]. Ex altera autem parte, munus Pastoris præcipue in veræ doctrinæ ministerio consistit. Ergo si certum est Papam esse totius Ecclesiæ Doctorem et Pastorem, certe quoque tenendum ipsum debere esse infallibilem, ne Ecclesia a suo magistro aliquando decipi possit.

[1] 21, 15 et seqq. — [2] Bossuet, Méditat.

Prob. 2°. Ex SS. Patribus. Omnes hanc uno ore conclamant veritatem: brevitatis causa paucos proferemus. S. Iræneus [1]: *Omnes a Romana Ecclesia necesse est ut pendeant tanquam a fonte et capite.* S. Athanasius ad Felic. Papam scribit: *Tu profanarum hæreseum, atque imperitorum omniumque infestantium depositor.* S. Cyprianus [2]: *Qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* S. Hieronym. in ep. ad Damasum Papam: *...Quicumque tecum non colligit spargit, id est qui Christi non est, Antichristi est.* S. Basilius [3] scribit: *Romanum Pontificem compellendum esse, ut quid credendum sit, si per Concilium definiri non detur, ipse determinaret.* S. Aug. [4]: *Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est.* S. Thom. [5]: *Magis standum est sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam quorumlibet sapientum.* S. Bonav.[6]: *Papa non potest errare, suppositis duobus: primum quod determinet qualenus Papa; alterum, ut intendat facere dogma de fide.* Ergo.

Prob. 3°. Ex Conciliis œcumenicis. 1° Ex Concilio Chalcedonensi, ubi (ut refert D. Thom. in opusculo contra errores Græcorum) habetur: *Omnia ab eo* (Papa) *definita tenentur tanquam a Vicario apostolici throni.* 2° Ex Concilio Lugdunensi œcumenico II, ubi habetur: *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum principatum super universam Ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse recognoscit; sic, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri.* 3° Ex Concilio Viennensi XV generale, sub Clem. V, ubi sic sancitum est: *Dubia fidei declarare, ad Sedem duntaxat Apostolicam pertinere.* Ergo.

Prob. 4°. Ex ipsa schola Gallicana, cujus ante Concilium Constansiense et Basileense, omnes theologos et doctores unanimiter docuerunt, definitiones Pontificias, etiam extra

[1] L. 3, c. 3. — [2] Lib. *de Unit. eccl.* — [3] Ep. 52 ad Athan.
[4] Lib. 1 *Contra Julianum*, cap. 8. — [5] Quodlib. 10, art. 3.
[6] In *Summ. Theol.*, q. 1, ar. 3, d. 3.

Concilia, rem facere de fide, ut advertit Ragnaldus [1]: imo ipsa Sorbona pluries ut hæreticas damnavit propositiones quæ dicebant Pontificis auctoritatem esse fallibilem; et consuetudo fuit Parisiensis Facultatis, ut ab ea laureati protestationem nunquam Ecclesiæ Romanæ contradicendi præmitterent [2]. Quæ contra Vigorium et Richerium aliter sentientes subdit : *Nemo nunc est in Ecclesia, qui ita pro certo sentiat, præter Vigorium et Richerium, quorum si vera esset sententia, totus fere orbis christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret* [3].

Prob. 5°. Ratione. 1° Ille infallibilis esse debet in suo magisterio, per quem datur ut Ecclesia errare non possit; atqui propter infallibilitatem Petri seu Rom. Pontificis datur ut... Ergo

Major patet. *Probatur min.* ex S. Thom. [4], qui dicit : *Ecclesia non potest errare, quia ille qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dixit Petro : Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ergo.

2° Ille infallibilis est in suo magisterio, ex quo totius Ecclesiæ pendet unitas fidei : atqui ex magisterio Romani Pontificis... Ergo.

Major patet. *Prob. min.* Iterum ex D. Th. [5] : *Et ratio est,* inquit, *quia una fides debet esse totius Ecclesiæ,* secundum illud [6] *quod servari non potest, nisi quæstio fidei determinaretur per eum qui toti Ecclesiæ præest.* Ergo.

4° Juxta adversariorum placita non est irreformabile judicium Summi Pontificis, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Quem alii dicunt obtineri, cum omnium fidelium consensus accedit, alii, cum saltem accedit consensus omnium Episcoporum, alii unius tantum provinciæ consensum satis esse affirmant. Alii tandem requirunt consensum majoris partis Episcoporum in orbe Christiano degentium.

[1] In opusc. *de Rom. Pontif.* — [2] Conf. Nauclerum, p. 4, lib. 8, c. 6, et Duvallium, *De Sup. Pont.*, p. 1, q. 9. — [3] Apud S. Lig., loco cit. — [4] 3 p., q 23, art. 1. — [5] 22 quæst. 1, art. 10. - [6] 1 Cor. 1.

Hoc posito, quæritur quid dicendum si Pontificis decreto pars æqualis Episcoporum accedat? Quid si accedat minor pars? (ut sæculo IV accedit, cum sententiæ S. Melchiadis Papæ tantum 18 Episcopi orthodoxi adhæserunt, sed contra alii 400 eum rejecerunt; prout refert *Haunoldus* [1].) In simili casu quis litem dirimet, si unus supremus judex non agnoscatur, qui fidei causas definiendi infallibilem potestatem habeat? Adde quod si consensus majoris partis Episcoporum sufficit, utique Papam esse infallibilem credere omnes tenentur, statim ac aliquid circa fidem aut mores ipse definitive decernit; non solum etenim major pars, sed tota fere Ecclesia, paucissimis nunc exceptis ex Gallia, id docet et semper docuit. Ergo [2].

Prob. 6° *Ex absurdis,* quæ ab adversariorum opinione profluunt. Tota enim contorquenda est Scriptura Sacra; epitheta, ab illis etiam Rom. Pontifici concessa, evadunt ridicula, metaphoræ et comparationes, similitudines penitus destruuntur, non quidem in accidentalibus, bene vero in iis in quibus essentialiter sistit relatio seu comparatio illas inter et rem figuratam. Sic v. g. Rom. Pontifex fundamentum est ædificii; at fundamentum excurrit longe, ædificio tamen in aere pendulo manente. Est Pastor ovium; sed oves fiunt Pastoris Pastor, illæ errantem reducunt, deceptum corrigunt, ignarum erudiunt, in loco pascuæ collocunt esurientem, sitientem ad aquas vitæ perducunt; doctor est et fit discipulus; caput est corporis, ast non caput membra, sed membra dirigunt caput, imo truncato capite, vegetum est corpus, et suum caput reponit in loco suo. Centrum est unitatis, ast centrum excutitur, servata tamen unitate; et alia sexenta id genus.

Ex his omnibus tandem inferunt Doctores, nostram sententiam esse saltem fidei proximam; et contraria, dicit Bellarminus, videtur omnino erronea et hæresi proxima [3]:

[1] Introd. ad Jus Canon., p. 16. — [2] Ita S. Lig., *Theol. mor.*, lib. 1, n. 115. — [3] Conf. Suarez., l. 3, *De Fide;* Bannez, Bellarm., l. 4, *De*

nostra conclusio firmius sequenti conclusione facti corroboratur.*

CONCLUSIO II.

Nullus unquam Pontifex Romanus ex Cathedra pronuntians erravit in fide aut moribus.

Prob. 1. Ex testimoniis Summorum Pontificum. S. Lucius I, epist. ad Episcopos Hispaniæ, et Galliæ, ait: *Ecclesia Romana Apostolica est, quæ a tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis depravata novitatibus succubuit, secundum ipsius Domini pollicitationem : Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Quæ Decretalis, licet supposititia habeatur, magna tamen pollet authoritate, ut infra videbitur.

Idem testatur Felix I, epist. ad Benignum: *Ecclesia Romana, inquit, ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum principibus, illibata manet, juxta illud : Rogavi pro te, etc.*

Agatho Papa, epist. approbata in VI Synodo [1], dicit: *Ecclesia Romana a tramite apostolicæ traditionis nunquam erravit, quia dictum est Petro : Ego rogavi pro te, etc.*

Leo IX, epist. ad Petrum Antiochenum, referens hanc Christi orationem : *Ego rogavi pro te, Petre,* ait : *Quæ venerabilis et efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petro non defecit, nec defectura creditur in throno illius.*

Prob. 2. Quia nullius Pontificis afferri potest definitio quæ fidei repugnet, ut ex oppositorum argumentorum solutione patebit.

Objectiones.

Objicies 1, *cum Magdeburgensibus :* D. PETRUS bis contra fidem erravit: 1. Quando Christum negavit; 2. quando coe-

Pont., c. 2; Ballerin., *De vi et rat. primat.*, cap. 12, § 1; Cardinal. Litta; de Maistre, *Du Pape*, etc.

[1] Act. 8.

git gentes Judaizare, ex quo a D. Paulo graviter reprehensus est.

Resp. A scopo multum aberrare Magdeburgenses tale exemplum proponendo. Primo enim, D. Petrus non corde, sed ore, Christum negavit, cum nondum esset Pontifex; constat enim Christum non ei contulisse Ecclesiæ primatum, nisi post suam resurrectionem, quando [1] dixit : *Pasce oves meas.* Secundo : Quando D. Petrus coegit Judaizare, nullo decreto Judaizandum esse sancivit; e contra paulo ante contrarium definivit [2] : non ergo erravit doctrina, sed exemplo conversationis, qua plurimis occasionem errandi dabat : porro de errore facti non contendimus.

Objicies 2. VICTOR I definivit Christum esse purum hominem. Ergo, etc.

Resp. Eusebius hanc esse calumniam, qua illè Pontifex fuit aspersus ab Hæreticis. *Quomodo non illos pudet hæc Victori tam falso objectare?* inquit[3], *præsertim cum explorate cognitum habeant, Victorem, Theodotum illum Coriarium, qui primus Christum solum hominem docebat... Christiana communione interdixisse; quod si Victor eadem cum illis sentire visus fuisset (sicut detestabilis istorum docet calumnia), quo pacto Theodotum hujus erroris inventorem, ab Ecclesia ejicere in animum induxit.*

Objicies 3. Tertullianus [4] asserit ZEPHYRINUM approbasse prophetias Montani earumque authoribus pacis et communionis litteras dedisse, quas postea, suadente Praxea, revocavit; ergo Zephyrinus erravit contra fidem.

Resp. 1. Tertullianum nullam in ulla narratione mereri fidem, cum librum illum scripserit post suam in Montani hæresim defectionem, unde non mirum est, si Romanum Pontificem ad partes Montani voluerit adducere.

Resp. 2. Data, non concessa, veritate narrationis, ex ea sequitur tantum quod Zephyrinus, specie pietatis, quam Montanistæ præ se ferebant, persuasus fuerit eos recte sen-

[1] Joann. ult. — [2] Act. 15. — [3] L. 3 *Histor.*, cap. 17. — [4] L. *Adv. Praxeam*, c. 1.

tire ac docere, erroresque falso illis fuisse impositos, eamque ob causam dedit litteras pacis, quas revocavit ubi primum a Praxea eos errorem docere ac defendere cognovit : ubi nullus fuit Zephyrini error in fide (circa quam nihil ex Cathedra pronuntiavit), sed solum de personis earumque qualitatibus, circa quas posse decipi Pontificem non negamus [1].

OBJICIES 4. MARCELLINUS idolis sacrificavit. Ergo, etc.

RESP. 1. Multi illud factum negant, asseruntque meram esse in sanctum Pontificem calumniam : sic inter alios D. Augustinus [2] : *Quid ergo jam opus est*, inquit, *ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est (Petilianus) objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus et presbyteri ejus, traditionis Codicum divinorum, et thurificationis ab eo crimine arguuntur; sed nunquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos et sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo.*

RESP. 2. Dato quod Marcellinus in immani persecutione Diocletiani, metu mortis inductus, idolis sacrificaverit, et sic contra fidem graviter peccaverit, non inde sequitur quod aliquid contra fidem interius tenuerit vel senserit, multo minus docuerit, ac ex Cathedra pronuntiaverit idolis esse sacrificandum.

OBJICIES 5. LIBERIUS subscripsit damnationi S. Athanasii, et formulæ Sirmiensi Arianæ; ergo erravit ut Pastor universalis.

RESP. 1. Esto Liberius subscripserit damnationi D. Athanasii atque formulæ hæreticæ, quid inde, nisi hoc unum, Pontificem graviter peccasse contra justitiam, damnando Div. Athanasium, et contra fidei confessionem, communicando cum Arianis? at non inde concludes eum ex Cathedra pronuntiantem errasse. An, quæso, eam formulam toti Ec-

[1] Vide Div. Epiph. hæresi 48. — [2] L. L. de Unico Bapt. contra Petilianum, c. 16.

clesiæ credendam proposuit? An consuluit traditionem Ecclesiæ Romanæ? An libere egit exilio detentus et ærumnis confectus? Minime profecto; ergo, etiamsi Liberius errasset contra fidem, error ille fuisset personalis, non Pontificia authoritate definitus. Verum

Resp. 2. Liberium nunquam fuisse hæreticum, neque ante exilium, quoniam ideo exulare jussus est, quia noluit Arianæ hæresi subscribere, ut testantur illius ætatis historici [1]: neque ab exilio reversus; quoniam propter acta Concilii Ariminensis (in quibus Ariana hæresis fuerat iterum conclamata), rescissa et damnata, iterum sede pulsus, in sepulcris delituit, ærumnisque confectus migravit ad Dominum [2]: neque tempore exilii, nam formula fidei cu subscripsit, erat Catholica in sensu obvio in quo ei subscripsit, et nunquam compelli potuit ad reprobandam vocem *consubstantialis*. Pro cujus rei intelligentia

Nota. Tres esse formulas fidei, quæ *Sirmienses* dicuntur.

Prima fuit edita Sirmii contra Photinum, Sirmiensem Episcopum, qui Pauli Samosateni erroribus infectus, Christum purum hominem blasphemabat. Hæc formula, cui Liberius subscripsit, erat Catholica: in ea hæresis Photini fuit damnata; definitumque est Verbum esse ejusdem cum Patre substantiæ. Hanc formulam exponens D. Hilarius, Catholicam esse fatetur; et Liberius ipse, in Epistolis quas ad Episcopos orientales scripsit, asserit se ideo cum Valente et Ursacio communicasse, quod eorum fidem agnovisset Catholicam, atque alienam ab Ariana perfidia.

Nec obstat, quod hæc formula nomen *consubstantialis* taceret: rem enim hoc nomine expressam perfecte exprimebat, et ideo ei subscribere potuit Liberius.

Secunda formula edita est Sirmii, in qua Dei Filium, nec ejusdem substantiæ cum Patre, nec ei similem esse decretum est. Hæc, cui Osius, Episcopus Cordubensis, ætate ac

[1] Socrates, lib. 2, c. 29; Sozomen., l. 4, c. 16; Nicephor., lib. 9, c. 35. — [2] Sozom., lib. 4, cap. 10.

ærumnis fractus subscripsit, ab Imperatore Constantino fuit suppressa, ac sub pœna extremi supplicii vetita.

Tertia formula in Concil. Ancyrano fuit cusa, in ista secunda Sirmiensis fuit damnata, atque omnimoda et substantialis Filii cum Patre similitudo asserta : hæc cum fuerit ad Constantium Sirmii commorantem delata, eam amplexus est, et omnes Episcopi Concilii Ancyrani, qui Sirmii denuo convenerant, eam ibi sua subscriptione munierunt ; unde *tertia Sirmiensis* dicta.

DICES : DD. Athanas. [1] et Hieron. [2]. Liberium *hæreticæ gravitati subscripsisse* asserunt. Ergo, etc.

RESP. Fateor, verum contendo id ab eis non fuisse dictum, quod Liberius formulæ Arianæ subscripserit, sed tribus ex causis. 1. Quia cum Arianis communicavit. 2. Quia sententiam ab Arianis latam contra Athanasium ratam habuit. 3. Quia vocem *consubstantialis*, quæ tessera Catholicorum erat, in formula fidei omitti passus est, in quibus graviter peccavit, sed extra naufragium fidei.

INST. 1. Causa Athanasii adeo cum fide tunc conjuncta fuit, ut idem videretur Athanasium condemnare, quod fidem Nicænam violare. Ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Idem erat Athanasium, propter fidem quam profitebatur condemnare, quod fidem Nicænam violare, *conc.* propter alia crimina, quæ Athanasio objiciebantur, *nego ant.* Liberius itaque in damnationem Athanasii consentiens, non respexit ad negotium fidei, sed ad alia crimina quæ, licet falso, ei imponebantur. Liberius tamen ignorabat illa ei falso imponi.

INST. 2. Negari non potest sparsum fuisse rumorem quod Liberius in gratiam Constantii Imperatoris, hæresi Arianæ subscripserit. Ergo, etc.

RESP. Hic rumor sparsus fuit ab Arianis per calumniam, ut scribit Nicephorus [3]. *Liberius autem,* inquit, *aliam quoque,*

[1] Epist. ad Solit. vitam agentes. — [2] Catalogo Scriptor. in Fortunatiano. — [3] L. 9, c. 37.

seorsim fidei conscripsit professionem, qua omnes ab Ecclesiæ communione arcebat, qui Filium Patri non secundum substantiam et per omnia æqualem dicerent. Id propterea fecit, quod Eudoxius, et qui factionis ejus fuere, non ita pridem Antiochi propter Aetii hæresim congregationi, cum Osii Epistolam in manibus habe rent, plurimum verborum fecerant, quibus Liberium per calumniam traduxerant, perinde atque consubstantialem repudiasset, et Patri Filium omnino inæqualem dixisset. Idem refert Sozomenus [1], ex quo innocentia Liberii evidenter declaratur.

Objicies 6. Felix II fuit Arianus, ut testatur Div. Hieron. [2]. *Acacius*, inquit, *in tantum sub Constantio Imperatore claruit ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum in Episcopum constituerit.*

Resp. *Nego ant.* Quia etsi Felix ante Pontificatum communicaverit cum Arianis, ideoque fuerit reprehensibilis, nequaquam tamen fuit Arianus, ut testatur Nicephorus [3]. *Felix... Nicænam quidem fidei professionem retinebat, et in religione reprehensione carebat; unum tamen illud vitio ei vertebatur quod, priusquam Episcopus creatus esset, cum diversæ opinionis studiosis communicare sustinuerit.*

Ad D. Hieronymum respondet Coccius [4], Lipsium *adnotasse in suis mss. codicibus, ut nec in Sophronio Græco (qui librum D. Hieronymi, adhuc eo vivente, in græcam linguam transtulit) haberi Arianum : cui consentit ex nostris*, addit, *Codex Cemblanensis, et Viridis Vallis.*

Objicies 7. VIGILIUS, teste Liberato [5], Epistolam scripsit ad Theodoram Augustam et alios Hæreticos, qua confirmavit hæresim Eutychianorum, et anathema dixit iis qui duas in Christo naturas asserebant.

Resp. Ad rem præsentem non facit illa Vigilii Epistola, quam ad Imperatricem scripsit, cum adhuc viveret Sylverius Papa, quo tempore Vigilius erat Schismaticus et Antipapa, jussu Theodoræ et opera Belisarii creatus; nec ideo

[1] Lib. 4, c. 14. — [2] L. de Script. Eccles. in Acacio. — [3] L. 9, c. 35. — [4] Lib. 7 *De Hierarchia Ecclesiæ*, art. 12. — [5] In Breviario, cap. 22.

mirum esset, si errasset in fide, quanquam ne tunc quidem definitionem ex cathedra, de qua tantum disputamus condidit; sed occultas furtivasque litteras, ab ipso illarum authore silentio damnatas, quod sententiæ e Cathedra prolatæ omnino repugnat.

OBJICIES 8. HONORIUS fuit hæreticus Monothelita, qui unam in Christo voluntatem unamque operationem docuit, in duabus epistolis ad Sergium scriptis; quam ob causam cum aliis Monothelitis fuit damnatus in Synodo VI, sub Agathone Papa.

RESP. 1. Dato, non tamen concesso, reipsa Honorium errasse ac merito damnatum fuisse, certum est ipsum ex Cathedra non definiisse, propter sequentes rationes :

1. Quia illæ Honorii ad Sergium epistolæ, privatæ fuerunt, nec toti Ecclesiæ credendæ sub pœna anathematis propositæ.

2. Quia Honorius hanc quæstionem nec maturo examine expendit, nec circa eam, quam reliquit Grammaticis discutiendam, consuluit suæ Ecclesiæ Romanæ traditionem : *Non oportet,* inquit [1], *hæc ad dogmata Ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates Canonicæ visæ sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare quas neque Evangelicæ vel Apostolicæ litteræ, neque Synodalis examinatio super his habita, visa sunt examinasse.* Et infra : *Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis, una vel geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis.* Et Epist. 2 declarat, *Unius autem operationis vel duarum esse, vel fuisse Christum, sentire vel promere satis ineptum est.* Qui sic loquitur, Apostolicam litteram procul dubio non scribit, nec ex Cathedra pronuntiat.

3. Quia ipse Honorius [2], expresse asserit se nihil circa hanc quæstionem velle definire : *Cæterum,* inquit, *quantum ad*

[1] Epist. 1. — [2] Epist. 2.

dogma Ecclesiasticum pertinet, quod tenere vel prædicare debemus, propter simplicitatem hominum, et amputandas inextricabiles quæstionum ambages, non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire... debemus. Et infra : *Auferentes ergo scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare.* Ex his luce meridiana clarius est Honorium circa hanc quæstionem nihil definiisse.

Resp. 2. Honorium nunquam fuisse hæreticum Monothelitam, imo prius dedocuisse Monothelitarum hæresim; nam expresse admisit duas operationes : *Utrasque naturas,* inquit [1], *in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus; et divinam quidem, quæ Dei sunt operantem; et humanam, quæ carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse aut convertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes, unus atque idem æquali Patri, et minor Patre, etc.* Et infra dicit: *Auferentes scandalum novellæ adinventionis... pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Christum in utrisque naturis veraciter confiteri : et pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas duas potius naturas, id est divinitatis et carnis assumptæ in una persona unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes.* Quid clarius potuit ab Honorio dici? Si enim quælibet natura habet propriam operationem; ergo sunt duæ operationes.

Dices 1. Honorius [2], ait : *Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi.* Atqui hæc propositio est hæresis Monothelitarum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Honorius fatetur unam voluntatem, per exclusionem duarum voluntatum contrariarum, sicut in nobis reperiuntur, *conc.* per exclusionem voluntatis divinæ, vel humanæ, *nego maj.* Hoc constat tum ex ratione quam

[1] Epist. 2. — [2] In epist. 1.

affert Honorius : *Quia profecto,* inquit, *a divinitate assumpta est nostri natura, non culpa : illa profecto (natura) quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata, quæ repugnaret legi mentis ejus... Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatoris.* Tum ex illa celebri S. Maximi cum Pyrrho Monothelita disputatione quam refero ;

Pyrrhus dixit : *Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte antecessori meo unam voluntatem Domini nostri Jesu-Christi esse tradidit?* Respondit Maximus : *Utra harum litterarum verior, certiorque interpretatio habenda est : ejusne scribæ, qui nomine Honorii illas scripsit, præsertim cum idem adhuc superstes sit... an Constantinopolitanorum civium, qui nihil, nisi quod ipsis libet, loquuntur?* Pyrrhus : *Verior ejus qui scripsit.* Maximus : *At is ad Imperatorem Constantinum sic de illa Epistola, jussu Joannis Pontificis scripsit : Sane quod unam Domini nostri voluntatem diximus, non est accipiendum, quasi de duabus divinæ et humanæ naturæ dictum voluntatibus, sed humanæ tantum. Cum enim Sergius scripsisset, prædicare quosdam duas esse Christi voluntates contrarias ; nos rescripsimus, Christum duas voluntates contrarias non habere.*

Inst. Honorius rejicit vocabulum geminæ operationis, Sergio dicens : *Hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes;* ergo eodem modo sentit ac Sergius.

Resp. *Dist. ant.* Rejicit vocabulum geminæ operationis, retinens rem per hoc vocabulum significatam, *conc.* rejicit vocabulum et rem per illud significatam, *nego ant.* Porro utrumque rejiciebat Sergius, unde *nego conseq.*

Dices 2. Synodus VI damnavit Honorium ut hæreticum ; nam postquam [1] definivit duces Manothelitarum anathemati submittendos, addit *Cum his simul projici a sancta Dei Catholica Ecclesia simulque et anathematizari prævidimus et Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per*

[1] Act 18

scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus mentem ejus secutus est, et impia dogmata confirmavit.

Resp. *Nego ant.* Cujus falsitas patet tum ex fragmentis Epistolarum Honorii relatis, tum ex Epist. Agathonis Papæ ad Imperatorem Constantinum, cujus hæc sunt verba : *Hæc est fidei regula, quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ a tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, quia dictum est Petro : Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Hic Dominus fidem Petri non defuturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.* Quam Epistolam communi suffragio approbarunt Patres Synodi VI, qui [1] de ea loquentes, sic alloquuntur Imperatorem : *Confessionem tibi a Deo inscriptam illa Romana antiqua civitas obtulit. Charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur.* Quomodo, quæso, Agatho ita constanter ac intrepide de suis omnibus prædecessoribus locutus fuisset? Quomodo Synodus hanc probasset Epistolam, si ipsa Honorium tanquam hæreticum damnasset?

Damnatus itaque est Honorius tanquam hæreticorum fautor, quatenus simulatione tunc temporis usus est, quando ei ex officio incumbebat erumpenti hæresi aperte obsistere: nam ut se Monothelitarum studiis accommodaret scripsit : *Ut abrasa hujusmodi novæ vocis, id est unius vel geminæ operationis appellatione, unum Christum secum in utrisque naturis divina vel humana prædicent operantem;* ut hac verborum elusione, illorum insectationem declinaret, tametsi ipsa eadem verba Catholicum sensum, sed ab ista quæstione alienum exprimerent.

Inst. 1. Synodus VI [2] dicit : *Sergio hæretico anathema. Honorio hæretico anathema.* Ergo fuit damnatus ut hæreticus.

Resp. *Dist conseq.* Ut hæreticus conniventia et favore, *cons.*

[1] Act. 18. — [2] Act. 16.

dogmate et sententia, *nego*. Hunc esse Concilii sensum declarat Agatho in sua ad Constantinum Pogonatum Epistola Synodi VI confirmatoria : *Anathematizamus*, inquit, *novi erroris inventores, id est Sergium, Theodorum, Pyrrhum* etc., *necnon et Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed profana traditione immaculatam maculari permisit*. Non ergo maculavit, sed maculari suo silentio permisit. Et in Epist. ad Episcopos Hispaniæ dicit damnatum fuisse Honorium : *Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam authoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit*. Imperator ipse in suo edicto ait : *Anathematizamus eos qui novorum dogmatum auctores et fautores sunt : Theodorum, Sergium*, etc., *atque etiam Honorium, qui fuit antiquæ Romæ Papa, horum hæreseos in omnibus fautorem et confirmatorem*. Ergo Honorius fuit damnatus, non ut hæresis auctor et doctor, sed duntaxat ut fautor; eadem autem pœna merito puniuntur et Hæretici, et Hæreticorum fautores.

Inst. 2. Act. 13 Synodi VI Honorius dicitur anathematizatus, quia *in omnibus mentem Sergii secutus est, et impia dogmata confirmavit*. Ergo damnatus est ut Hæreticus dogmate.

Resp *Dist. ant.* Mentem Sergii secutus est, etc., ejus consilium de supprimendo unius vel geminæ operationis vocem sequendo, *conc.* illius hæresim approbando, *nego ant.* Itaque in hoc uno peccavit Honorius, quod Sergii consilium sequendo de supprimenda unius vel geminæ operationis Christi voce, illius hæresi faverit, atque suo silentio ejus impia dogmata indirecte confirmaverit, quia in circumstantiis in quibus positus est, tacere erat connivere, juxta illud Cœlestini I [1] : *Timeo ne connivere sit hic tacere. Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis (Semipelagianis) taliter loqui.*

Inst. 3. ADRIANUS II, in Conc. Romano [2], dicit : *Ro-*

[1] Epist. ad Episcop. Galliæ. — [2] Cujus acta in Synodo VIII generali referuntur, act. 7.

manum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat de hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum moribus resistere : quamvis et ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferre sententiam, nisi ejusdem primæ sedis Pontificis consensus præcessisset. Ergo Honorius fuit hæreticus.

Resp. *Dist. conseq.* Fuit hæreticus favore et intempestiva dissimulatione, *conc.* sententia et doctrina, *nego*. Præterea Adrianus II non dicit Honorium fuisse hæreticum, sed *de hæresi accusatum.*

Quæres. *An omnes quæ circumferuntur Summorum Pontificum decretales Epistolæ usque ad Siricium genuinæ sint, aut suppositiliæ?*

Nota. Quæstio non vertitur de Epistolis S. Cornelii, quæ inter opera S. Cypriani exstant; neque de Epistolis Julii I quæ referuntur a S. Athanasio apologia secunda; neque de Epistolis Liberii, quæ a S. Hilario in fragmentis recensentur; nec etiam de Epistola Damasi ad Illyrici Episcopos, quam exscribit Theodoretus [1]; de illarum enim veritate nullum est inter Catholicos dubium.

Sola ergo quæstio movetur de eis Epistolis, quas ex Isidori Mercatoris collectione, collectores Canonum in numerum Decretalium retulere, nec earum a veteribus historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus, aut SS. Patribus fit ulla mentio: tales sunt S. Clementis quinque, S. Anacleti tres, S. Evaristi duæ, Alexandri tres, Sixti I duæ, Telesphori una, Hygini duæ, Pii I quatuor, Zephyrini duæ, Lucii una, Callisti I duæ, Urbani I una, Pontiani duæ, Anteri una, Fabiani tres, Cornelii duæ, Stephani I duæ, Sixti II duæ, Dionysii duæ, Felicis I tres, Eutychiani duæ, Caii una, Marci una ad S.

[1] L. 2 *Hist. eccles.*, cap. 22.

Athanasium, Julii I duæ, Liberii duæ, Felicis II duæ, Damasi plures, nimirum tres ad D. Hieronymum aliæque ad Afros de Corepiscopis, ad universos Episcopos Italiæ, ad Aurelium.

Resp. Censent communiter eruditi has Epistolas decretales esse suppositiias, magna tamen, licet non suprema per se, pollere auctoritate in his in quibus antiquis Canonibus non adversantur.

Prob. prima pars variis notis falsitatis:

1. Quia usque ad sæculi VIII finem ita latuerunt, ut nullus auctor, a quo laudentur, inveniatur.

2. Quia laudant Vulgatam S. Hieronymi versionem, quæ, defunctis illis Summis Pontificibus, excepto Damaso, fuit cusa.

3. Quia legum imperialium verba, quæ in codice Theodosiano habentur, usurpant; cum tamen ii Pontifices duobus aut tribus sæculis codicem Theodosianum præcesserint.

4. Quia singulæ propemodum manifestis erroribus scatent, v. g., Epistolæ Anacleti habent testimonia Damasi, Augustini, Gregorii Magni, Gelasii, etc., qui diu postea vixere. Agunt quoque de Patriarchis, quorum nomen primo audiri cœpit circa tempus Conc. Chalcedonensis, sæculo V celebrati.

5. Quia de controversiis illius ætatis cui tribuuntur, contra morem omnium Scriptorum et SS. Patrum, qui illis sæculis scripsere, penitus tacent.

6. Quia omnes fere Epistolæ illæ falsis temporum et Consulum notis consignantur.

7. Quia eodem scribendi stylo et charactere præditæ sunt, quamvis Pontificibus quatuor priorum sæculorum affingantur, qui certe eodem stylo, eademque latini sermonis forma uti non potuerunt: unius ergo scriptoris esse videntur.

8. Quia *Dionysius Exiguus*, qui se diligenter omnes Epis-

tolas, quas in Ecclesiæ Romanæ scriniis invenit, collegisse testatur, earum non meminit, sed initium a Siricio ducit.

9. Quia Leo IV, an. circiter 850, Epistolas decretales dili genter enumerans, initium a Siricio facit [1].

PROB. SECUNDA PARS. Nempe quod magna polleant auctoritate, quia, ut de Marca, notat : *E sententiis et verbis legum, Canonum antiquorum et SS. Patrum qui sæculo IV floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat;* eisque tota fere Gallia utitur, ut notat idem de Marca [2], unde in Concil. Rhemensi an. 992, Epistolæ Anacleti, Damasi, aliorumque Pontificum expenduntur in causa Arnulphi. Item Concilia Aquisgranense an. 836, Coloniense an. 887, Moguntinum an. 888, Metense an. 888, Triburiense an. 895, Lateranense sub Calisto II, an. 1122, illarum Epistolarum testimonium tulerunt; ex quibus constat illas Decretales non esse quidem eorum Pontificum, quibus adscribuntur, magni tamen esse momenti, magnæque auctoritatis, maxime cum, ut fatetur Gibert [3] universaliter admissæ fuerint a sæculo IX ad XVII.

Dixi, *Licet non suprema per se polleant auctoritate*, quia illarum Decretalium statuta, quæ ab Ecclesia postea recepta fuerunt, per hanc receptionem auctoritatem supremam legis adeptæ sunt. Illius generis sunt loca earum Epistolarum, quæ sunt in collectione Gregorii IX, quæ consequenter ab illo Pontifice authoritatem acceperunt, cum sua fecerit illa collectioni suæ inserendo. Talia sunt c. 1, de elect.; c. 5, de jurejur.; c. 3, de peculio Cleric.; c. 1, 2, 7, de accus.; c. 3, 4, 5, 6, 7, de simonia; c. 7, de reg. juris.

[1] Dist. 20, c. *de Libellis.* — [2] L. 3, cap. 5, § 1.
[3] Tit. 24, cap. 9, sect. 1, sub finem

CAPUT III.

DE CONCILIIS.

Nota. Cum hactenus actum fuerit de Ecclesia in se spectata et ejus capite, abs re non erit etiam in unum congregatam considerare sub eodem suo capite: igitur agemus de Conciliis in genere.

QUÆSTIO UNICA.

DE CONCILIIS IN GENERE.

Quær. 1. *Quid sit Concilium?*

Resp. Concilium, quod græce *Synodus* dicitur, definitur: *Congregatio Prælatorum Ecclesiæ legitima auctoritate convocatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiæ gravioribus*, quales sunt res fidei, morum, et disciplinæ.

Quæres 2. *Quotuplex sit Conciliorum genus?*

Resp. Quadruplex, generale scilicet, nationale, provinciale, et diœcesanum, quod communiter vocatur *Synodus*.

Concilium *generale* est congregatio ad quam omnes totius orbis Episcopi convocantur a Romano Pontifice, cui per se vel per suos legatos, præsidet. Vocatur *œcumenicum*, quando convocatione, celebratione et exitu legitimum est.

Concilium *nationale* est congregatio omnium unius regni, aut nationis Episcoporum, præsidente Patriarcha aut Primate.

Concilium *Provinciale* est congregatio Episcoporum unius Provinciæ, præsidente Archiepiscopo.

Concilium *diœcesanum* est congregatio Presbyterorum unius Diœcesis, præsidente Episcopo.

Nota. Quæ de Conciliis in genere dicenda habemus, pro ratione amicæ brevitatis, in tribus articulis coarctabimus, quorum *Primus* erit de conditionibus requisitis in Concilio generali ut sit legitimum et vere œcumenicum; *secundus* de Conciliorum auctoritate; *tertius* de Conciliorum necessitate.

ARTICULUS I.

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS IN CONCILIO GENERALI, UT SIT LEGITIMUM, ET VERE ŒCUMENICUM.

Nota. Ad perfectam Concilii generalis œcumenicitatem tria requiruntur, nimirum: legitima convocatio, legitima celebratio, legitimus exitus, tribus paragraphis examinanda.

§ I.

De legitima Conciliorum convocatione.

QUÆRES 1. *Cujus sit Concilium generale convocare?*

RESP. *Potestas ordinaria convocandi Concilia generalia Romano Pontifici competit*, ita ut, nisi Concilium ab ipso convocetur, vel ab alio de ejus consensu et auctoritate, aut saltem nisi convocatio ab alio facta, ab ipso rata habeatur, non possit esse Concilium generale et œcumenicum. Responsio est contra hæreticos modernos, qui docent convocationem Conciliorum generalium pertinere ad Imperatorem, vel generalius ad Principes sæculares.

PROB. 1. Ex Concil. Nicæno I, can. 1 [1], ubi hæc veritas expresse definita est: *Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Unde Episcopi Ægyptii ad Felicem II scripserunt: *Scimus in Nicæna magna Synodo* 318 *Episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari.*

PROB. 2. Ex definitionibus SS. PP. Marcelli [2] dicentis: *Synodum generalem* (addit Glossa) *Episcoporum, absque hujus S. Sedis auctoritate, non potestis regulariter facere.* Et Pelagii II, qui scribens ad Episcopos, qui convocaverant ad illicitam convocationem Joannis Constantinopolitani, ait [3]: *Multis denuo Apostolicis, Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur re-*

[1] Refertur a Curanza ex Epist. Julii I. — [2] Cap. Synodum, dist. 17.
[3] Cap. Multis, dist. 17.

gulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari; quapropter non Concilium, sed vestrum Conciliabulum cassatur, et quidquid in eo actum est irritum habetur et vacuum. His accedit perpetuus Ecclesiæ usus et praxis.

Prob. 3. *Ratione in Scripturis fundata :* Illi soli competit potestas ordinaria convocandi Concilia, qui solus est universalis Ecclesiæ caput, Pastor et princeps; atqui solus Roman. Pontifex est talis. Ergo, etc. *Maj. est certa*, nam illius est convocare Concilia generalia, qui ita potest convocare omnes totius orbis Episcopos, ut illis interesse debeant, secluso legitimo impedimento; atqui solus Romanus Pontifex id potest, qui solus habet supremam in omnes totius orbis Episcopos auctoritatem spiritualem. Imperatores vero vel Reges non habent nisi auctoritatem mere civilem in Episcopos sibi subditos; ergo. *Min. non minus constat ;* soli enim Petro, non Imperatori vel Regibus, dixit Christus [1]: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Ergo.

Objicies 1. Priora Concilia generalia, non a Rom. Pontificibus, sed ab Imperatoribus fuerunt convocata, et tamen habentur ut legitima et œcumenica. Ergo, etc.

Resp. *Dist. antec.* Fuerunt convocata ab Imperatoribus proprio suo nomine et auctoritate, *nego ant.* auctoritate et consensu Romanor. Pontificum a quibus erant rogati, *conc. ant.* Tali porro œconomia usi sunt Rom. Pontifices, quia sine Imperatorum auxilio non potuissent Episcopos congregare, 1. quia legibus Imperii cautum erat, metu seditionum, ne citra Imperatoris auctoritatem ullus fieri posset hominum conventus; 2. quia Patres ad Concilium concurrentes indigebant Imperatorum auxilio, tam pro securitate itineris, quam pro sumptibus necessariis, quos Imperatores Episcopis, utpote pauperibus, debebant suppeditare.

Inst. Atqui Imperatores priora Concilia convocarunt auctoritate propria. Ergo.

Prob. *Ant.* Concil. Nicænum I fuit convocatum a Cons-

[1] Joann. 21.

tantino Magno, de quo dicit Rufin. [1]: *Ille apud urbem Nicæ*
nam Episcopale Concilium convocat; Constantinopolitanum I
a Theodosio Seniore [2]; Ephesinum, a Theodosio juniore [3]
et Chalcedonense, a Marciano, ut testatur ipsa Synodu
actione 1 : *Nomine Domini nostri Jesu Christi in Chalcedoni*
civitate facta est Synodus ex decreto piissimorum Imperatorum
Valentiniani et Marciani. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Namque 1. Concil. Nicænum I convocatum
est a S. Sylvestro, ut testantur Patres illius Concilii, hi
verbis : *Temporibus S. Sylvestri factum est magnum Concil*
in Nicæa Bithiniæ, et congregati sunt regulariter ejusdem Syl
vestri vocatione in idipsum 318 *Episcopi Catholici*. Quam
veritatem ut everterent Hæretici, mutilarunt textum Rufini
qui sic est : *Ille ex sententia sacerdotum et Sylvestri*, etc.

2. Constantinop. I fuit convocatum a Theodosio seniore
annuente Damaso Papa, ut patet ex Epistola Patrum illius
Synodi ad Damasum [4]. *Mandato litterarum a superiore anno*
ad sanctiss. Imperatorem missarum, ad iter duntaxat Constanti
nopolim usque faciendum, nos præparavimus.

3. Concil. Ephes. fuit convocatum a Theodosio juniore
de consensu Cœlestini Papæ; id constat ex ipso Concilio [5]
dicente in relatione missa ad Imperatorem : *Antequam hæc*
S. Synodus conveniret, Cœlestinus magnæ Romæ Episcopus per
litteras suas indicaverat, Cyrilloque ut suas vices obiret, com-
miserat.

4. Concil. Chalced. fuisse a S. Leone convocatum declarat ipse Marcianus Imperator Epist. ad eum scripta [6], in
qua ait : *Omni impio errore sublato per celebrandam Synodum te*
authore, etc., cui rescribens S. Leo, ait : *Litteras dedimus ad*
fratres et Coepiscopos nostros, iisque Conc. generale indiximus.

Objicies 2. Possunt dari casus, in quibus convocatio

[1] Libro 10 *Histor.*, cap. 1. — [2] Socrat., libro 5, *Histor.*, cap. 8. —
[3] Evagrius, lib. 6, *Histor.*, cap. 3. — [4] Refertur a Theodoreto, libro 5,
cap. 9. — [5] Act. 3 — [6] Tomo 2, Concil. inter præambul. ad Concil.
Chalceden.

Concilii generalis sit necessaria, v. g. 1. si plures de Papatu contendant, nec ullus velit cedere, nec Concilium convocare. 2. Si Papa, ut privata persona, sit hæreticus, nec monitus velit ad saniorem mentem redire, nec Concilium convocare; atqui, in illis casibus, alii quam Summus Pontifex possunt convocare Concilium generale; ergo non soli Romano Pontifici competit potestas convocandi Concilia generalia.

Resp. *Dist. conseq.* Non soli R. P. competit potestas ordinaria, etc. *nego conseq.* extraordinaria, *conc. conseq.* Porro casus allegati sunt extraordinarii, in quibus fatemur posse, absque authoritate vel consensu Papæ congregari Concilium, vel per Cardinales, qui, sede vacante, Romanam Ecclesiam moderantur, vel per Episcopos motu proprio in unum convenientes, et ideo dixi in prop. *Potestas ordinaria.*

Quæres 2. *Quinam sunt ad Concilia vocandi ?*

Resp. *De jure soli Episcopi ad Concilia sunt vocandi, illique soli in eis habent jus suffragii decisivi tanquam judices fidei.* Est contra Lutherum dicentem omnes eruditos, sive Clericos, sive Laicos, ad Concilia convocandos, ac in eis omnes habere jus suffragii decisivi.

Prob. Illi de jure ad Concilia sunt vocandi, quorum est definire quæ credenda sunt et agenda; atqui solorum Episcoporum est ista definire. Ergo, etc. *Prob. minor.* Illorum est definire quæ credenda sunt et agenda, ad quos pertinet munus pascendi et regendi Ecclesiam Dei; atqui hoc pertinet ad solos Episcopos, quibus solis dictum est : *Pascite qui in vobis est gregem Dei* [1]; et, *attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* [2]. Ergo, etc.

Confirm. 1. Ex Traditione Patrum unanimi consensu

[1] 1 Petri 5. — [2] Actor. 20.

centium Concilia esse *Conventus Episcoporum* [1]; *Episcoporum esse in Conciliis decernere* [2].

Confirm. 2. Ex Concil. generalibus hactenus celebratis, quibus soli Episcopi tanquam judices reperiuntur subscripsisse, his verbis : *Ego N. Episcopus definiens subscripsi.* Unde Ægyptii in Conc. Chalced. dixerunt : *Synodus Episcoporum est, non Clericorum : superfluos foras mittite... Imperator Episcopos vocavit.*

Dixi in resp. *de jure,* quia obtinuit consuetudo ut ad Concilia vocentur, 1. Cardinales, Generales Ordinum, et aliqui Abbates, quibus, ex privilegio Summi Pontificis, conceditur suffragium decisivum; ut factum est in Conciliis Florentino, Lateranensi et Tridentino; 2. Theologi et Jurisperiti, sed tantum ut consultores; unde signant : *Ego N. consentiens scripsi;* 3. Imperator, Reges, Principes, non quidem ut fidei et morum judices, cum nullam habeant potestatem Ecclesiasticam, sed ut Concilii defensores, et decretorum quæ in illo fiunt, testes, ut ita libentius ea executioni mandari curent, et transgressores pœnis coerceant; unde non definiendo, ut Episcopi, sed præcise consentiendo subscripserunt.

Objectiones.

Objicies 1. In Conc. Apostolorum [4] dicitur : *Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc;* atqui per ly *seniores,* intelliguntur ætate provectiores qui erant Laici, etc.

Resp. 1. *Nego min.* Nam per ly *seniores,* intelligi debent *Presbyteri,* sic enim vertunt translatio ex Syriaco, et translatio Erasmi Roterodami permissa. Et quamvis non sit certum, an Presbyteri illi fuerint sacerdotes simplices, an Episcopi, probabile tamen est quod fuerint Episcopi, quomodo ipse D. Petrus [5] per hanc vocem, *Presbyteri,* intelligit Episcopos, dicens : *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior,* etc.

Resp. 2. Supposito quod per ly *seniores,* intelligantur

[1] Cap. Synodum dist. 17. — [2] Cyprian. Epistol. 73 ad Jubajan., Ambr. pist 3 et alii — [3] Petri, c. ult.,

simplices sacerdotes, *dist.* convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc eodem modo, *nego;* diversimode, *conc.* convenerunt enim Apostoli ut judices ad definiendum; Presbyteri vero, ut consultores ad discutiendam controversiam, juxta illud : *cum magna disquisitio fieret,* sed nullo modo apparet quod Laici fuerint vocati.

INST. 1. Dicitur [1] : *Placuit Apostolis et senioribus, cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis et mittere Antiochiam.* Atqui per illa verba, *Cum omni Ecclesia,* intelligitur multitudo fidelium qui erant in Concilio. Ergo.

RESP. *Dist. min.* Per ly *Cum omni Ecclesia,* intelligitur multitudo fidelium qui erant in Concilio, tanquam motu proprio præsentes, ut definitioni acquiescerent, *conc.* tanquam judices et convocati, *nego min.* Nam illa missio facta est a solis Apostolis et Episcopis, qui soli etiam scripserunt Epistolam quæ sic incipit *Apostoli et Seniores fratres*, per quam etiam innuitur, per ly *seniores,* Episcopos fuisse designatos, qui soli sunt Apostolorum fratres, cum simplices sacerdotes sint eorum filii.

INST. 2. Concilium universale universam repræsentat Ecclesiam; sed Ecclesia est omnium fidelium cœtus; ergo ut Conc. sit universale, debet moraliter convenire fidelium multitudo.

RESP. 1. *Dist. maj.* Concil. universale universam repræsentat Ecclesiam, per primos Ecclesiæ pastores, *conc. maj.* per alios fideles, licet doctos, *nego maj.* illos enim, non hos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.*

RESP. 2. *Nego conseq.* Sic enim deberet concludere Lutherus; ergo ut Conc. sit generale, debet repræsentare omnem fidelium cœtum; porro repræsentatur per corpus Pastorum, nam quilibet Episcopus personam gerit suæ Ecclesiæ, quo sensu D. Cyprian. [2]. Dixit : *Ecclesia est in Episcopo.* Unde D. Aug. [3] asserit Concil. plenarium, in quo soli sederunt Episcopi, esse totius orbis consensum.

[1] Act. 15, vers. 21. — [2] Ep. 69. — [3] Lib. 1, *De Bapt.*, c. 18.

Objicies 2. Causa communis ab omnibus tractanda est, juxta illud [1]: *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Atqui causa fidei communis est omnibus fidelibus. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quando eodem modo ad omnes pertinet, *conc. maj.* Porro causa fidei pertinet ad omnes, sed diverso modo: nam pertinet ad Episcopos ut judices; ad alios fideles, ut discipulos; Episcoporum ergo est definire et docere; fidelium vero definientes audire, et res ab eis definitas credere.

Inst. Quidam Laici doctiores sunt pluribus Episcoporum; ergo in Conciliis habere possunt suffragium.

Resp. *Dist. conseq.* Habere possunt suffragium consultativum et doctrinale, *conc.* suffragium decisivum, *nego conseq.* nam ut quis in Conciliis suffragium ferat decisivum, non sufficit ut sit doctus, sed insuper requiritur ut habeat jurisdictionem, per quam solam fidelibus imponi potest obligatio rebus definitis obsequium præstandi; porro Laici nullam habent in Ecclesia jurisdictionem.

§ II.

De legitima celebratione Conciliorum.

Quæres 1. *An ad Concil. generale requiratur, ut omnes omnino totius orbis Episcopi conveniant ad locum Concilii?*

Resp. *Nego.* Nam juxta Ecclesiæ doctrinam et declarationem Canonum [2], plura habita sunt Concilia generalia; at nullum reperitur cui omnes totius orbis Episcopi interfuerint. Ergo.

Quæres 2. *Quis ergo numerus Episcoporum requiritur ut Concilium censeatur et sit generale?*

Resp. Non requiritur certus et determinatus Episcoporum numerus: nam in Conciliis quæ omnes agnoscunt pro generalibus, modo plures, modo pauciores Episcopi interfuisse reperiuntur, ut ex infra dicendis patebit.

Requiritur ergo, et sufficit; 1. ut convocatio sit generalis,

[1] Regul. 19, juris in 6. — [2] Can. Sancta, dist. 16.

ita ut omnibus majoribus Ecclesiæ Provinciis innotescat.... 2. Ut nullus Episcopus excludatur, nisi sit excommunicatus... 3. Ut ex majori parte Provinciarum Ecclesiæ, aliqui adveniant, qui cæterorum vota et vices suppleant; ita tamen, ut si Concilium celebretur in Oriente, sufficiat multos ex Provinciis Orientis convenire, et aliquos ex Provinciis Occidentis; si autem celebretur in Occidente, sufficiat si multi ex Provinciis Occidentis adveniant, et aliqui ex Oriente, qui cæteros repræsentent.

Dices : Glossa [1] ait : *Universale Concilium est quod a Papa vel ejus Legato cum omnibus Episcopis statuitur :* ergo ad hoc ut Concil. sit universale, requiritur ut omnes Episcopi conveniant.

Resp. *Dist. conseq.* Requiritur ut omnes conveniant repræsentative, *conc. conseq.* personaliter, *nego.* Qui autem adsunt Episcopi personaliter absentium personas repræsentant.

Quæres 3. *Cujus sit præsidere Concilio generali?*

Resp. *Soli Rom. Pontifici competit jus Concilio generali præsidendi, vel per se, vel per suos Legatos.* Est contra Luther. et Calvinum, qui docent hoc jus pertinere ad Imperatorem.

Prob. Ille solus, ex divina institutione, habet jus præsidendi Conciliis, qui solus ex eadem institutione primatum obtinet in universa Ecclesia; atqui solus S. Pontifex est talis. Ergo.

Confirm. ex perpetua Conciliorum praxi . namque

1. In Conc. Apostolorum [2], Petrus præsedit; nam *cum magna disquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis,* etc., ad quæ verba Glossa sic habet : *Præ omnibus quasi Princeps loquitur.*

2. In Conc. Nicæno I præsedit S. Sylvester per suos legatos Osium Cordubensem Episcopum, Vitum et Vincentium Presbyteros, qui primi omnium etiam ante Patriarchas sederunt.

[1] dist. 17. — [2] Act. 15.

3. In Concilio Constantinop. I, quidem non præfuit Damasus, nec per se, nec per suos legatos, quia tunc temporis aliud Romæ Concilium Episcoporum Occidentis in eadem causa celebrabat; sed observandum est Concilium Constantinopol., cum celebrabatur, non fuisse generale, sed solius Orientis Ecclesiæ Concilium, nec postea œcumenicum evasisse, nisi quia Damasus illius decreta approbavit, et ei cum suo Occidente Concilio, cui per se præsederat, accessit.

4. In Concilio Ephesino, Cœlestinus I per S. Cyrillum Alexandriæ Patriarcham præfuit, ut constat ex omnibus historicis, et ex his hujus Synodi verbis : *Cyrillo Alexandrino præsidente et locum tenente sanctissimi Archiepiscopi Romanæ Ecclesiæ Cœlestini.*

5. In Concilio Chalcedonensi S. Leo præsedit per suos legatos; id constat ex Patribus Concilii in Epistola ad Leonem Summum Pontificem, in qua sic eum alloquuntur : *Tu quidem, sicut caput membris, præeras in his qui tuas vices obibant, Imperatores vero ad ornandum decentissime præsidebant.* Et ex subscriptoribus quæ sic leguntur : *Ego Paschasinus, vice Domini mei Papæ Leonis Synodo præsidens subscripsi.* Unde Marcianus Imperator, actione 6 Concilii, dicit : *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus.*

6. In Concil. Constantinop. II, præsedit Vigilius Papa per Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum, qui sic ad Vigilium scripsit : *Petimus, præsidente nobis vestra Beatitudine, de tribus Capitulis quæri et conferri;* cui rescripsit Vigilius : *Annuimus, ut de tribus Capitulis, facto regulari Conventu cum unitis fratribus, collationem habeamus.* Et Zonaras, in vita Justiniani, scribit : *Sub hoc*, Eutychio, *Concilium V est coactum* 165 *Patrum, quorum princeps fuit Vigilius Papa Romanus.*

7. In Concilio Constantinop. III præfuit Agatho per suos legatos Theodorum et Gregorium Presbyteros, et Joannem

Diaconum, qui semper ante Episcopos nominantur in Actis illius Concilii, cui primi subscripserunt ante Episcopos et Imperatorem, qui ultimus subscripsit, non definiens, sed definitioni latæ *consentiens*. Unde Patres illius Concilii, in sermone ad Imperatorem qui aderat, dixerunt, *Petrus per Agathonem locutus est.*

8. In Concilio Nicæno II, præsedit Adrianus I, per suos legatos, Petrum Archipresbyterum et alterum Petrum Presbyterum S. Sabbæ Abbatem; nam hi in omnibus actionibus primi nominantur, et definitionibus subscribunt ante omnes Patriarchas, sic, *Petrus, vices agens Adriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.*

9. In Concil. Constantinop. IV, præsedit Adrianus II, per suos legatos Donatum et Stephanum Episcopos, et Macerium Diaconum, qui primi subscripserunt sub hac forma : *Ego Donatus, Dei gratia Episcopus Ostiensis, locum obtinens Domini mei Adriani Pontif. et universalis Papæ, huic sanctæ et universali Synodo præsidens... manu propria subscripsi.* Postea Imperator subscripsit sub hac forma : *Sanctam hanc et universalem Synodum suscipientes... subscribimus manu propria.*

10. Cæteris omnibus Conciliis generalibus, Romanos Pontifices per se, vel per suos legatos, præsedisse, constat ex eorum Actis, fatenturque Hæretici.

Objectiones.

Objicies 1. Constantinus Magnus Conc. Nicæno I præsedit. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam Eusebius [1] testatur Constantinum, postquam orationem suam ad Episcopos habuit, *sermonem omnem deinceps Concilii Præsidibus concessisse;* ergo non ipse fuit præses Concilii.

Objicies 2. Constantinus Pogonatus præsedit Concilio VI, Constantinopol. III; nam initio actionum ejus hæc de eo

[1] L. 3 *de Vita Constantini*, cap. 13.

leguntur : *Præsidente eodem piissimo et Deo dilecto Magno Imperatore Constantino*. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Constantinus præsedit Concilio VI præsidentia honoraria, juxta quam ille dicitur præsidere qui primo loco sedet, *concedo ant.* præsidentia auctoritativa, juxta quam ille dicitur præsidere, qui ex auctoritate primus loquitur primusque definit ac subscribit, *nego ant.* Equidem quandoque Imperatoribus concessa est honoraria præsidentia, ut Concilium auctoritate sua tuerentur, pacemque in eo conciliarent, nunquam vero ulli Imperatori concessa est præsidentia auctoritativa. Unde non alium sibi in Concilio titulum vindicavit Constantinus, quam defensoris et executoris eorum quæ ab Episcopis statuta fuissent; ait enim in sua ad Gregorium Papam Epistola : *Neque cum illis* (nempe Episcopis) *tanquam Imperator sedebo aut imperiose loquar, sed tanquam unus ex illis, et prout statuerint Pontifices, ego exequar.*

Inst. 1. Ille præsedit præsidentia auctoritativa, qui habet jus confirmandi decreta Concilii; atqui Imperator habet tale jus. Ergo, etc.

Prob. min. Ex Patribus Concilii Constantinopol. I, qui a Theodosio Seniore postulant rerum in Concilio gestarum confirmationem : *Cupimus a te*, inquiunt, *piisime Imperator, tuo diplomate Synodi sententiam confirmari*, etc. Ergo Imperator habet jus confirmandi decreta Conciliorum.

Resp. *Dist. ant.* Postulant ab Imperatore rerum gestarum confirmationem, qua Acta Concilii intrinsecam auctoritatem accipiant, *nego ant.* ut executioni mandetur, et auctoritate Cæsarea definitionibus rebelles coerceantur, *conc. ant.* Igitur per eam confirmationem Imperatores non exhibuerunt se judices rerum ecclesiasticarum, sed executores decretorum, quæ a Conciliis sancita fuerant.

Inst. 2. Conc. Chalced. aliqui judices non a Rom. Pontifice, sed ab Imperatore, fuerunt constituti. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Aliqui judices ab Imperatore consaluti

fuerunt ad definiendum et judicandum auctoritative, *nego ant.* ad impediendum fraudes, tumultus et violentias, *conc. ant.* quoniam in Conciliabulo Ephesino Dioscorus milites introduxerat, sicque varios Episcopos vi ad subscribendum coegerat, quando deinceps quid simile poterat timeri, adhibiti fuerunt laici ad hoc avertendum, et pacem in Synodo conciliandam : hoc clarum est ex iis quæ constituti judices in Conc. Chalced. actione 5, dixerunt : *Dignetur S. Synodus fidem continens, cum taciturnitate audire, quæ decreta sunt* (non dicunt a nobis, sed) *in præsentia nostra, a congregatis SS. Patribus, qui et definitionem fidei interpretati sunt.*

§ III.

De legitimo exitu Conciliorum.

QUÆRES. *Quid requiritur ad legitimum Conc. exitum?*

RESP. Requiruntur quatuor... 1. Ut Episcopi convocati habeant suffragiorum libertatem, nec metu, violentia, ærumnis, comminationibus vexentur : defectu hujus conditionis Concil. Ephesinum II Latrocinii nomine solet infamari.

2. Requiritur ut nullus a Concilio excludatur, qui audiri voluerit, atque Hæreticis ipsis detur licentia opiniones suas proponendi ac tuendi, ut constat ex Concilio Jerosolymitano, Act. 13, quod formam et exemplar præbuit cæteris subinde celebrandis Conciliis, ad quod missi sunt plures, tum ex parte Catholicorum, tum ex parte Cerinthi et aliorum Judaizantium, qui de controversia in causa legalium inter se disceptarent, nam, *statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam ex aliis*,id est, ex eis, qui *docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis salvari.*

3. Requiritur ut adhibeatur humana diligentia in inquirenda veritate, quomodo in Concil. Apostolorum, Act. 15, legimus factum : *cum autem magna conquisitio fieret;* ratio

est, quia Episcopis in Concilio congregatis non fit nova revelatio, sed debent in purissimis Scripturæ et traditionis fontibus detegere quæ habent fidelibus proponenda; atqui ad detegendas et illustrandas veritates in Scriptura et traditione, quandoque subobscure contentas, requiruntur ordinaria media industriæ, studii, collationum, disputationum. Ergo.

4. Requiritur ut Concilium approbetur et confirmetur a Romano Pontifice, quod ita necessarium est, ut ea sola Concilia habeantur œcumenica, quæ sunt ab eo approbata et confirmata; illa vero, quæ a Summo Pontifice non fuerunt approbata, ab universa Ecclesia pro illegitimis habeantur: juxta cap. *Significasti*, de elect. ubi Paschalis Papa dicit: *Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem robur accepisse.*

Hinc Concilia semper solita fuerunt suorum decretorum confirmationem petere a Summo Pontifice; sic Conc. Nicæni I Patres subscripserunt S. Sylvestro: *Quidquid constituimus in Concilio Nicæno, precamur, vestri oris consortio firmetur;* quibus respondit Summus Pontifex: *Confirmo... meumque Chirographum offero in vestro S. Concilio una parem dare consensum.* Sic Patres Chalcedonenses S. Leoni scripserunt: *Omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad comprobationem nostræ sinceritatis, et ad eorum quæ a nobis gesta sunt confirmationem, firmitatem et consonantiam.* Similiter factum est in aliis Conciliis, ut testatur Leo X, sess. 11 Conc. Lateranensis: *Consueverunt antiquorum Conciliorum Patres,* inquit, *pro eorum quæ in suis Conciliis gesta fuerunt corroboratione, a Rom. Pontifice subscriptionem approbationemque humiliter petere et obtinere, prout in Nicæna, et Ephesina, et Chalcedonensi, et VI Constantinopolitana, et VII eadem Nicæna... earumque gestis manifeste colligitur, quod etiam novissime Constantienses Patres fecisse constat.* Ita etiam docet Mauclerus, Doctor Parisiensis [1], his

[1] L. 3 *de Monarch. Eccles.*, p. 2, c. 10, fol. 455.

verbis: *Neque satis est quod Concilia generalia ab omni erroris labe immunia sint et libera, ut a Romani Pontificis authoritate congregentur; nisi ab eo congregata confirmentur, veræ fidei claritatem in se retinere, et infallibilis veritatis decus sibi firmiter inviolabile servare non valebunt.* Quam doctrinam probarunt octo Doctores Sorbonici.

ARTICULUS II.

DE CONCILIORUM AUCTORITATE.

CONCLUSIO I.

Concilium perfecte œcumenicum a Rom. Pontifice approbatum et confirmatum, est omnino infallibile in fidei et morum controversiis definiendis. Est de fide contra Lutheranos et Calvinistas.

Prob. 1. Ecclesia, quæ est *columna et firmamentum veritatis*, est infallibilis in fidei et morum controversiis definiendis; atqui Concilium perfecte œcumenicum Ecclesiam universam repræsentat, ejusque omnem auctoritatem habet. Ergo. Hinc D. Aug. [1] asserit *plenarii Concilii sententiam totius Ecclesiæ consensionem esse.* Et Martinus V in Concilio Constantiensi de hæresi suspectos jubet interrogari, *utrum credant quod Concilium generale universam Ecclesiam repræsentet.* Ergo.

Prob. 2. Definitioni Spiritus Sancti impossibile est subesse falsum; atqui definitio Concilii perfecte œcumenici est ipsamet Spiritus Sancti definitio, juxta illud in Concil. Jerosolymitano assertum: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Ergo. Jure itaque S. Greg. Magnus [2] ait: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor.*

Confirm. Ex perpetua traditione et sensu Ecclesiæ, quæ Conciliorum œcumenicorum definitiones ut irreformabiles

[1] L. 1, *de Bapt. contra Donat.*, cap. 18. — [2] Epist. 15 ad Joann. Episc. Antiochen.

et infallibiles semper venerata est, quæque pro hæreticis habuit quotquot eorum definitionibus contradixerunt.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Illa Concilia non sunt infallibilia, ex quibus firmum non potest erui veritatis argumentum; atqui, etc.

Prob. min. Concilium Nicænum I est perfecte œcumenicum; atqui ex illo non potest erui firmum veritatis argumentum. Ergo.

Prob. min. Ex D. August. qui ait [1]: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam prædicaturus proferre Concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris.* Ergo.

RESP. *Nego conseq.* Non enim sic loquitur D. Doctor, quod ex Conc. Nicæno non potuerit argumentum desumere omnino certum, cum ibidem dicat : *Hoc est illud omoousion, quod in Conc. Nicæno adversus Arianos a Catholicis Patribus veritatis auctoritate et auctoritatis veritate firmatum est.* Sed sic loquitur quia frustra laborasset, si auctoritate Concilii Nicæni premere voluisset Maximinum, qui illud Concilium rejiciebat ut illegitimum, et Conciliabulum Ariminense admittebat ut legitimum. Cum ergo Augustino tunc non esset opportunum demonstrare legitimum fuisse Concilium Nicænum, Ariminense vero illegitimum, prudenter judicavit supersedendum esse actis utriusque Concilii, ut controversiam Sacræ Scripturæ momentis prosequeretur Arianumque errorem confoderet.

INST. D. Aug. [2] asserit *Plenaria Concilia priora a posterioribus emendari posse :* atqui quod potest emendari est errori obnoxium. Ergo.

RESP. *Dist. maj.* Emendari possunt Concilia priora per posteriora, in iis quæ sunt fidei, *nego;* fides enim essentialiter est invariabilis : in iis quæ sunt facti aut disciplinæ, quæ rerum experimento cognoscuntur, *conc. ant.* Unde D. Aug. addit : *Cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat :* quod certe ad fidei

[1] Lib. 3 Contra Maximum. — [2] L. 2 *de Bapt.*, cap. 5.

et morum veritatem non spectat, quæ non rerum experimento, sed verbo Dei scripto et tradito innotescunt.

OBJICIES 2. D. Gregorius Nazianzenus [1] dicit: *Hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum habuerit.* Ergo.

RESP. *Nego conseq.* Nec ibi D. Greg. de Conciliis legitimis loquitur, unicum enim suo tempore erat celebratum, nempe Nicænum, quod magnis commendat laudibus, Orat. 32, dicens: *Nicænæ Synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes amplectimur; hunc enim tractatum scimus contra omnes hæreses invicta veritate oppositum.* Et ipse Concilio Constantinopolitano I interfuit, in quo orationem habuit; loquitur ergo de Conciliis illegitimis sub Constantio Imperatore Ariano celebratis, in quibus ab Arianis non fuit relicta suffragiorum libertas: talia fuere Concil. Ariminense, Mediolanense, et plura Concilia particularia, quæ Gregor. Nazianzeni tempore apud Orientales, contradicentibus Episcopis Occidentalibus, habita sunt. Quare a Procopio ad aliquod non absimile Concilium vocatus, seipsum excusat, atque obtendit tum infirmam suam valetudinem, tum infelicem exitum Conciliorum particularium, a quibus factio Ariana prævaluerat.

OBJICIES 3. Multa Concilia generalia, pro legitimis ab omnibus recepta, erraverunt in fide. Ergo.

Prob. ant. Namque 1. Concilium Nicænum I, can. 22, damnat eos qui ad militiam redeunt. Et, can. 29, statuit baptizatos ab Hæreticis iterum debere baptizari.

2. Concil. Constantinopolitanum II a pluribus, iisque magnis, Ecclesiis (præsertim Gallicana) longo tempore non fuit receptum, quæ tamen ob id universæ Ecclesiæ communione privatæ non fuerunt; ergo tunc temporis persuasum non fuit Concilia generalia, etiam legitima, esse infallibilia.

[1] Epist. 55 ad Procop.

3. Concilium Nicænum II, definivit eumdem cultum, eamdemque adorationem imaginibus tribuendam ac SS. Trinitati; atqui hoc est hæreticum.

4. Canones Trullani continent varios errores; nam [1] recipiuntur Canones 85 Apostolorum, quos Gelasius [2] declaravit apocryphos; item recipitur Concilium sub Cypriano habitum de rebaptizandis hæreticis; atqui Canones illi in Concilio VI œcumenico fuerunt editi. Ergo.

5. Concilium Tridentinum nec ab Ecclesia Græca, nec a variis Occidentis Ecclesiis, maxime Gallicana, est receptum; ergo Concilia œcumenica non censentur infallibilis auctoritatis : alias nullus posset, absque hæreseos nota, eorum definitionibus refragari.

Resp. *Nego ant.* Et quidem *ad primum* dico, quod Concilium Nicænum primum 1. non damnavit indistincte eos qui militiæ sæculari nomen dant, sed eos solummodo qui, cum deposuissent cingulum militiæ in signum abdicationis idololatriæ, redibant ad militiam, quod erat signum reversionis ad idololatriam, de quibus ideo dicit Concilium, quod *ad proprium vomitum sunt relapsi*... 2. Non docuit universim quod baptizati ab hæreticis sunt rebaptizandi; sed hoc tantum dicit de Paulianistis, qui invalide baptizabant : *Quia*, inquit Innoc. I [3], *Paulianistæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti minime baptizabant.*

Resp. *ad* 2. *Nego conseq.* Non enim illæ Ecclesiæ V resistere Concilio, quod dubitaverint de infallibili auctoritate Concilii perfecte œcumenici, sed quod, errore facti, crediderint illud Concilium non fuisse œcumenicum, cujus œcumenicitas, ut fuit a majori parte Ecclesiæ comperta, a nullo, absque hæreseos nota, rejici potuerunt ejus decreta.

Resp. *ad* 3. *Nego maj.* Nam Patres Nicæni decreverunt sacris Imaginibus exhibendum esse duntaxat cultum rela-

[1] Can. 3. — [2] Cap. *Sancta Romana*, dist. 25. — [3] Epist. 22 de Patribus Nicænis.

tivum: *Typum Crucis adorantes*, aiunt actione 4, *non naturam ligni adoramus... sed per hoc eum, qui in illo crucifixus est, salutamus et adoramus.*

Resp. *ad 4. Nego. min.* Nam Concilia V et VI nullos Canones ediderunt, ut Græci ad Justinianum Imperatorem scripserunt [1] his verbis : *Quoniam sanctæ et universales Synodi V sub Justiniano Augusto, VI sub Constantino patre tuo Augusto de mysteriis fidei plenissime disputantes, Canones non fecerunt, sicut cæteræ quatuor universales Synodi; propterea nos convenientes in hanc imperialem urbem sacros Canones conscripsimus.* Illi ergo Canones conditi fuerunt a solis Orientalibus, qui post absolutam VI Synodum, ex solius Justiniani convocatione convenerunt in Palatium, quod *Trullus* vocabatur, ibique Concilium habuerunt, quod *Quinisextum* dicitur, atque sub prætextu supplendi Synodos V et VI, Canones 102 ediderunt; sed quoniam Roman. Pontifex, neque per se, neque per suos legatos adfuit, nec istos Canones unquam approbare voluit, ideo illi Canones non habent auctoritatem Concilii generalis.

Inst. 1. Adrianus Papa approbavit Canones Trullanos; *Sextam Synodum*, ait [2], *recipio cum omnibus canonibus suis.* Ergo pertinent ad VI Synodum et sunt approbati.

Resp. *Nego ant.* Nam licet illa verba, in Epistola Adriani ad Tharasium Constantinopolitanum reperiantur, ea tamen referri non ut sua sed ut verba Tharasii, inserta in Epistola Synodica quam ad Adrianum misit; fallitur ergo Gratianus, cum illa tribuit Adriano.

Inst. 2. Adrianus, *in sua ad Tharasium Epistola*, citat Canonem 82 quem approbat, et in quo cultus Imaginum fuit assertus; ergo illi Canones sunt approbati.

Resp. *Nego conseq.* Nam Adrianus non ideo citat illum Canonem, quod aliquid auctoritatis habeat ex Concil. Trullano, sed quod contineat veritatem ab Ecclesia Romana ap-

[1] Cap. Quoniam, dist. 2. — [2] C. Sextam, dist. 17.

probatam : porro veritas, ubicumque reperiatur, recipienda est.

Resp. *ad* 5. Concil. Tridentinum, in fidei morumque decretis, ab omnibus Ecclesiis orthodoxis fuisse admissum, licet non sit admissum ab Ecclesia Gallicana in his disciplinæ particularis capitibus, quæ aut temporalem administrationem spectant, aut antiquas suas consuetudines lædunt, idque ex SS. Pontificum assensu saltem tacito, ut asserit Paulus a Lugo hic.

Objicies 4. Concilia generalia non possunt esse fidei et morum nostrorum regula. Ergo.

Prob. ant. Ut Concilia generalia sint fidei et morum regula, deberet nobis certo constare ipsa esse perfecte œcumenica ; atque id nobis constare non potest. Ergo.

Resp. *Nego min.* Et dico œcumenicitatem Concilii nobis constare: 1. Ex fide humana certissima, nam contemporanei scriptores id unanimiter testantur: 2. Ex judicio præsentis Ecclesiæ, quæ, cum sit *columna et firmamentum veritatis*, est infallibilis in agnoscenda fidei suæ regula, et qualibet definitione infallibili.

Quæres : *Quibus regulis discerni possit quænam in Conciliis ad fidem Catholicam pertineant ?*

Resp. Quatuor regulæ a Cano [1] indicantur :

Prima, *si contrarium asserentes pro Hæreticis judicentur.*

Secunda, *cum in hanc formam Synodus decreta præscribit : si quis hoc vel illud senserit, anathema sit.*

Tertia, *si in eos qui contradixerint, excommunicatio ipso jure feratur.*

Quarta, *si quidquam expresse et proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei Catholicæ accipiendum dicatur, vel aliis similibus verbis aliquid esse Evangelio doctrinæve Apostolorum contrarium dicatur; dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo et firmo decreto.*

[1] L. 5, de Locis, c. 4.

Resolves Disputationes, quæ præmittuntur decretis, sicut et omnes rationes quæ explicationis et expositionis gratia inducuntur, non pertinere ad fidem, hoc est, non esse fidei Catholicæ judicia.

CONCLUSIO II.

Concilia particularia, Nationalia nempe et Provincialia, in definiendis fidei et morum controversiis, non sunt de se infallibilia; si tamen Summi Pontificis approbatione et assensu sint firmata, sunt infallibilis fidei nostræ et morum regula.

Prima pars certa est ex facto Concilii Carthaginensis, in quo Episcopi, sub D. Cypriano congregati, erronee definierunt Baptismum ab Hæreticis datum esse invalidum.

Confirm. Ex Innocent. I, qui Episcopis Concilii Milevitani his verbis rescripsit [1] : *Quoniam fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est sui nominis et honoris auctorem referre debere (velut nunc retulit vestra dilectio) quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Quod non posset subsistere, si penes Concilia particularia esset dogmata fidei certo et infallibiliter determinare.

Prob. secunda pars. Illa decreta sunt infallibilia, quæ ab omnibus Catholicis recipiuntur; atqui decreta Conciliorum particularium, approbatione et assensu Summi Pontificis firmata, ab omnibus Catholicis recipiuntur tanquam fidei dogmata, quæ decreta fuerunt contra hæreses Pelagii in Concilio Milevitano per Innoc. I confirmato; quæ contra Jovinianum in Concilio Telensi confirmato per Siricium Papam; quæ contra Priscillianistas in Toletano I per Leonem I confirmato; quæ contra Petrum Oxomensem in Conc. Complutensi per Sixtum IV confirmato, et sic de aliis : hinc D. August. [2] ait : *Jam de hac causa* (Pelagianorum) *duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam, inde etiam*

[1] Cap. *Quoties* 24, q. 1. — [2] Serm. 131, de Verbis Apost., c. 10.

rescripta venerunt, causa finita est : utinam aliquando finiatur error!

QUÆRES : *Qualem auctoritatem habent decreta fidei a Conciliis particularibus edita, quando non constat ea fuisse per Summum Pontificem confirmata?*

RESPONDET Alphonsus a Castro [1], quod illorum definitiones indubitata fide sint tenendæ, quando non reprobantur ab Ecclesia et Summo Pontifice, quia illorum silentium est signum implicitæ et virtualis illorum approbationis, ut docet Bannes [2]; nam si illa Concil. errassent in fide, nunquam Ecclesia dissimulasset, sed juxta suum morem statim illorum errori per contraria decreta occurrisset.

ARTICULUS III.

DE CONCILIORUM NECESSITATE.

Nota. Constat apud omnes, tum orthodoxos, tum hæreticos, Concilia universalia esse Ecclesiæ utilissima, idque declarat Paulus III in Bulla indictionis Concilii Tridentini dicens : *Animo repetentes majores nostros, sapientia admirabili et sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ Reip. periculis, remedium optimum atque opportunissimum, œcumenica Concilia, et Episcoporum generales conventus adhibuisse, ipsi quoque animum ad generale habendum Concilium adjicimus;* de sola ergo absoluta necessitate est hic controversia contra Hæreticos, qui, ut sui condemnationem eludant, præsument ad Concilium generale provocare, licet Conciliorum generalium infallibilem authoritatem rejiciant.

CONCLUSIO I.

Concilia generalia non sunt absolute et in omni eventu necessaria.

PROB. Illud non est simpliciter necessarium Ecclesiæ, sine quo et hæreses et schismata extingui possunt; atqui

[1] L. 1 *de Punit. Hæretic.*, cap. 5. — [2] 2, 2, q. 1, art. 10, dub. 3.

sine Concilio generali et hæreses et schismata extingui possunt; siquidem variæ, quæ tribus primis Ecclesiæ sæculis exortæ sunt hæreses, absque Conciliis generalibus fuerunt damnatæ, variaque schismata a Montano et Novatiano conflata fuere extincta. Ergo, etc. Hinc Div. August. [1] contendit adversus Pelagianos, qui Concilii generalis celebrationem requirebant, ipsam perraro esse necessariam : *Quasi,* inquit, *nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione, damnata sit; cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis* (convocandi Conc. generale) *extiterit; multoque sunt atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic* (Romæ) *improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt.*

Hinc sacra facultas Parisiensis [2] declarat : *Necessarium non esse absolute Concilium generale ad extirpanda quælibet schismata et quaslibet hæreses, v. g. Pelagianam et Jansenianam, quas constat sufficienter extinctas absque Concilio generali; quod tantum in aliquibus casibus est necessarium.*

Confirm. 1. Quia multæ hæreses fuerint extinctæ a privatis Episcopis suis in sedibus dispersis, seu ab Ecclesia dispersa sine Conciliis.

Confirm. 2. Quia multæ hæreses variaque schismata fuere extirpata per Concil. particularium decreta : *Cum ergo,* ait Canus [3], *Ecclesiæ suæ Deus prospexerit in necessariis, nimirum ad hæreses privatas in provinciis refutandas, Concilia provincialia satis erunt, si erunt modo Summi Pontificis auctoritate roborata. Præterea quoscumque ejusmodi Concilia damnavere, Ecclesia eos semper explosit.*

Confirm. 3. Ex perpetua traditione, qua constat Rom. Pontifices, pro primatus auctoritate, quovis Ecclesiæ sæculo, infinitas propemodum absque Conciliis generalibus hæreses damnasse, et cum universæ Ecclesiæ applausu eas

[1] L. 4 ad Bonifac., cap. 12. — [2] Die 9 febr. ann. 1663. — [3] L. 5 *de*

profligasse, ut dilucide exponit Duvallius Doctor Sorbonicus [1] his verbis : *Plurimi Pontifices varios errores, absque ullo generali Concilio, condemnarunt, quorum condemnatio a tota Ecclesia acceptata fuit, ut patet ex primis* 300 *annis... cum tamen in fide quæstiones toto hoc tempore feliciter sopitæ et determinatæ fuerint per Pontificum definitiones.*

CONCLUSIO II.

Concilia generalia in aliquibus casibus sunt quodammodo absolute necessaria.

Prob. Illud sine quo aliquoties neque finis controversiis imponi, neque hæreses efficaciter confutari, neque fidei aut morum dogmata convenienter determinari possunt, est quodammodo absolute necessarium; atqui sine Concilio generali aliquoties neque finis imponi controversiis, neque hæreses efficaciter confutari, neque decreta fidei et morum convenienter determinari possunt. Ergo, etc. *Hinc.* D. Petrus, quamvis supremam haberet potestatem, controversiam tamen de legalibus Antiochiæ exortam noluit resolvere, nisi Concilio generali congregato, quod ad hoc quodammodo necessarium duxit; cujus rei rationem reddens Nilus Thessalonicensis [2] ait : *Quis nescit quod... et alia quæcumque œcumenicis actis stabilita sunt, vetera erant et Apostolicæ traditiones, imo potius Spiritus Sancti oracula? quæ quidem cum talia essent, nihilominus tamen Concilia Ecclesiæ habenda fuerunt, ut veritas investigaretur, inventa stabiliretur, omnisque contradicentibus occasio præriperetur.* Et ideo dixi in prop. Concilia esse quodammodo absolute necessaria.

Quæres : *In quibus casibus Concilii celebratio videtur quodammodo absolute necessaria?*

Resp. Sunt quatuor... *Primus* est hæresis nova, non quæcumque, sed ea quæ a pluribus iisque insignibus Ecclesiis propugnata, suo veneno potest magnos inficere populos.

[1] Parte 2, q. 2, *de Suprema Rom. Pontif. in Eccles. potest.*
[2] L. 1, *de Primatu Papæ.*

Hinc est quod D. August., qui contra Pelagianos contendit celebrationem Concilii generalis necessariam non esse, asserit controversiam de rebaptizandis qui erant ab hæreticis baptizati, non fuisse finitam, *donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur* [1]. Ratio est, quia hæresis Pelagiana in suo exordio fuit paucorum hominum; e contra hæresis Rebaptizantium a primo suo exordio plures, et quidem insignium Ecclesiarum, *magnos viros, et magna charitate præditos Episcopos*, patronos habuerit, ut asserit Div. August.; propter hanc causam septem prima Concilia celebrata fuerunt.

Secundus est schisma inter duos, vel plures, de Papatu contendentes, quam ob causam habitum est Conc. Constantiense. *Ratio est*, quia in hac Ecclesiæ calamitate nullum est Concilio generali remedium efficacius, imo nullum aliud videtur suppetere ad terminandum bellum in Ecclesia suscitatum.

Tertius est recuperatio Terræ sanctæ violenter a Turcis occupatæ, quam ob causam varia convocata sunt Concilia generalia ab Urbano II, Calixto II, Eugenio III, etc.

Quartus est reformatio generalis abusuum, qui in Ecclesiam irrepserunt.

DISSERTATIO III.

De propositionum heterodoxarum censuris.

Nota. Cum propositiones heterodoxæ variis modis damnentur, variisque notentur censuris, pro diversitate modi quo fidei et morum dogmatibus opponuntur, ideo agemus 1. De modo quo propositiones heterodoxæ damnantur ab Ecclesia; 2. De variis censuris quibus notari solent ab Ecclesia, duplici capite.

[1] L. 1 *de Bapt.*, c. 7.

CAPUT I.

DE MODO QUO PROPOSITIONES HETERODOXÆ DAMNANTUR AB ECCLESIA.

Nota 1. Duplici modo pravæ propositiones notari solent al Ecclesia : 1. in particulari; 2. in globo.

Notantur in particulari, quando Ecclesia, eas proscribendo, suas singulis notas tribuit : sic damnatæ sunt quinque famosæ propositiones ex libro Jansenii extractæ.

Notantur in globo, quando omnes simul proscribuntur tanquam falsæ, perniciosæ, scandalosæ, hæreticæ, etc., respective, non determinando in particulari propositiones quæ una vel pluribus ex his notis censoriis debeant affici.

Nota 2. Conveniunt omnes decreta in quibus propositiones proscribuntur, et cuilibet specialis aliqua censura affigitur, esse judicia Ecclesiæ dogmatica, ipsumque mentis obsequium a fidelibus exigere. Verum plures, ut Bullæ Clementis XI quæ incipit *Unigenitus* authoritatem detrahant, docent modum damnandi plures in globo propositiones esse illegitimum, et consequenter decreta in quibus sic in globo damnantur, non esse dogmatica, cum, inquiunt, nihil distincte credendum proponant; sed ad summum spectari posse velut disciplinæ regulam, quæ a fidelibus mentis obsequium minime exigit. Contra quos sit

CONCLUSIO I.

Modus quo Ecclesia plures in globo damnat propositiones heterodoxas, est legitimus et ab omnibus approbandus.

Prob. Illud est legitimum et ab omnibus probandum, quod sua praxi probat, et semper probavit Ecclesia, juxta illud D. August.[1] : *Insolentissimæ insaniæ est disputare an faciendum sit quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* Atqui Ec-

[1] Epist. 118.

clesia sua praxi probat et semper probavit modum plures in globo damnandi propositiones. Ergo, etc.

Prob. min. variis exemplis.

1. Concilium Constantiense, sess. 8, libros Joannis Wiclefi et 45 articulos ex ipsis extractos, sub hac sequenti forma proscripsit: *Quibus articulis examinatis, fuit repertum, prout in veritate est, aliquos ex ipsis fuisse et esse notorie hæreticos, a SS. Patribus dudum reprobatos; alios non catholicos, sed erroneos; alios scandalosos et blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos; nonnullos eorum temerarios et seditiosos. Compertum est etiam libros ejus plures alios articulos continere similium qualitatum, doctrinamque in Ecclesia Dei vesanam, et fidei ac moribus inimicam inducere. Propterea in nomine Domini nostri Jesu Christi hæc sancta Synodus prædictos articulos et eorum quemlibet, libros nominatos et alios ejusdem, hoc perpetuo decreto reprobat et condemnat.* Atqui illa censura in globo duntaxat fertur; nec enim determinat quænam nota singulis articulis debeat applicari. Ergo, etc.

2. Leo X, Bulla quæ incipit, *Exurge, Domine*, Lutheri 34 articulos proscripsit in globo; quæ damnatio ab omnibus summa lætitia fuit recepta, ut narrat Pallavicinus [1], et exinde Lutherus cum suis sectatoribus toto orbe pro hæretico habitus est.

3. S. Pius V damnavit in globo 97 propositiones Michaelis Baii; quam damnationem sacra Facultas Parisiensis recepit, die 15 januar. an. 1644. Imo illud censuræ genus ita legitimum visum est ipsi Baio, ut, an. 1580, scripto publico declaravit se damnationi Pontificiæ per omnia acquiescere, atque a proscriptis propositionibus omnino recedere.

4. Alexand. VII et Innocent. XI varias in materia morum propositiones damnarunt in globo tantum et confuse; hasque damnationes contra laxioris Ethices patronos admittunt ac laudant adversarii, quos hic impugnamus.

5. Idem Innocent. XI in globo damnavit 68 propositio-

[1] L. 1, *Hist. Conc. Tridentini*, cap. 21 et 22.

nes Michaelis Molinos... hoc ipsum egit Alexander VIII decreto dato die 7 Decembris 1690, dum damnavit 31 propositiones *tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresis sapientes, erroneas, schismaticas et hæreticas respective, et uti tales prohibuit eas edoceri et ad praxim deduci sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ.*

6. Innocent. XII, constitutione *Cum alias*, data ann. 1699, damnavit librum, cui gallice titulus est, *Explication des maximes des Saints, etc.*, et insuper ex eo 23 propositiones extraxit, quas confixit, *tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective:* huicque censuræ, non solum illustrissimus libri author, sed et universa Ecclesia subscripsit.

7. Tandem Clemens XI, Bulla quæ incipit, *Unigenitus*, damnavit sub eodem genere censuræ 101 popositiones ex libro *Reflexionum moralium* excerptas, cujus constitutio per universam Ecclesiam recepta fuit.

Objectiones.

Objicies. Damnatio propositionum incerta non est legitima; atqui damnatio propositionum, quæ tantum fit in globo, est incerta. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* In hujusmodi enim censuris illud certum est, de quo Ecclesia nos certos vult fieri, nimirum nullam esse e damnatis propositionibus, quæ non mereatur aliquam saltem e censuræ notis quæ in decreto exprimuntur, et vice versa nullam esse in decreto notam, quæ non possit in aliquas e damnatis propositionibus cadere, et consequenter *omnes damnatas propositiones perniciosas esse si tradantur, periculosas si credantur*, ut Cardinalis Pallavicinus respondit Fra-Paolo objicienti Leonis X censuram, quæ Lutheri articulos in globo solum damnabat, insufficientem fuisse.

Inst 1. Per censuram in globo factam non potest certo

sciri quænam nota singulis conveniat propositionibus; ergo illa censura est incerta.

Resp. *Transeat ant. Nego conseq.* Certum quippe est, nullam esse propositionem quæ non mereatur unam saltem e notis in decreto memoratis, quæcumque tandem ea sit; illud porro sufficit, nec in aliud ferri debet mentis obsequium Ecclesiæ auctoritati debitum, uti declarat Martinus V in formula interrogatoria, quam sacro approbante Constantiensi Concilio digessit, per quam præcipit ut a suspectis litteratis requiratur : *Utrum credant sententiam sacri Concilii Constantiensis de 45 Wicleffi et 30 Joannis Hus articulis latam, fore veram et catholicam, scilicet quod supradicti articuli non sunt catholici; sed quidam ex eis sunt notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi.*

Dixi *transeat ant.* quia Doctores possunt scire quænam nota singulis propositionibus conveniat, et docere : id enim ipsis inquirendum et assignandum relinquitur, donec ab Ecclesia specialiter id fuerit determinatum.

Inst. 2. Ecclesia potest determinare quænam nota singulis propositionibus conveniat; ergo id debet definire.

Resp. *Nego conseq.* Rationem reddit Card. Pallavicinus loco supra citato. *Etenim,* inquit, *ut aliquis articulus tanquam fidei dogma statuatur, et summa necessitas urgeat, oportet ut exactissima trutina examinetur, cum ejusmodi declaratio imperet hominum mentibus rem maxime omnium quam Christiana lex habet arduam, id est, ut res obscuras citra omnem dubitationem credamus : quapropter Ecclesia, quantum licuit, ab eo semper abstinuit. Jam vero, quia multæ doctrinæ homines inclinant ad hæresim, aliaque infligunt incommoda, par est eas a linguis et paginis relegare.* Ad id autem et ad fidem tuendam satis est, quod Ecclesia déclaret propositiones, quas damnat, esse penitus rejiciendas, utpote cum ex ipsis quædam sint hæreticæ, quædam erroneæ, etc.

CONCLUSIO II.

Ecclesiæ decreta, quibus plures in globo propositiones damnantur, sunt vere dogmatica, ipsumque mentis obsequium a fidelibus exigunt.

Prob. 1. Ex Concil. Constantiensi, quod damnans in globo 45 articulos Wiclefi, expresse ait se id facere *ut de medio Ecclesiæ spurcissima illius doctrina eliminetur.* Atqui decretum, quo de medio spurcissima Ecclesiæ aliqua eliminatur doctrina, vere dogmaticum est, internumque mentis obsequium exigit. Ergo, etc. Hinc Martinus V, sacro illo approbante Concilio, statuit personas de prava Wiclefi doctrina suspectas interrogari : *Utrum credant quod condemnationes Joannis Wiclefi, Joannis Hus et Hieronymi de Praga factæ de personis eorum, libris et documentis per sacrum generale Concilium Constantiense, fuerint rite et juste factæ, et a quolibet Catholico pro talibus tenendæ, et firmiter asserendæ.* Quæ verba perfecte demonstrant solo mentis obsequio satisfieri decreto Constantiensi plures in globo propositiones damnanti.

Prob. 2. Ex SS. Pontificibus, qui in decretis, quibus varias damnant propositiones, asserunt se ideo eas damnare, vel quia *per illas invehitur opinandi modus ab evangelica simplicitate et SS. Patrum doctrina alienus.* Ita Alexand. VII in decreto an. 1665; vel, *ut possint fideles pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare.* Ita Alexand. VII in decreto anni 1690; vel *ut fallacem doctrinam, errores gravissimos, et noxia zizaniorum semina velut ob oculos exponerent, quibus denudatis et in propatulo positis, omnes Christi fideles apertæ jam manifestæque veritati cedere compellantur.* Ita Clemens XI in constitutione *Unigenitus.* Atqui decreta quæ damnant doctrinam ab evangelica simplicitate alienam, etc., sunt vere dogmatica, ipsisque internum mentis obsequium debetur. Ergo, etc

Prob. 3. Quia decreta, ex quibus Theologi dogmata fidei confirmare solent, sunt vere dogmatica; atqui talia sunt

decreta in quibus plures in globo propositiones damnantur Ergo, etc.

Prob. min. Estius, in collatione Lipsiensi, Luthero opposuit articulos Wiclefi in Concilio Constantiensi damnatos; omnes Theologi a tempore Pii V, Gregorii XIII, Alexandri VII, Innocent. XI, Alex. XIII, omnes suas conclusiones probant ex illorum Pontificum decretis. Ergo, etc.

Objectiones.

Objicies 1. Post famosas quinque propositiones Jansenianas damnatas in globo ab Urbano VII, octoginta quinque Galliæ Episcopi novum postularunt ab Innocentio X judicium, quo distincte pronuntiaret quid de qualibet propositione sentiendum; ergo judicarunt censuram in globo latam esse insufficientem.

Resp. *Nego conseq.* Non enim novum judicium requisierunt Gallicani Præsides, quod Bullam Urbani VIII insufficientem esse putaverint; sed illud unice postularunt, ut per illud frangeretur omnino pertinacia eorum, qui pravo affecti animo, inde sumebant inobedientiæ prætextum quod nulli propositioni certa censuræ nota fuisset inusta. Quæ responsio constat ex eo quod dicti Præsules in sua ad Innocentium X Epistola expresse dicant per Bullas Pii V et Urbani VIII, quibus in globo tantum propositiones Baii et Jansenii proscribebantur, contentiones a Jansenii discipulis motas debuisse terminari : *Tales quidem motus, aiunt, sedari oportebat, tum Concilii Tridentini authoritate, tum Bullæ illius qua Urban. VIII felicis memoriæ adversus Jansenii dogmata pronuntiavit, et decreta Pii V ac Gregorii XIII in Baium edita confirmarunt.*

Objicies 2. Decretum dogmaticum habet pro objecto pravam doctrinam quam proscribit; atqui pleræque censuræ, quæ feruntur in globo, non habent pro objecto pravam doctrinam; ergo non sunt decreta dogmatica, sed meræ œconomiæ.

Resp. *Nego min.* Nam propositiones censoria nota non inuruntur, nisi sacræ doctrinæ aliquatenus adversentur; *nec ad id necesse est, ut illæ* (propositiones) *certo Dei verbis repugnent*, ait Cardinal. Pallavicinus, respondens objectioni factæ a Petro Suavi, seu Fra-Paolo; *satis est, si aut gravia exstent indicia hujus repugnantiæ, eo quod adversentur seu communi scholæ sensui, seu veteribus Ecclesiæ usibus, seu SS. Patrum auctoritati, aut deprehendantur ut semina operum quæ officiant Christianæ Reipublicæ, ac proinde mereantur aliquam ex supra memoratis* (in Concilio Constantiensi) *censuris, quæcumque tandem ea sit.* Ac proinde illæ propositiones sic censuratæ non possunt ab ullo Catholico defendi, sed animo sincero debent rejici, quandiu et ubi eamdem significationem retinebunt.

Inst. Censuræ in globo latæ hoc tantum præstant, ut usum prohibeant quarumdam propositionum, quas, habita ratione circumstantiarum loci vel temporis, non expedit enuntiare, licet in se veræ sint, vel etiam in aliis circumstantiis necessariæ; ergo non habent pro objecto pravam doctrinam.

Resp. *Nego ant.* Simplicem enim prohibitionem, quæ servandæ pacis gratia fit, confundit cum censura alicujus doctrinæ. Per censuram decernitur doctrinam aliqua propositione expressam, esse nocivam, unde ipsum mentis obsequium exigit, et qui eam infringit, violatæ fidei reum se constituit; e contra simplex prohibitio fit quandoque de libris ac opinionibus, quarum occasione in Ecclesia tumultus possent excitari : unde qui eam infringit, violatæ obedientiæ, quæ disciplinæ legibus debetur, non tamen violatæ fidei, latæ reus efficitur.

CAPUT II.

DE VARIIS CENSURIS, QUIBUS PROPOSITIONES HETERODOXÆ NOTARI SOLENT AB ECCLESIA.

Nota. Propositiones perversæ aliæ sunt *hæreticæ*, aliæ

erroneæ, temerariæ, scandalosæ, etc. Singulas hic breviter exponemus. Itaque

QUÆRES 1. *Quid sit propositio hæretica?*

RESP. Est ea, *Quæ formaliter et directe adversatur propositioni explicite vel implicite revelatæ;* cum hac differentia, quod propositio opposita propositioni explicite revelatæ, sit hæretica ante Ecclesiæ definitionem; propositio vero opposita propositioni implicite tantum revelatæ, non sit hæretica, nisi post Ecclesiæ definitionem.

Resolves 1. Hanc Jansenii propositionem : *Interiori gratiæ, in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur :* esse hæreticam, etiam ante Ecclesiæ definitionem, quia contradictorie opponitur huic expresse revelatæ : *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Resolves 2. Hanc prop.: *Baptismus datus ab hæreticis non est validus,* esse hæreticam, sed tantum post expressam Ecclesiæ definitionem; nec enim ante hanc definitionem omnibus Ecclesiis constabat contrariam propositionem in verbo Dei, sive scripto, sive tradito, implicite contineri.

QUÆRES 2. *Quid sit propositio erronea?*

RESP. Est ea, *Quæ opponitur veritati, quam vel universa tenet Ecclesia, quamvis non sit de fide, vel communis Doctorum Catholicorum sententia mediate revelatam judicat, licet ab Ecclesia id nondum expresse fuerit definitum.*

Resolves 1. Has propositiones : *Expedit ut lingua vulgari sacra celebretur Liturgia; Beata Virgo non est in cœlum corporaliter assumpta,* esse erroneas : quia propositiones contradictoriæ tenentur constanter ab universa Ecclesia. Ita docet Canus [1].

Resolves 2. Hanc propositionem : *Invalidus est Baptismus ab hæreticis datus,* quæ post Ecclesiæ expressam definitionem est hæretica, ante talem definitionem fuisse tantum erroneam.

DICES : Propositio erronea est ea quæ opponitur veri-

[1] Lib. 12 *de Locis*, cap. 11.

tati, quæ deducitur ex una præmissa de fide, et altera evidenter vera. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam hæc propositio, *Christus non habet humanam voluntatem,* est hæretica, et ut talis damnata contra Monothelitas; ergo non est tantum erronea; atqui tamen sequitur ex una propositione revelata, nempe, *Christus est homo...* et ex altera evidenter vera, nimirum *Omnis homo habet humanam voluntatem.* Ergo, etc.

Quæres 3. *Quid sit propositio hæresi proxima ?*

Resp. Est ea *Quæ maxima cum probabilitate judicatur hæretica.* Quæ nimirum tantam cum doctrina hæretica connexionem habet, ut a majori et saniori Doctorum Catholicorum parte hæretica censeatur, quamvis aliqui non infimæ notæ Theologi contendant hanc ipsi notam non esse inurendam. Hæc non videtur distingui a propositione erronea : ipsi enim tantum deest expressa Ecclesiæ definitio, ut sit hæretica.

Quæres 4. *Quid sit propositio suspecta de hæresi, et hæresim sapiens?*

Resp. 1. Propositio *suspecta de hæresi* est ea *quæ licet aliquo sensu tolerari possit et enuntiari, tamen magna cum probabilitate judicatur hæretica.*

Resp. 2. Propositio *hæresim sapiens* est ea *quæ majori cum probabilitate, quam suspecta de hæresi, judicatur hæretica.* Sic ista propositio : *Christus est creatura* vel *Patre minor,* catholice quidem posset intelligi ratione humanitatis ; sed prolata tempore Arianismi, etiam ab eo qui non est de Ariana hæresi suspectus, est *suspecta de hæresi;* prolata vero ab eo qui de Arianismo suspectus est, hæresim Arianam sapit. Sic hæc vox *Christotocos,* tempore Nestorianismi, erat suspecta de hæresi ; et hæresim sapiebat prolata ab eo qui suspectus erat de Nestorianismo ; hodie est catholica : in litaniis enim dicitur : *Mater Christi.*

Itaque, ut propositio dicatur suspecta de hæresi, aut hæresim sapere, in se sola considerari non debet; sed atten-

denda circumstantia loci, temporis et scriptoris; unde *non tam ex propositione absolute spectata, quam relative ad proferentem*, suspicio vel *sapor hæreseos æstimari debet*, ait Canus [1].

Inferes ex dictis : Propositiones quæ apud unum auctorem sunt orthodoxæ, apud alium, qui eis abutitur, suspectas esse de hæresi, vel hæresim sapere, atque ut tales damnari posse ab Ecclesia.

Sic hæc propositio : *Pater major me est*, quæ in Evangelio Christi dulcis erat super mel et favum, eadem propositio in Arii libros transfusa, sapiebat hæresim, eratque D. Athanasii gustui amarissima, ait Canus, l. cit.

Sic hæ propositiones Quesnellianæ 13 : *Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit... omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter*, prima fronte videntur similes quibusdam DD. Augustini et Prosperi expressionibus, quæ apud sanctos Doctores de voluntate Dei absoluta, quam adversus Pelagianos propugnabant, intelliguntur; verum hæresim sapiunt in ore Quesnellistarum, qui negant Deum sincere velle aliorum quam prædestinatorum salutem, quod in sensu Janseniano blasphemum et hæreticum declaravit Ecclesia.

Quæres 5. *Quid sit propositio schismatica?*

Resp. Est ea *quæ fideles ab obedientia Summo Pontifici, aliisque superioribus Ecclesiasticis debita retrahit.* Talis est propositio illius qui diceret Summi Pontificis tyrannicum esse imperium; talis quoque est propositio eorum qui docent a Bulla *Unigenitus* licitum esse appellare ad futurum Concilium, prout anno 1718 declararunt Episcopi Gallicani numero circiter quinquaginta.

Quæres 6. *Quid sit propositio seditiosa?*

Resp. Est ea, *quæ per se nata est subditos ad rebellionem contra Principes civiles, vel Rempublicam, inducere, eos a debita*

[1] *De Locis*, lib. 12, cap. 11.

Principibus obedientia retrahendo : v. gr. si quis diceret *Principibus vectigalia non deberi,* vel *eis aut Magistratibus obtemperandum non esse;* quia homines sunt ejusdem cum aliis conditionis.

Quæres 7. *Quid sit propositio hæresi, aut schismati favens?*

Resp. Est ea *qua Hæretici aut Schismatici uti possunt ad suos errores suamque inobedientiam propugnandam.* Sic qui doceret *Eucharistiæ sacramentum solemni ritu per vias publicas non esse circumferendum,* faveret errori Calvinistarum docentium Christum substantialiter non contineri in Eucharistia. Item qui doceret *Pium IX* non esse canonice electum, faveret schismati retrahendo fideles ab obedientia legitimo Pontifici debita.

Quæres 8. *Quid sit propositio blasphema?*

Resp. Est ea *quæ Deo vel Sanctis est injuriosa.* Sic hæc Jansenii propositio : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant;* est damnata ab Innocentio X non solum ut *hæretica,* sed etiam ut *blasphema :* reddit quippe Deum injustum legislatorem.

Quæres 9. *Quid sit propositio impia?*

Resp. Est ea *quæ cultum Dei debitum minuere de se nata est.* Talis est prædicta Jansenii propositio: *Aliqua Dei præcepta, etc.,* ex eo enim quod Deus impossibilia homini præcipiat desitque gratia qua possibilia fiant, sequitur frustra Deum esse orandum ad obtinendas gratias ad observanda præcepta necessarias.

Quæres 10. *Quid sit propositio scandalosa?*

Resp. Est ea *quæ per se nata est proximum inducere ad peccatum, eumque a virtutum exercitio retrahere,* v. gr. si quis doceret *ex auriculari confessione gravissima sequi incommoda :* hæc enim propositio per se retrahit fideles a peccatorum confessione, et per accidens est, si non retrahat.

Quæres 11. *Quid sit propositio perniciosa?*

Resp. Est ea *ex qua facile possunt deduci conclusiones contra*

fidem, aut bonos mores; ut si quis diceret, *Scripturam Sacram indiscriminatim esse legendam et omnibus tradendam.* Ad hanc reducitur propositio *periculosa.*

QUÆRES 12. *Quid sit propositio captiosa?*

RESP. Est ea *quæ sub pietatis specie venenum obtegens, apta est simplicium mentes seducere.* Talis erat ista Arianorum propositio : *Christus est similis Patri;* nam prima fronte videtur significare Christum esse similem in natura, et tamen in authorum sensu significabat Christum esse similem Patri in potentia ipsi tradita a Patre, non vero in natura.

QUÆRES 13. *Quid sit propositio male sonans?*

RESP. Est ea *quæ, licet duplicem habeat sensum, unum bonum et alium malum, absolute tamen et sine distinctione profertur.* Sic ista propositio, *Christus est creatura rationalis,* male sonat, quia videtur negare divinitatem Christi.

QUÆRES 14. *Quid sit propositio piarum aurium offensiva?*

RESP. ea est, *quæ aliquid indecorum de Deo, vel Sanctis ejus profert;* ut si quis Sanctos non negando, eorum peccata ipsis improperaret; v. gr. *Sancte Paule, persecutor Ecclesiæ, ora pro nobis.*

QUÆRES 15, *Quid sit propositio temeraria?*

RESP. Est ea, *quæ absque ullo aut Scripturæ, aut traditionis, aut rationis theologicæ fundamento, a communi theologorum sententia recedit;* v. gr. si quis diceret B. M. V. in cœlum, quoad corpus non fuisse assumptam.

QUÆRES 16 .*Quid sit propositio falsa?*

RESP. Est ea, *quæ factum aliquod, quod ad fidem pertineat, eique nocere possit, veritati contrarium enuntiat;* v. gr. si quis negaret *quinque famosas propositiones a SS. Pontificibus Clemente X et Alexandro VII damnatas, ex libro Jansenii fuisse excerptas,* propositionem enuntiaret falsam, quæ insuper, post censuratas propositiones in sensu a Jansenio intento, est hæretica, juxta aliquos.

Dixi : *Quod ad fidem pertineat, etc.,* nam si hæc propositio nullatenus pertineret ad fidem nec ei foret nociva, non

posset ei nota falsitatis theologice inuri. Unde opiniones philosophicæ, licet absurdæ, non debent notari ab Ecclesia, nisi saltem indirecte fidem lædant, quo sensu quidem fuerant damnatæ a Concilio Lateranensi V.

QUÆRES 17. *Quid sit propositio verbo Dei contraria?*

RESP. Est ea *quæ contraria est Scripturæ et traditioni:* nec tamen est hæretica, quia illa contrarietas nondum est supremo Ecclesiæ judicio definita.

QUÆRES 18. *Quid intelligatur per adverbium* respective, *cum in decreto in quo plures propositiones damnantur, dicitur eas esse* respective *hæreticas, erroneas, temerarias, scandalosas, etc.*

RESP. Hæc particula *respective*, significat nullam esse ex damnatis propositionibus disjunctive, in quam non cadat una saltem ex notis, quæ in condemnationis decreto referuntur; æqualiter ergo propositiones damnantur, cum in globo damnantur, sed non æquali censura afficiuntur; unde decreto Apostolico sic concepto sufficientem exhibet obedientiam qui credit nullam esse propositionem damnatam, in quam non cadat una saltem ex censuris, quibus in globo notantur.

DISSERTATIO IV.

De præcipuis Hæreticis.

Nota: Omnes et singulas hæreses, quæ per omnia sæcula Ecclesiam divexaverunt, nostri non est instituti referre; præcipuas tamen per ordinem sæculorum breviter enumerare non inutile duximus. Itaque

§ 1.

Hæresiarchæ sæculi I.

1. *Simon Magus*, a quo *Simoniani*, qui cum repulsam passus fuisset ab Apostolis, quibus pecuniam obtulerat, ut

virtutem conferendi Spiritum Sanctum acciperet, totum se magicis artibus dedit variaque doctrinæ monstra, teste Epiphanio, docuit : 1. *Mundum non fuisse a Deo conditum.* 2. *Non esse in homine liberum arbitrium.* 3. *Homines non resurrecturos.* 4. *Bona opera non esse necessaria.* 5. *Se esse Deum, et Helenam scortum suum esse Spiritum Sanctum.* Damnatus est a D. Petro [1].

2. *Menandriani,* a *Menandro,* Simonis Magi discipulo, qui una cum Simonis impietatibus addebat, *se esse Salvatorem mundi.* Hunc S. Linus ab Ecclesiæ gremio ejecit.

3. *Nicolaitæ,* a *Nicolao,* uno ex 7 Diaconis, ut perhibetur, ait Augustinus. Hic pulcherrimæ conjugis zelotipia accusatus, ut hujus vitii labem purgaret, permisisse fertur ut sua uxore quisque uteretur; quod turpe factum sectæ Nicolaitarum occasionem dedit, qui inter cætera docebant : 1. *Uxores esse communes.* 2. *Licere vesci idolothitis.* 3. *Mundum non esse a Deo factum.* Hos damnavit Deus [2].

4. *Cerenthiani,* a *Cerintho,* docebant: 1. *Mundum ab angelis factum.* 2. *Vetus Testamentum ad litteram esse observandum.* 3. *Jesum esse purum hominem, eum nondum resurrexisse, sed resurrecturum esse.* Hos div. Paulus damnavit in Epistola ad Galatas.

5. *Ebionitæ,* ab *Ebione* sic dicti, docebant Christum esse purum hominem, et legis mandata more Judaico esse observanda. Hos Lucas apud Ecclesiam Antiochenam inveniens damnavit.

§ II.

Hæresiarchæ sæculi II

1. *Gnostici,* quorum *Carpocrates* fuit coriphæus, docebant : 1. *Mundum a Deo non esse factum.* 2. *Christum merum fuisse hominem ex Josepho et Maria natum.* 3. *Nihil esse malum natura, sed opinione.* 4. *Uxores communes esse debere.* 5. *Animas in alia*

[1] Act. 8. — [2] Ap. 2. v. 6.

subinde corpora immitti, ut amplius peccent. Horrenda sunt quæ de nefandis Carpocratianorum impuritatibus scribit Div. Epiphanius, quæ hic exscribere pudet.

2. *Ophitæ*, a colubro sic dicti, docebant Serpentem a quo Adam et Eva fuerunt decepti, esse Christum; unde habebant verum serpentem, quem nutriebant et adorabant. Hos expugnarunt Theocritus Chalcedoniæ, et Evander Nicomediæ Episcopi.

3. *Cainitæ*, qui docebant Cainum, Judam proditorem, Core, Dathan et Abiron, imo et Sodomitas colendos esse.

4. *Millenarii*, qui docebant electos post extremum Judicium per mille annos cum Christo regnaturos in terris, omnibus corporeis voluptatibus indulgentes.

5. *Marcionitæ*, a *Marcione*, quem tria principia boni, justi, et pravi admisisse scribit D. Epiphanius. Hi ab Origene fuerunt confutati.

6. *Cataphryges*, seu *Montanistæ*, a Montano, qui se dicebat Paraclitum, 1. docebant secundas nuptias esse sceleratas. 2. Peccatores non admittebant ad pœnitentiam. 3. Conficiebant Eucharistiam ex farina sanguine infantis anniculi delibuta. Docebant cum Sabellio in Trinitate unicam esse personam. Damnati sunt a Summis Pontificibus Zephyrino, et Aniceto, ut scribit Tertullianus [1].

7. *Quartodecimani*, sic dicti eo quod 14 luna Martii Pascha celebrabant, qualibet septimanæ occurrerit die. Damnati sunt a Victore S. Pontifice.

8. *Adamitæ*, sic dicti quia imitabantur Adami innocentis nuditatem; unde nuptias damnabant, eo quod Adamus non prius quam dimissus esset de Paradiso, cognoverit uxorem. Hos Polycarpus Presbyter eliminavit.

§ III.

Hæresiarchæ sæculi III.

1. *Sabelliani*, a *Sabellia*, qui unicam in Trinitate perso-

[1] Lib. contra Psychicos, cap. 1.

nam admittebant. Hos damnavit Dositheus, Episcopus Seleuciæ.

2. *Tertullianistæ*, a *Tertulliano*, qui sectæ Montani nomen dedit, ac insuper docuit : 1. *Animas cum corporibus fuisse genitas.* 2. *Deum esse corporeum.* 3. *Animas damnatorum in Diabolum converti.*

3. *Origenistæ*, ab *Origene*, qui asserebat : 1. Animas longe ante corpora fuisse creatas, et in corpore immissas propter peccata ab ipsis antea commissa. 2. Dæmones, et damnatos, post mille annos fore beatos.

4. *Pauliani*, a *Paulo Samosateno*, docebant Christum esse purum hominem, quia non prius extiterit quam natus sit de Beata Maria Virgine. Hi deficiebant in forma Baptismi, unde eos rebaptizandos decrevit Concilium Nicænum.

5. *Rebaptizantes*, qui ab Hæreticis baptizatos, rebaptizandos docebant.

6. *Manichæi*, a *Mane*, qui 1. Negabat Trinitatem. 2. Duo admittebat rerum principia, unum bonum, alterum malum. 3. Negabat Christum vere esse passsum. 4. Asserebat se esse Spiritum Sanctum, etc.

7. *Novatiani*, a *Novato*, qui contendebant semel lapsos nunquam ad pœnitentiam recipiendos; secundasque nuptias tanquam malas damnabant. Hanc hæresim refricuit *Meletius*, à quo dicti sunt *Meletiani*, qui postea cum Arianis se conjunxerunt.

§ IV.

Hæresiarchæ sæculi IV.

1. *Ariani*, ab *Ario* Presbytero sic dicti, denegabant Christum esse Patri consubstantialem, ac proinde negabant eum esse Deum. Damnati sunt in Concilio Nicæno I.

2. *Semi-Ariani*, qui negantes Christum esse consubstantialem Patri, fatebantur eum esse similem in natura, quemodo homo similis est alteri homini. Horum principes fuerunt *Aetius*, et *Eunomius*.

3. *Donatistæ*, a *Donato*, qui primum propter Cæcilianum contra suam voluntatem ordinatum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum, schisma fecit, quod in hæresim verterunt Donatistæ, docentes: 1. Hæreticos iterum baptizandos. 2. Solos qui remanserant in parte Donati esse de Ecclesia. Fuerunt damnati a Melchiade Papa.

4. *Macedoniani*, a *Macedonio* Episcopo Constantinopolitano sic dicti, docebant *Spiritum Sanctum esse puram creaturam*. Damnati sunt in Concilio Constantinopolitano I.

§ V.

Hæresiarchæ sæculi V.

Pelagiani docebant: 1. Peccatum Adami illi soli nocuisse. 2. Nullum in ejus posteritate fuisse peccatum originale. 3. Mandata Dei solis naturæ viribus posse observari; sicque hominem posse justificari sine gratia. Damnati sunt ab Innocentio I et a Concilio Carthaginensi.

2. *Nestoriani*, sic dicti a Nestorio Episcopo Constantinopolitano, qui duas in Christo personas admittens, unam divinam, alteram humanam, beatam Virginem negabat esse *Theotocon*, sed solum *Christotocon*, seu Christi genitricem. Damnati sunt in Concilio Ephesino I.

3. *Eutychiani*, sic dicti ab Eutychete Abbate Constantinopolitano, qui ut contradiceret Nestorio, docuit unam tantum esse naturam in Christo. Damnati sunt in Concilio Chalcedonensi.

§ VI.

Hæresiarchæ sæculi VI.

Monothelitæ, qui auctore Cyro Patriarcha Alexandrino, quem secutus est Sergius Constantinopolitanus, unam tantum in Christo voluntatem, atque operationem asserebant. Damnati sunt in VI Synodo.

§ VII.

Hæresiarchæ sæculi VII.

Mahumetismus, auctore *Mahumete*, qui in *Alcorano* sua impia dogmata disseminavit, quorum præcipua capita sunt : 1 Deum esse corporeum. 2. Unicam in Deo esse personam. 3 Christum non esse Deum, sed magnum quemdam prophetam. 4. Cæremonias Mosaicas esse necessarias. 5. Poligamiam esse licitam. 6. Vitam æternam consistere in voluptatibus corporis, etc.

§ VIII.

Hæresiarchæ sæculi VIII.

1. *Iconomachi*, seu *Iconoclastæ*, qui cultores sacrarum Imaginum idololatria accusabant; unde Leo Isauricus Imperator Iconoclasta edictum proposuit, ut sacræ Imagines de templis tollerentur. Damnati sunt in VII Synodo.

2. *Albanenses*. 1. Admittebant duo rerum principia, unum bonum, aliud malum. 2. Aliquem, ante adventum Christi, justum fuisse negabant. 3. Docebant mundum esse æternum. 4. Animas de novo non creari, sed eas de corporibus mortuorum in alia corpora transmigrare. 5. Juramentum nunquam esse licitum. 6. Non exstare peccatum originale. 7. Sacramenta a peccatoribus collata nullam vim habere. 8. Confessionem non esse necessariam. 9. Matrimonium esse illicitum. 10. Ab Ecclesia nihil esse possidendum, nisi in communi. 11. Tandem resurrectionem corporum negabant.

3. *Paulianistæ*, a *Paulo* et *Joanne* sic dicti, præter Manichæismum quem profitebantur, contendebant formam Baptismi in his verbis consistere : *Ego sum aqua viva;* et Eucharistiæ in his : *Accipite, manducate et bibite.*

§ IX.

Hæresiarchæ sæculorum IX et X.

1. *Gothescalcus* renovavit hæresim Prædestinatorum, do-

cendo Deum, sine prævisione boni et mali, aliquos absolute prædestinasse, alios absolute reprobasse; et consequenter tenebat Christum pro omnibus non fuisse mortuum, nec Deum velle omnium salutem.

2. *Græci,* duce *Photio,* schisma fecerunt, seque ab Ecclesia Romana diviserunt, et errorem de processione Spiritus Sancti a solo Patre spargere cœperunt : qui successu temporis in varias hæreses prolapsi sunt.

§ X.

Hæresiarchæ sæculi XI.

1. *Sacramentarii,* Berengario duce, qui docebat primum Christi corpus non existere in Eucharistia, nisi figurate; at cum postea hunc errorem revocasset, docuit substantiam panis remanere cum corpore Christi : additque solos adultos esse baptizandos.

2. *Simoniaci,* qui venditionem rerum sacrarum esse licitam prædicabant.

§ XI.

Hæresiarchæ sæculi XII.

1. *Petrobrusiani,* a *Petro de Bruys* Antuerpiensi, docebant: 1. Baptismum non esse parvulis necessarium. 2. Christum non esse in Eucharistia. 3. Preces pro mortuis esse inutiles.

2. *Valdenses,* seu *Pauperes de Lugduno,* sic dicti a *Valdone* Lugdunensi, qui sua bona pauperibus erogaverat, omnia pene Ecclesiæ Romanæ dogmata rejiciebant. Hos damnavit Lucius Summus Pontifex.

3. *Albigenses,* qui tempore Innocentii III non solum concionibus, sed etiam armis Ecclesiam diu vexaverunt. Duo admittebant principia, animarum transmigrationem asserebant, resurrectionem corporum negabant, Baptismam et Eucharistiam rejiciebant, etc.

§ XII.

Hæresiarchæ sæculi XIII.

Flagellantes, docebant non posse salvari eos qui se non baptizarent in proprio sanguine per flagellationem extracto; flagellationem esse martyrio præstantiorem; Sacramenta, et cætera bona opera esse inutilia; Purgatorium in altera vita non esse.

§ XIII.

Hæresiarchæ sæculi XIV.

1. *Fratricelli*, auctore quodam *Hermanno*, docebant: 1. S. Pontificem in Ecclesia nullam authoritatem habere. 2. Se solos constituere veram Christi Ecclesiam. 3. Se nullius obedientiæ subditos esse. 4. Copulam cum omnibus mulieribus exercebant, puerosque ex illis procreatos occidebant. Hos damnavit Bonifacius VIII.

2. *Beguardi* et *Beguinæ*, qui, auctore *Bogonato*, monasticam vitam sine votis profitebantur, docebant: 1. Hominem posse in hac vita fieri impeccabilem. 2. Hominem statum impeccabilitatis adeptum, non amplius teneri ad jejunia et orationem, et in gratia crescere non posse, et alia id genus. Damnati sunt in Concil. Viennensi.

§ XIV.

Hæresiarchæ sæculi XV.

1. *Wiclefitæ*, a Joan. *Wiclef*, cujus articuli 45 erronei damnati sunt a Concil. Constantiensi, in quibus inter alia multa asserebat: 1. Substantiam panis et vini manere in Sacramento Altaris. 2. Deum debere obedire Diabolo. 3. Homini contrito confessionem exteriorem esse superfluam. 4. Bonorum temporalium possessionem esse Ecclesiasticis illicitam. 5. Religiosos non esse de Religione Christiana. 6. Omnes Religiosos mendicantes esse hæreticos. 7. Omnia casu ac necessitate absoluta evenire. 8. Rom. Ecclesiam

esse synagogam Satanæ. 9. Papam non esse Vicarium Christi, nec Petri successorem. 10. Electionem Papæ a Cardinalibus per Diabolum esse introductam; et alia absurda id genus, quæ referre non vacat.

2. *Hussitæ*, a Joanne *Huss*, omnes fere Wiclefi errores propugnabant, quibus sequentes addebant: 1. Ecclesiam solis prædestinatis constare. 2. Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ Catholicæ. 3. Obedientiam Ecclesiasticam non esse fundatam in Scriptura. 4. Nullum esse Dominum temporalem, nullum Prælatum, nullum Episcopum, dum sunt in peccato mortali. Damnati sunt in Concilio Constantiensi.

§ XV.

* Hæresiarchæ sæculi XVI.

I. *Lutherani* a Martino *Luthero* ex Augustinianorum familia, qui omnes Hussitarum, Wiclefitarum, Petrobuzianorum et Sacramentariorum renovavit errores, quibus alios addidit multos, quos celeberrima omnium Synodus Tridentina profligavit. 1° Negavit imprimis utilitatem indulgentiarum aliorumque bonorum operum; 2° existentiam Purgatorii et utilitatem suffragiorum pro mortuis; 3° libertatem hominis, imo necessario hominem in omnibus operibus suis etiam bonis peccare docuit; 4° transubstantialitatem abstulit et impanationem finxit in SS. Eucharistiæ sacramento; 5° septenorum Sacramentorum numerum expunxit; 6° circa justificationem turpissimos errores docuit; v. g.: peccata non deleri sed tegi, illam nihil aliud esse quam immunitatem a pœna peccatis debita; 7° ita fidem in divinas promissiones exaltavit, ut totam suam pestiferam doctrinam in his verbis contrahi possit: *Pecca fortiter, modo credas firmiter;* 8° infallibilitatem et auctoritatem Ecclesiæ negavit; 9° Sacros ritus, cœremonias et omnem Ecclesiasticam disciplinam tanquam figmenta sacrilega respuit; 10° vota religionis damnavit, virginitatem infra matrimonium depressit, vel etiam tan-

quam malam rejecit; omnem oralem traditionem rejecit, Scripturas Sacras spiritu privato interpretatas unicam fidei et morum regulam esse dixit. Unde rationem humanam supra omnem auctoritatem posuit. Tandem ille Wurtembergensis monachus apostata cæteros hæresiarchas facie devicit tum audacia et impudentia, tum multitudine et enormitate errorum quos docuit; nihil enim intemeratum fere reliquit, sed quidquid sacrum, quidquid antiquum, quidquid traditum e medio sustulit, vastissimam omnibus erroribus et impietatibus januam aperuit; ita ut *Protestantismus*, cujus Luther pater est et antesignanus, proprio sibi gaudeat nomine, id est doctrina quæ omnem veritatem abjurat et contestando denuntiat. Ex illa autem doctrina scaturierunt omnia fere mala quæ postea societatem tum religiosam, tum politicam hactenus divexarunt.

II. *Calvinismus*, a *Calvino* presbytero sic dictus, omnes præcipuos Lutheranorum errores amplectitur, in quantum tamen patitur doctrina juxta cujus palmare principium tot debent esse sensus quot capita. Ad septem præcipua reducuntur principia : 1° Juxta Calvinianos sola fidei regula est Scriptura Sacra spiritu privato per Spiritus Sancti inspirationem illustrato interpretata. 2° Christus non est realiter in SS. Sacramento Eucharistiæ, illumque in communione, nonnisi per fidem recipimus. 3° Deus prædestinatis fidem et justitiam concedit inamissibiles, et ipsis pro peccato imputat liberum arbitrium. 4° Voluntas hominis post Adæ peccatum ita amissa et extincta est, ut nullum opus ad salutem meritorium facere possit, imo nullum opus quod vitiosum et peccatum non sit. 5° Impossibile est homini concupiscentiis resistere, sed totum liberum arbitrium consistit in immunitate a coactione, non vero et per se a necessitate, ita ut mala et bona opera Deus operatur non permissione tantum, sed etiam proprie, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli. 6° Decreta Dei circa prædestinationem sunt absoluta et ante prævisa

merita, neque attentis meritis vel demeritis hominum, sed a sola Dei voluntate pendet prædestinatio ad bonum et ad malum. 7° Sola fide impius justificatur, ita ut nihil aliud requiritur quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, unde sacramenta nihil efficiunt quam excitare fidem.

III. *Sociniani* seu *Unitarii* originem ducunt ex omnibus sectis seu potius frustulis et fragmentis pene infinitis quæ ex primitivo Protestantismo prodierunt. Sociniani a *Fausto Socino*, omnia mysteria rejicere profitentur. Vocantur etiam *Unitarii*, quia unicam in Deo fatentur personam. Ipsorum antesignani sunt Theologi, seu potius superbi philosophi, qui consequenter ad principium *Emancipationis* humanæ rationis, quod Luther prædicaverat, de revelatis sicut de veritatibus naturalibus disserere attentarunt, et ideo omnia Christianæ religionis dogmata unum post aliud inficiarunt, et in deismum, vel etiam in materialismum aut pyrrhonismum inciderunt.

Tam fastidiosum quam onerosum esset omnium Protestantismi figmentorum indicem texere. Cum enim quisque fidem suam debeat comparare per Scripturam Sacram spiritu privato vel individuali ratione interpretatam, nemo non videt tot esse debere symbola fidei quod sunt capita. Quod si dantur aliquot Protestantes idem in quibusdam sentientes, eadem retinentes, id fit vel ex ignorantia suæ doctrinæ, vel ex principio catholico, a quo se expoliare penitus non possunt.

§ XVI.

* Hæresiarchæ sæculi XVII.

IV. *Jansenistæ* a *Jansenio*, doctore Lovaniensi, Yprensi Episcopo, qui sicut Lutherus et Calvinus ordinem supernaturalem cum naturali, gratiam cum natura confundit. Suos errores spargit in opere cujus titulus est : *Augustinus Cornelii Jansenii*, quos in quinque propositiones sequentes col-

legerunt atque profligarunt Summi Pontifices. 1° Aliqua Dei præcepta hominibus volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deestque illis gratia qua possibilia fiant. 2° Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. 3° Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas à coactione. 4° Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc errant Hæretici quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. 5° Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Jansenistæ fuerunt maxime versipelles. Amatores Ecclesiæ se jactitant; verum infensissimi Summorum Pontificum sunt inimici, et in multis magnam habent affinitatem ex una parte cum Protestantismo et Philosophismo, et ex altera cum hoc quod *Gallicanismum* dicitur, uno verbo cum his omnibus qui sub quacumque forma auctoritatem, infallibilitatem et prærogativas Christi Vicarii in terra deprimere conantur.

Post *Jansenium* nullus fuit hæresiarcha proprie dictus; plures quidem scioli naufragarunt a fide, verum asseclas non obtinuerunt, nisi despectos.

At teterrima pestis grassatur ut cancer in tota societate humana circa religionem, scilicet indifferentia, incredulitas, impietas, vana, superba ac falsa philosophia, sensualismus et effrenatas bonorum temporalium cupido, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ.*

TRACTATUS

DE VERBO DEI

SCRIPTO ET TRADITO

* *Nota.* Ecclesia Christi, cui divina ac supernaturalis revelatio fuit credita, quemadmodum superius comprobavimus [1], ante omnem scripturam existit, longe lateque diffusa; est vita integerrima vivens, suoque fungens ministerio, priusquam objecta fidei scriptis committerentur. Hæc autem scripta quæ, data occasione et Spiritus Sancti afflatu, quædam Ecclesiæ membra seu individua conscripserunt, sola totam et integram Christi revelationem non continent, sed necessaria est omnino traditio, ut similiter invicte probavimus [2], et ex infra dicendis constabit. Scriptura vero et traditio de se non sufficiunt solæ ad perfectam genuinamque revelationis cognitionem [3], sed requiritur insuper Ecclesia, quæ sicut omnem scripturam, ita omnia traditionis dogmaticæ monumenta, existentia sua antecedit. Quænam ergo sint Scripturæ canonicæ, proindeque genuinæ ac divinitus inspiratæ, ac earum sensus; quænam pariter sint dogmaticæ et divinæ traditiones, ab Ecclesia sola disci potest. Igitur ordo postulat ut postquam Christi Ecclesiam ejusque dotes vindicavimus, de verbo Dei, tum scripto, tum non scripto, agamus. Quare in duas dissertationes hunc tractatum dividimus. In prima agemus de verbo Dei scripto, seu de Scriptura Sacra; in secunda, de verbo Dei non scripto, seu de traditione. *

[1] Concl. 5ª, prolusiones in tract. de Ecclesia. — [2] Concl. 6ª, ibid. — [3] In Concl. 7ª, ibid.

DISSERTATIO PRIMA.

De Verbo Dei scripto.

Nota. Scriptura Sacra variis insignitur nominibus : 1. Dicitur *Testamentum* [1], quia Deus per Scripturas nobis testatus est nimium amorem quo nos, ut filios, constituit suos hæredes. 2. Propter sui excellentiam dicitur antonomastice *Biblia*, id est, *Liber*, quia est liber omnium librorum, a quo omnis sapientia, in omnibus aliis libris contenta, tanquam a fonte dimanat. 3. Propter eamdem sui excellentiam dicitur simpliciter *Scriptura* [2]. *Quid enim dicit Scriptura?* Et ipse Christus [3] ait : *Nunquam legistis in Scripturis.*

Quæres. *Quid est Scriptura Sacra?*

Resp. Est *verbum Dei, ab auctore hagiographo, afflante Spiritu Sancto scriptum, et ut tale ab Ecclesia nobis manifestatum.*

Dicitur 1. *Verbum Dei :* per quod convenit cum traditione.

Dicitur 2. *Ab auctore hagiographo :* id est, a sancto scriptore a Deo inspirato.

Dicitur 3. *Afflante Spiritu Sancto :* id est, a Deo inspirante, per quod differt a definitionibus Ecclesiæ, quæ cum speciali Spiritus Sancti assistentia scribuntur, sed non ex Dei inspiratione; unde non sunt Scriptura Sacra.

Dicitur 4. *Scriptum*, per quod distinguitur a traditione, quæ est verbum Dei non scriptum.

Dicitur 5. *Et ab Ecclesia, ut verbum Dei nobis manifestatum.* Quia Ecclesiæ est determinare quinam libri sint canonici et divini, et quinam non sint.

* *Nota.* Cum in tractatu de divina ac supernaturali revelatione satis superque dixerimus de Sacræ Scripturæ existentia, authenticitate, integritate et ejus veritate historica, nunc agemus hic : 1° de ejus auctoritate dogmatica; 2° de

[1] Hebr. 9, v. 16. — [2] Rom. 4, v. 3. — [3] Matth. 21. v. 42.

ejus auctore; 3° de ejus canone; 4° de ejus idiomate; 5° de ejus versionibus; 6° de ejus sensu; 7° de regulis ad expositionem Scripturæ sacræ necessariis; 8° et 9° de regulis ad elucidandos hæbreos idiotismos et tropos, 10° de his quæ ad cautam sacræ Scripturæ interpretum lectionem observanda sunt; totidem capitibus, quæ tamen leviter delibabimus, studiosam juventutem remittentes ad sacræ Scripturæ professorem pro eorum aliorumque scitu dignissimorum ampliore obtinenda notitia.

QUÆSTIO I.

DE SCRIPTURÆ SACRÆ AUCTORITATE.

Nota. Hæc quæstio est; 1. contra Anomæos[1], contra Erasmum[2] et Spinosam[3], qui contendunt plurima, tum a Prophetis, tum ab Apostolis scripta fuisse instinctu proprio, non vero afflante Spiritu Sancto; et ideo multa falsa et incerta in Scriptura sacra promiscuisse : unde tum Veteri, tum Novo Testamento divinam auctoritatem denegabant.

2. Contra quosdam juniores, asserentes Deum fallere posse vel per se, vel per alios, nempe per Ministros, quibus ad scribendum usus est; unde tales videntur negare Scripturam esse regulam infallibilem fidei. Contra quos.

CONCLUSIO.

Scriptura Sacra divina præstat auctoritate; seu est ipsummet verbum Dei, ac proinde infallibilis regula fidei.

PROB. Omnis Scriptura, quæ procedit de ore Dei, divina præstat auctoritate estque infallibilis regula fidei, cum Deus, utpote prima veritas, nec falli, nec fallere possi juxta illud Apostoli[4] : *Est Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et rursum : *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*[5]. Et alio loco : *Non est Deus quasi homo, ut*

[1] Ut videre est apud Epiph. Hæresi 76. — [2] Annot. in cap. 1 Matth. Tract. Theolog. politico, cap. 11 et 12. — [3] Rom. 3, v. 1. — [4] 2 ad Timoth. 2, v. 13.

mentiatur [1]. Atqui Scriptura Sacra prodit de ore Dei, cum omnis Scriptura ex speciali Spiritus Sancti afflatu sit scripta, juxta illud [2]: *Ille*, Spiritus Sanctus, *docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*, etiam oblita, etiam propriis auribus audita, etiam quæ sponte et naturaliter in mentem venire poterant, omnia *suggeret;* unde cum Apostol. [3] quædam dixisset, quæ humano more ab Ecclesiæ præfecto dici possent, subjecit protinus : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Ergo.

Objectiones.

Obj. 1. Multa Prophetæ et Apostoli humaniter et instinctu proprio scripserunt. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Nam, ut ait Augustinus [4], si hæc opinio vera esset, *tota Scripturarum vacillaret authoritas, ideoque fides nostra.* Unde addit, Scripturam non aliter a legente accipiendam esse, *quam si ipsam manum Domini, quam proprio in corpore gestabat, scribentem conspexerit.*

Prob. ant. In Scriptura multa reperiuntur, quæ scriptoribus sacris erant lumine naturali nota, v. g. quod Paulus scribit ad Timoth. 2: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, affer tecum.* Et illud, *Lucas est mecum solus;* ergo humano modo, et instinctu proprio, fuerunt scripta.

Resp. *Nego conseq.* Equidem ad illa scribenda non fuit necessaria supernaturalis revelatio, sed fuit necessaria peculiaris Spiritus Sancti directio, et afflatus, ut, licet humana essent, et naturaliter cognita, divinitus tamen sine ullo errore scriberentur.

Inst. 1. Apostolus [5] ait : *Præcipio, non ego, sed Dominus* et infra, *cæteris ego dico, non Dominus;* ergo D. Paulus plura scripsit instinctu proprio.

Resp. *Nego conseq.* Omnia enim illa sunt verba Dei; si autem loquitur Apostolus, ut distinguat consilium a præ-

[1] Num. 23, v. 19. — [2] Joann. 15, v. 26. — [3] In 2 ad Corinth., cap. 13, v. 3. — [4] Lib. 1, *de Doctr. Christ.* — [5] I Corinth. 7, n. 12.

cepto, ut interpretatur D. Thomas, cum dicit : *Præcipio, non ego, sed Dominus*, indicat præceptum; cum dicit : *Ego dico, non Dominus*, indicat consilium, ita ut sensus sit : *Ego consulo, sed Dominus præcipit*, sicut infra ait : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do;* et ne quis putet consilium Apostoli esse humanum, et parum curandum, adjecit : *Puto autem quod et ego spiritum Domini habeam :* id est, consilium meum, Deo inspirante, conceptum est. Nec refert quod dicat, *puto :* hic enim Apostolus *sobrie loquitur*, ait Dionysius Carthusianus, *minusque dicit et majus significat, ut sensus sit, puto, id est certe scio.*

INST. 2. Apostolus [1] ait : *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia* (id est materia) *gloriæ*. Et infra, *in quo quis audet* (supple, gloriari) *in insipientia dico; audeo et ego.*

Ex hoc textu sic argumentor :

Blasphemum est verba Spiritus Sancti in insipientia dicta affirmare, nec esse secundum Deum dicta; ergo Apostolus spiritu hominis locutus est.

RESP. *Dist. ant.* In insipientia vera, *nego ant.*, in insipientia apparenti, *conc. ant.* Nam Apostolus dicit cap. 11 ejusdem Epistolæ : *Si voluero gloriari, non ero insipiens*, unde est revera sapiens, sed *quasi insipiens*, id est insipiens apparenter, qui tanquam insipientis personam assumere, et seipsum jactare videretur; verum hæc quæ stultitia esse videbatur, erat Dei sapientia : non enim gloriabatur ex vanitate, sed ex charitate; non sponte, sed coactus, ne videlicet Corinthii, eo quasi inferiore contempto, Pseudo-Apostolos, *qui gloriabantur secundum carnem*, honorificarent in propriæ salutis detrimentum; ita exponit Dionysius Carthusianus.

OBJ. 2. Deus potest nos fallere per ministros quibus ad scribendum usus est. Ergo.

[1] 2 Corinth., 11.

Prob. ant. Ezech., 14 : *Homo qui posuerit immunditias in corde suo, et venerit ad Prophetam, interrogans per eum me, ego, Dominus, respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum : et Propheta cum erraverit... ego, Dominus, decepi Prophetam illum.* Ergo Deus per alios potest decipere.

Resp. *Dist. conseq.* Potest decipere positive, errorem inspirando, *nego cons.;* permissive, *conc. cons.* Potest enim Deus permittere ut qui ex sese prophetare præsumit, in errorem prolabatur.

Inst. Atqui Deus decipit positive, imperando nempe ministris suis ut decipiant. Ergo.

Prob. subsumpt. Cum Dominus aliquando interrogasset [1] : *Quis decipiet Achab? Egressus spiritus : ego,* inquit, *decipiam illum... Ero spiritus mendax in ore Prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies et prævalebis : egredere et fac ita.* Ergo.

Resp. *Nego conseq.* Nam verbum imperandi non semper aut præceptum, aut consilium secum, sed aliquando etiam permissionem importat, ut apud Joan. 3: *Quod facis, fac citius,* dixit Judæ, non imperando, sed permittendo.

Obj. 3. Abraham mentitus est [2] dicens pueris : *Exspectate hic; ego et puer, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Unde Ambrosius [3] ait : *Ipse solus disponebat redire immolato filio... captiose autem locutus est cum servulis, ne, cognito negotio, aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet.* Ergo.

Respondet Augustinus [4] : *nego maj.* non enim contra id quod mente gerebat, locutus est; nam credidit filium protinus suscitandum, quemadmodum videtur tradere Apostolus dicens : *Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur... arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus* [5].

Obj. 4. Jacob [6] patrem suum Isaac, mendacio de industrai confícto, decepit dicens : *Ego sum primogenitus tuus Esau:* ergo mentitus est Jacob idque agnovit pater Esau dicens;

[1] 3 Reg. 22. — [2] Genes. 22. — [3] Lib. 1, de Abrah., cap. 8.
[4] Serm. 1, de Immolat. Isaac. — [5] Hebr. 11. — [6] Genes. 22.

Venit germanus tuus fraudulenter. Atqui ea omnia Jacob fecit et dixit ex revelatione divina, ut tradit Innocentius I [1].

Resp. *Nego ant.* Nam Jacob erat primogenitus Isaac, non quidem secundum carnem, sed secundum jus, tum emptionis, tum concessionis Dei, qui eum in primogenituram substituerat; quod jus ipsi innotuit, vel Deo revelante, vel matre instruente, quam Dei familiare consilium habuisse dicitur [2].

QUÆSTIO II.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ AUCTORE.

Quæres 1. *Quis est auctor principalis Sacræ Scripturæ?*

Resp. Est ipse Deus, qui eam Prophetis et Apostolis, quasi dictando, inspiravit. *Ipse scripsit*, inquit D. Gregorius Magnus [3], *qui et illius operis inspirator extitit.* Atqui Deus Scriptoribus sacris inspiravit quidquid scriptis mandarunt juxta illud [4] : *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ergo.

Quæres 2. *Quinam fuerunt auctores Scripturæ instrumentales?*

Resp. Fuerunt homines quibus Deus ad scribendum usus est, juxta illud Zachariæ : *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt Prophetarum ejus* [5]. Et illud Apostoli [6] : *Olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

Quæres 3. *Quomodo Deus Scriptoribus sacris afflaverit quæ scripserunt; an per revelationem, inspirationem, peculiarem assistentiam, an per simplicem approbationem eorum quæ humanitus scripserunt.* Ante responsionem

Nota. Revelatio est veritatis antea ignotæ manifestatio a Deo facta, ut diximus ubi de revelatione.

[1] Cap. *Gaudeamus*, de Divort. — [2] Genes 25, v. 13. — [3] Præfat. in Job. — [4] 2 Petri, 1. — [5] Luc. 1. — [6] Hebr. 1, v. 1.

Inspiratio est incitatio quædam interior, qua quis impellitur ad aliquid fixum et determinatum scribendum, sive antea fuerit notum, sive non. Porro inspiratio illa duo complectitur, nimirum *mentis illustrationem* et *motionem voluntatis*. Per mentis illustrationem, Author sacer dirigebatur ne erraret in iis referendis quæ jam aliunde noverat. Per motionem voluntatis, a Deo excitabatur ad scribendum, et veritati firmiter ac constanter adhærendum.

Specialis assistentia est peculiare auxilium, quo Deus ita dirigit scriptorem, ut in his quæ sua sponte scribit, non erret. His notatis,

Resp. 1. *Ad Scripturam Sacram non sufficit quod, postquam illa est humano spiritu scripta, Deus illam approbet* [1].

Prob. Quia, juxta illam sententiam, Scriptura non esset verbum Dei; nam de essentiali ratione verbi est ut intrinsece procedat ab eo cujus est verbum; atqui per hoc quod Deus approbat aliquam Scripturam, illa non procedit de ore ejus : ergo non est ejus verbum, nec Deus est illius author, sed tantum censor.

Hinc Theologi Lovanienses et Duacenses hanc propositionem censura affecerunt : *Liber aliquis* (qualis forte est 2 *Machab.*) *humana industria, sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura Sacra.*

Dices 1. Apostolus [2] refert hanc Epimenidis poetæ sententiam : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri;* atqui illa sententia habetur ut Scriptura Sacra et verbum Dei, eo quod Deus eam ut veram per suum Apostolum approbaverit. Ergo.

Resp. *Dist. min.* Illa sententia est Scriptura Sacra, prout est dicta ab illo poeta, *nego min.;* prout est scripta ab Apostolo ex inspiratione Spiritus Sancti, qui ejus mentem et calamum dirigebat, *conc. min.* Unde addit Apostolus : *Hoc testimonium verum est.*

[1] Est contra Nieremberg., de Orig. Scripturæ. — [2] Ad Tit. 1, v. 12.

DICES 2. Libri Machabæorum sunt Scriptura Sacra; atqui illi libri sunt abbreviatio quinque librorum Jasonis Cyrenæi ut dicitur cap. 2 illius libri : *Itemque a Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno libro breviare.* Ergo

RESP. *Fist. maj.* Sunt Scriptura Sacra, prout sunt scripti a Jasone Cyrenæo, *nego maj.* prout sunt inspirati et scripti a Spiritu Sancto per ejus ministrum, *conc. maj.* Sic enim sunt verbum Dei proprie.

INST. 1. Scriptura a Deo approbata tam est infallibilis veritatis, ac si a Spiritu Sancto esset dictata. Ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Quia ad Scripturam divinam duo requiruntur : 1. ut sit infallibilis; 2. ut Deus sit illius author, dictator ac inspirator : porro Scriptura approbata a Deo esset quidem infallibilis veritatis, sed non esset a Deo dictata; ergo nec divina.

INST. 2. Si quis a secretis regis ex propria mente scribat epistolam, quam postea rex approbet, et cui subscribat, ejusdem erit authoritatis : ergo erit scriptura regis ejusque verbum.

RESP. *Nego conseq.* Quia non est scripta, nec dictata a rege, unde non est verbum regis, nec scriptura regia.

RESP. 2. *Ad Scripturam Sacram non sufficit specialis Spiritus Sancti assistentia :* alias definitiones Conciliorum essent Scriptura Sacra, cum fuerint ex speciali Spiritus Sancti assistentia conditæ.

RESP. 3. *Ad plures Scripturæ Sacræ sententias requisita fuit divina revelatio, sed non ad omnes.*

PROB. Ad ea sola necessaria fuit revelatio divina, quæ antea Scriptores sacri ignorabant : atqui non omnia quæ scripta sunt, antea Scriptores sacri ignorabant; multa enim propriis oculis viderant, auribus audierant, ut asserit D. Joan. [1] : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ testamur et annuntiamus vobis.* Ergo, etc.

[1] Epist. 1, cap. 1, v. 1 et 2.

Resp. 4. *Ad Scripturam Sacram necessaria fuit vera et proprie dicta Spiritus Sancti inspiratio.*

Prob. Ex D. Petro dicente[1] : *Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, loculi sunt sancti Dei homines.*

Hæc est hodie omnium catholicorum sententia, inter quos etiam est controversia ; nam aliqui docent[2] res et sententias Scripturæ Sacræ fuisse a Spiritu Sancto inspiratas, verba vero, verborum ordinem ac stylum uniuscujusque scriptoris ingenio permissa fuisse ; alii e contra existimant nedum res et sententias a Spiritu Sancto fuisse inspiratas, sed etiam verba et stylum : utraque opinio est probabilis ; verum utraque pariter magnas contra se habet difficultates. Contra primam enim objicitur : Christus[3] dicit discipulis suis : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et Dominus ad Jerem.[4] ait : *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Atqui hic modus loquendi, indicat non solum sententias et sensus, sed etiam *videtur insinuare* singula verba eorumque ordinem esse a Deo inspirata ac directa : nam de ratione verbi est ut procedat ab illo, cujus est verbum tanquam a dicente, ad eumque dicat relationem originis, ut bene notat D. Th.[5]. Ergo quidquid est in Scriptura est dictum ab ipso Deo. Ergo, etc.

Et ex quibusdam SS. Patribus, Aug.[6] dicente : *Cum illi scripserunt, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit, quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt ; quid enim ille* (Christus) *de suis factis et dictis non tegere voluit, hæc scribendum illis, tanquam suis manibus imperavit.* Et Gregorius Magnus[7] ait : *Quis hæc scripserit, supervacanee quæritur ; cum author libri Spiritus Sanctus fideliter creditur... Cum ergo rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum Sanctum*

[1] 2 Petri 1. — [2] Sanchez, l. 1, Machab., c ult.; Tirin., cap. 2, n. 27, etc. — [3] Matth. 10. — [4] Jerem., cap. 1, v. 9. — [5] Lib. 1, *de Verit.*, q. 4, art. 2, et lib. 4, contra Gentes, cap. 11. — [6] Lib. 1, *de Consensu Evang.*, cap. ult. — [7] Præfat. in Job.

auctorem tenemus, qui auctorem scimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo perscrutamur? Ergo auctores sacri fuerunt tantum instrumentum quo Deus usus est ad scribendum : hinc regius Psal. psalm., 44, de ipso dicit : *Lingua mea calamus scribæ*, nempe Dei, *velociter scribentis;* atqui calamus non ex se, sed a scribente, usque ad ultimum apicem, accipit quæ litteris mandat. Ergo, etc.

Contra vero secundam sententiam hæc objiciuntur: Si Spiritus Sanctus cuncta verba Scripturæ eorumque ordinem dictasset; 1° non esset diversus Scriptorum sacrorum stylus; 2° Apostolus [1] non diceret se esse *imperitum sermone;* 3° author libri Machab. cap. ult. veniam non peteret dicens : *Si autem minus bene, concedendum est mihi.* 4° Verba institutionis Eucharistiæ eadem essent, cum Christus diversa non protulerit; et alia quæ videri possunt apud adversarios hujus sententiæ.

Ast, quia Deus, sicut non deest in necessariis, ita neque abundat in superfluis, nos inter laxiores et rigidiores ejusmodi sententias, viam mediam insectantes dicimus cum et Marchini et R. P. Perronne [2].

CONCLUSIO.

Sacrarum Scripturarum divina inspiratio est singularis ea Spiritus Sancti moventis ad scribendum impulsio, directio ac præsentia mentem animumque Scriptoris gubernans, quæ eum non sinit errare, efficitque ut scribat quæ velit Deus.

Prob. Ea valet definitio, seu notio, quæ continet illa omnia quæ in inspiratione divina reperiuntur, quæ ad eam constituendam requiruntur ac sufficiunt, ex communi theologorum sententia : atqui in nostra definitione omnia illa, etc.

1° Quidem *excitationem* seu *impulsionem* ad scribendum; 2° *illustrationem* mentis ac *motionem* voluntatis; 3° *immunitatem*

[1] 2 Cor. 11, v. 6. — [2] *De Locis theol.*, p. 11, cap. 1, in præamb.

errandi in scriptore; 4° *delectum verborum* in auctore et delectum rerum scribendarum, sic ut nihil omittat, nihil adjiciat ad ea quæ Deus scribi ab ipso voluerit; 5° *assistentiam* continuam ac singularem in opere perficiendo.

Sic in tuto reponendo quidquid ad divinam inspirationem convenit, hagiographis scriptoribus relinquitur opus non solum vocabula conquirendi, verum etiam ea quæ ad susceptum inspiratumque à Deo institutum pertinet, quoties aggressi sunt mandare litteris historias, morales sententias et similia quæ eorum animo observabantur, vel naturali poterat facultate observari, ut Spiritum fecisse patet ex lib. Mach., cap. 11, v. 27.*

Objicies. Scriptores sacri, in suis libris scribendis, adhibuerunt diligentiam humanam, ut narrat author libri 2 Machab. his verbis : *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus.* Ergo omnia non sunt ipsis inspirata, sed ex sua industria comparata.

Resp. *Dist. ant.* Adhibuerunt diligentiam humanam tanquam dispositionem antecedentem, ut per illam mererentur a Spiritu Sancto illuminari ac moveri ad scribendum, *conc. ant.;* adhibuerunt diligentiam et laborem, cum manus adhibuerunt ad scribendum, *nego ant.;* tunc enim singula verba Spiritus Sanctus inspiravit. Ita refert D. Ambros.[1] : *Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes non conati sunt, sed Divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium dictante, sine ullo molimine cœptum compleverunt.*

Inst. Si auctores sacri scripsissent inspirante Spiritu Sancto, non loquerentur cum dubitatione; atqui sic sæpe loquuntur, ut constat ex particulis, *quasi, fere, circiter*, quibus utuntur. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Quando enim his particulis usi sunt Scriptores sacri, non ideo usi sunt quod numerum nesci-

[1] In cap. 1 Luc.

rent, sed uti familiari hominum loquendi modo sese accommodarent; et in hunc finem has particulas Deus ipsis inspiravit, æquum ducens, ut eo modo scriberent quo homines in suis narrationibus solent loqui.

QUÆRES. *Quinam homines fuerint sacrorum librorum auctores?*

RESP. De libris Novi Testamenti nulla est difficultas; circa libros Veteris Testamenti variant Doctores; nos tum quidquid est certum, tum quidquid est probabilius, referemus breviter, candidatos ad cognitionem prolixiorem remittentes ad Sacræ Scripturæ interpretes. Itaque

1. Juxta omnes Patres, Pentateuchum fuit a Moyse scriptum, ut constat ex multis Scripturæ locis [1]. Excipiendum tamen videtur ultimum caput Deut., ubi refertur mors Moysis: quamvis enim quidam existiment ipsum Moysen hoc de se, spiritu prophetico ante mortem scripsisse, tamen verisimilius est quod vel a Josue, vel ab Eleazaro scriptum fuerit, inspirante Spiritu Sancto, vel, ut alii volunt, ab Esdra.

DICES : *Genes.*, 14, fit mentio civitatis *Dan;* atqui tempore Moysis vocabatur *Lais*, et nonnisi diu post mortem Moysis accepit nomen *Dan*, ut dicitur Judicum 18 : *Vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui quem genuit Israel.* Ergo.

RESP. *Nego conseq.* Nam vel nomen *Dan* a Josue, vel Esdra fuit additum, vel ut alii volunt, Moyses spiritu prophetico eam urbem sic vocavit prævidens eam aliquando sic vocandam; quo modo nomen *Cyri Regis*, multis retro sæculis ante ejus nativitatem, fuit revelatum Isaiæ cap. 44, vers. 28.

2. Librum Josue scripsit ipsemet Josue, ut ipsemet declarat [2] : *Scripsit* (in Græco et Hebræo additur *Josue*) *omnia verba hæc in volumine legis Domini.* Verumtamen, quæ cap.

[1] Exod. 17, 14; Deut. 31, 9; Joann. 1, 45; Marci, 11, 17.
[2] Josue, cap. ult., vers. 26.

ult. leguntur, tum de morte Josue, tum de his quæ post ejus mortem acciderunt, addita fuerunt ab Esdra, vel ab alio sacro scriptore.

3. Liber Judicum, juxta aliquos, fuit scriptus ab Esdra, juxta alios ab Ezechia, sed juxta probabiliorem sententiam fuit scriptus vel compilatus a Samuele, ultimo Judicum [1]. Nam juxta Abulensem quilibet Judex gesta sui temporis ad perpetuam memoriam redigebat in Commentaria, quæ Samuel in unum collegit librum, ne acta Judicum essent in tot Tractatus dispersa.

4. Auctor libri Ruth est incertus, tamen verisimilis videtur fuisse Samuelem, ut senserunt Rabbini [2]. *Ratio est*, quia hic liber pertinet partim ad librum Judicum, cum historia Ruth contigerit *in diebus unius judicis* [3]; partim etiam ad librum Regum, cum Davidis genealogiam narret: atqui Samuel existimatur auctor libri Judicum, et etiam prioris partis libri Regum. Ergo.

5. In confesso est apud omnes Samuelem scripsisse librum 1 Regum usque ad caput 25, in quo narratur ejus mors. Probabilius est Nathan et Gad continuasse librum 1 et 2 Regum, ut videtur declarari lib. 2 Paralipomenon, cap. ult., ubi dicitur : *Gesta autem Davidis Regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, et in libro Nathan Prophetæ, et in volumine Gad videntis.*

6. Quoad libros 3 et 4 Regum communior sententia docet ipsos scriptos a Jeremia Propheta [4]. Ratio Doctorum est, quia Jeremias vidit illa posteriora tempora et captivitatem, et quia caput ultimi libri 4 Regum cum capite postremo libri Jeremiæ, stylo, verbis et narratione cohæret et convenit.

7. Circa libros Paralipomenon est controversia : alii vo-

[1] Ita D. Isidor., lib. 6, Etymolog., cap. 1; Abulen., q. 4, præf. in judices. — [2] Apud Serarium in prolegom., q. 4. — [3] Ruth, 1, vers. 1. — [4] Ita D. Hieronym., *Prologo Galeato*, D. Isidorus et multi Rabbini quos citat et sequitur Sixtus Senens's, lib. 1, Bibliothecæ.

lunt Jeremiam, alii probabilius Esdram esse illorum auctorem, tum quia Esdras de libertate populi cum Cyro Rege egit, tum quia idem est finis libri 2 Paralipomenon, e libri primi Esdræ.

8. Esdras fuit auctor libri primi Esdræ, et Nehemiæ libri secundi. Est certum.

9. Auctor libri Tobiæ fuit uterque Tobias, nam Angelus cap. 12 utrumque Tobiam alloquens, dixit : *Narrate omnia mirabilia ejus* (Dei), pro quo LXX habent : *Scribite omnia quæ consummata sunt in libro.* Finis tamen capitis ultimi, ubi narratur mors Tobiæ junioris, scriptus est ab alio, incertum a quo.

10. Auctor libri Judith est incertus; aliqui putant fuisse Joachim summum Pontificem, cujus ibi fit mentio.

11. Auctor libri Esther fuit Mardochæus conformiter ei quod cap. 9 legimus : *Scripsit itaque Mardochæus omnia, et litteris comprehensa misit ad Judæos. Et Mardochæus rei memoriam litteris tradidit.*

12. Auctor libri Job est incertus, probabilius tamen est fuisse Moysem, ut testatur Div. Isodorus [1], Origenes, Bellarminus, etc.

13. Librum Psalmorum quidam probabiliter existimant scriptum partim a Davide, partim ab iis qui nominantur in eorum titulis; alii tamen probabilius censent totum esse scriptum a Davide, quoniam hæc est communior sententia tradita ab Augustino [2], Ambrosio [3], Chrysostomo et Theodoreto [4], cui etiam non parum suffragantur quod Christus [5] librum Psalmorum Davidi adscribat, ac insuper quod nec Christus, nec Apostoli allegent unquam aliquos Psalmos sub alterius, quam sub Davidis nomine.

Quod autem quorumdam aliorum nomina præfigantur in titulis, hoc ideo est, vel quia ipsis Psalmi dati erant ad canendum, ut sunt *Asaph, Iditkum, Ethan,* et *filii Chore :*

[1] Lib. 1, *de Officiis.* — [2] Lib. 17, *de Civ. Dei,* cap. 14. — [3] In Psalm. 45 et 47. — [4] Præf. in Psalm. — [5] Luc. 20.

vel quia David in spiritu prævidit eos similia cantaturos, vel facturos, ut sunt Jeremias et Ezechiel, Aggæus et Zacharias [1], vel quia introducuntur loquentes, ut Moyses [2].

14. Salomonem scripsisse libros *Proverbiorum, Ecclesiasten, Cantica Canticorum,* est constans omnium traditio, idque patet ex initio illorum librorum.

15. Libri *Sapientiæ* auctor est Solomon : ista enim verba: *Tu autem, Domine, elegisti me Regem populo tuo... et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo* [3], de nullo verificari possunt, præterquam de Salomone; unde Eusebius [4] ait : *Egesippus, et Irenæus, et omnium antiquorum chorus, librum, qui adintitulatur* Sapientia, *Salomonis esse disserunt sicut et Proverbia ;* atqui Proverbia sunt certo Salomonis. Ergo.

16. Auctor libri *Ecclesiastici* est Jesus, filius Sirach, ut colligitur ex cap. 50 hujus libri : *Doctrinam Sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita.*

17. Certum est libros prophetarum fuisse scriptos a Prophetis quibus adscribuntur.

18. Auctores librorum Machabæorum *nobis sunt ignoti, soli Deo cogniti*, ut recte dicit D. Isodorus [5].

QUÆSTIO III.

DE SACRARUM SCRIPTURARUM CANONE.

Nota. 1. Hæc vox *Canon*, sumitur duobus modis : 1. Pro regula; 2. pro Catalogo; utroque sensu Scripturæ libri sunt canonici; 1. enim, sunt fidei ac morum regula; 2. certo ac determinato Catalogo, seu numero, continentur. *Salubri vigilantia*, ait Div. Augustinus [6], *Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum et Apostolorum libri pertineant... secundum quos de cæteris, vel fidelium, vel infidelium libris libere judicamus.*

[1] Psalm. 64, 111 et 145. — [2] Psalm. 89. — [3] Sapient. 9, vers. 7.— [4] Lib. 4, Hist., cap. 22. — [5] Lib. *de Script. eccles.* — [6] Lib. 2 *Contra Crescon.*, cap. 31.

Nota. 2. Scriptura *Sacra* et *Canonica* propriis notionibus differunt : nam ad Scripturam Sacram sufficit quod Deus sit illius auctor; ad Scripturam vero Canonicam, ultra requiritur quod ab Ecclesia proponatur tanquam a Deo dictata et inspirata. Hinc

Nota 3. Scripturæ libri alii dicuntur canonici, alii apocryphi. *Canonici* sunt illi qui in canone Ecclesiæ sunt recepti. *Apocryphi* sunt illi qui in canone Ecclesiæ non sunt recepti, quia de iis non certo constat quod sint divini, licet forte tales sint, ex quibus hæc pauca videntur exstare, ait Bellarminus [1]: *Oratio Manasse*, *libri* 3 *et* 4 *Esdræ*, *libri* 3 *et* 4 *Machabæorum*, *Psal.* 151, qui reperitur in græcis codicibus, et cujus meminit Athanasius in synopsi; *Appendix libri Job*, *liber Hermetis*, qui inscribitur *Pastor*.

Nota 4. Agemus hic, 1. De canone Judæorum usque ad adventum Christi inclusive; nam postea multæ hæreticæ Synagogæ multis erroribus pullularunt; 2. de canone Catholicorum; 3. de Veteris Testamenti libris canonicis in particulari; 4. de Novi Testamenti libris canonicis item in particulari; 5. de canone Hæreticorum.

ARTICULUS I.

DE CANONE JUDÆORUM.

QUÆRES 1. *Quot libros continuit canon Hebræorum?*

RESP. Juxta communiorem, et magis receptam D. Hieronymi sententiam, continuit libros 22, juxta numerum litterarum alphabeti Hebraici. Ita Joseph lib. 1 *contra Appionem;* Origenes, *apud Eusebium*, lib. 6 *Hist.* cap. 23.

QUÆRES 2. *Quomodo Hebræi dividebant suum canonem?*

RESP. Dividebant in Legem, Prophetas, et Agiographos, id est, Libros tertii ordinis; quam partitionem, tanquam tunc communem, indicavit Christus [2] dicens : *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis, Prophetis et Psalmis de me.* Ubi sub illis tribus membris totam Scripturam

[1] Lib. *de Verbo Dei*, cap. 4. — [2] Luc. 24, vers. 44.

comprehendit, et sub *Psalmis* tanquam nobiliori parte comprehendit Libros *Agiographos*.

Sub lege includebantur quinque libri Moysis.

Sub Prophetis includebantur octo Libri, scilicet : 1. *Liber Josue*, 2. *Liber Judicum cum Ruth*, 3. *Samuel*, id est primus et secundus Regum; 4. *Malachim*, id est tertius et quartus Regum; 5. *Isaias;* 6. *Jeremias cum Threnis;* 7. *Ezechiel;* 8. Liber *duodecim minorum Prophetarum*.

Sub Agiographis reponebantur novem libri, nempe *Job, Psalterium Davidis, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Daniel,* exceptis 67 versiculis capitis tertii, nempe a 24 ad 90 ; *Paralipomenon, Esdras* et *Esther*.

Hinc libri *Tobiæ, Judith, Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, primus et secundus Machabæorum*, licet fuerint in magna veneratione apud Hebræos, non tamen erant repositi in eorum canone.

Dices : Mileto Sardensis apud Eusebium [1] 24 libros recenset in canone Hebræorum, et Epiphanius [2] numerat 27. Ergo sunt plusquam 22 libri.

Resp. *Nego conseq.* Ideo enim aliqui recensent 24 libros, quia dividunt librum Judicum a libro Ruth, Jeremiam a Threnis. Alii autem qui libros 27 numerant : 1. *Samuel* et *Malachim* dividunt in quatuor libros Regum. 2. Ex uno Paralipomenon faciunt duos. 3. Ex uno Esdræ cum Nehemia faciunt duos, primum et secundum Esdræ: unde per illam diversam computationem non augetur numerus librorum.

Quæres 3. *Utrum apud Hebræos extiterint alii libri, et an fuerint sacri et canonici?*

Resp. *ad primum.* Plures alios recensent auctores, ut sunt *liber bellorum Domini, liber Justorum, liber verborum Salomonis*, et multi alii, quos enumerare inutile ac superfluum est, cum jam hodie nullus illorum exstet.

Resp. *ad secundum.* Cum D. Augustino [3], illos libros nec

[1] Lib. 4, *Hist.*, cap. 26. — [2] Heresi 8. — [3] Lib. 18, *de Civit. Dei* cap. 38.

sacros, nec canonicos fuisse, quia licet illos scripserint Prophetæ, tamen eos non scripserunt ut Prophetæ, sed *sicut homines, historica diligentia;* unde asserit tales libros pertinuisse *ad ubertatem cognitionis, non ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur Canon.*

QUÆRES 4. *Quisnam fuit auctor Canonis Hebræorum?*

RESP. Fuit Esdras, qui libros sacros, antea dispersos, in unum redegit Scripturarum catalogum, seu Canonem; qui tamen Canon habuit suam auctoritatem a Synagoga, quæ Canonem Esdræ probavit. Ita referunt Irenæus [1], Clemens Alexandrinus [2], Theodoretus [3].

ARTICULUS II.

DE CANONE CATHOLICORUM.

QUÆRES 1. *Cujusnam sit definire num aliquis liber sit sacer?*

RESP. Est solius Ecclesiæ.

PROB. Definire num aliquis liber sit sacer, vel est ipsiusmet Scripturæ Sacræ, quæ seipsam ab aliis Scripturis sufficienter distinguit, sicut lux seipsam distinguit a tenebris, ut volunt sectarii; vel est spiritus privati cujusque, ut asserunt iidem; vel est Ecclesiæ.

Atqui 1. *non est ipsiusmet Scripturæ,* quia licet per se notum sit lucem esse lucem et non tenebras, non est tamen per se notum, eam Scripturam quæ sacra est, esse sacram, tum quia multo tempore, etiam apud sanctos Patres, de quorumdam librorum divinitate dubium fuit; tum quia ex Scriptura non potest haberi definitio cur Evangelium D. Matthæi sit Scriptura Sacra, potius quam illud quod a Sancto Matthia dicitur scriptum.

2. *Non est etiam spiritus privati cujusque:* spiritus enim ille ad opposita movet, ut maxime patet in Hæreticis, qui, licet affirment se a Spiritu moveri ac illuminari, oppositas

[1] Lib. 3, cap. 35. — [2] Lib. 1, Stromat. — [3] Præf. in Psalmos.

tamen, etiam in rebus ad fidem pertinentibus, sententia tenent.

Ergo restat ut solius Ecclesiæ, quæ est *columna et firma mentum veritatis* [1], sit definire et determinare quinam libri sint divini, juxta illud Conc. Toletani I, in assert. fidei : *Si quis dixerit vel crediderit alias Scripturas, præter eas quas Ecclesia Catholica recipit, in auctoritate habendas, vel venerandas esse, anathema sit.* Cui conforme est illud D. Augustini [2] : *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

Confirm. Quia cum Antiochiæ difficultas esset exorta circa legalium, quæ in Sacra Scriptura continentur, observationem, neque ad Sacram Scripturam, neque ad spiritum cujusque privati, sed ad Petrum aliosque Apostolos recursum est [3].

Objiciunt Hæretici : Si Ecclesiæ esset determinare canonicitatem Scripturæ, sequeretur majorem esse authoritatem Ecclesiæ, quam Scripturæ : absurdum conseq.

Prob. seq. maj. Illius qui judicat major est auctoritas quam ejus qui judicatur; atqui, si Ecclesiæ esset determinare canonicitatem Scripturæ, Ecclesia judicaret de Scriptura. Ergo.

Resp. *nego maj.* Major est auctoritas illius qui judicat judicio potestatis et excellentiæ, quam habet supra eum qui judicatur, *conc. maj.* judicio discretionis et declarationis, *nego maj.* Atqui si Ecclesiæ esset determinare canonicitatem Scripturæ, Ecclesia judicaret de Scriptura judicio potestatis et excellentiæ, *nego min.* judicio *discretionis*, eam scilicet discernendo a non sacra, et judicio *declarationis*, testificando ac declarando hanc Scripturam esse pro sacra habendam, sicut etiam declarare potest quod Deus noster sit Deus verus, dii autem gentium dæmonia, *conc. min.* Illud autem judicium, etsi circa Scripturam, cui nullam confert auctoritatem, non sit auctoritativum, est ta-

[1] 1 ad Tim., 3. — [2] L. *Contra Epist. fundam.*, cap. 5. — [3] Act. 15

men auctoritativum erga fideles ad quos dirigitur, qui idcirco debent illi acquiescere.

INST. Ecclesia per suum judicium dat Scripturæ Sacræ auctoritatem; ergo judicium Ecclesiæ erga Scripturam est auctoritativum.

RESP. *Dist. ant.* Dat auctoritatem intrinsecam, quæ ei secundum se, seu prout est Scriptura Sacra, convenit, *nego ant.* extrinsecam, seu quoad nos, *conc. ant.* Itaque Scriptura, etiam absque judicio Ecclesiæ, divina est et divinæ auctoritatis secundum se, quamvis apud eos qui nesciunt esse divinam, eam auctoritatem non habeat, nisi interveniente judicio Ecclesiæ declarantis illam Scripturam esse sacram.

QUÆRES 2. *Quos, et quosnam libros in suo Canone recipiat Ecclesia Catholica?*

RESP. Recipit libros 72, nimirum 45 Veteris Testamenti, et 27 Novi; hoc constat ex Concilio Tridentino, sess. 4, in suo de Scripturis canonicis decreto, quod sic est : *Sacrorum librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur.* Hinc Concilium enumerat omnes libros canonicos Veteris et Novi Testamenti; postea sic concludit : *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus... pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.*

Objiciunt 1 *Hæretici.* Concilium Tridentinum non potuit canonicos declarare illos libros Veteris Testamenti, qui non erant in Canone Judæorum. Ergo.

Prob. ant. Concilium Tridentinum nullos Veteris Testamenti libros potuit declarare canonicos, nisi traditione Judæorum; atqui ex hac traditione non potuit canonicos declarare illos libros qui non erant in Canone Judæorum. Ergo. *Resp. nego min.*

Prob. min. Judæi non habuerunt pro canonicis illos libros qui non erant in suo Canone. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Non habuerunt pro canonicis explicite, *conc. min.;* implicite, *nego min.* Itaque Judæos *implicite* pro canonicis habuisse libros, qui non erant in Canone Esdræ, constat ex summa veneratione qua illos prosecuti sunt et conservarunt; illos tamen non habuerunt *explicite* pro canonicis, quia de illorum auctoritate nullum Synagoga tulerat decretum, quod tamen Apostoli et peculiari Spiritus Sancti revelatione postea tulerunt. Illud autem judicium revera ab Apostolis latum fuisse Concilium Tridentinum colligit ex continua omnium sæculorum traditione. Huic responso favet D. Augustinus [1], dicens : *Libros Machabæorum, non Judæi*, explicite, *sed Ecclesia pro canonicis habet.*

Objiciunt 2. Illi soli Veteris Testamenti libri sunt canonici, qui a Christo et Apostolis citantur in Novo Testamento; atqui non omnes qui sunt in indice Tridentino citantur, etc.

Resp. *nego maj.* Alias nec liber *Judith*, nec *Ecclesiastes*, nec *Cantica Canticorum*, nec *Abdias*, nec *Sophonias*, qui sunt in Canone Judæorum, essent canonici, cum eorum testimonio nec Christus, nec Apostoli unquam usi fuerint : quod est hæreticum.

Objiciunt 3. Nonnulli ex antiquis cum D. Hieronymo [2], ex Canone Christiano expunxerunt libros *Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, Amos, Machabæorum;* ergo revera non sunt canonici.

Resp. *nego conseq.* Ideo enim ab aliquibus ex antiquis Patribus et a D. Hieronymo libri, de quibus agitur, non sunt relati in Canonem, quod ad præcipuarum Ecclesiarum traditionem, ut par erat, non attenderint; ut constat ex eo quod ubi primum in notitiam D. Hieronymi venit declaratio Concilii Nicæni, librum Judith velut Scripturam canonicam agnoverit [3], dicens : *Hunc librum Synodus Nicæna in numero Sacrarum Scripturarum legitur computasse.*

Objiciunt 4. In libris Sapientiæ, Ecclesiastici, Judith, To-

[1] Lib. 18, *de Civ. Dei*, cap. 36. — [2] Præf. in Proverb. necnon in Prologo Galeato. — [3] Præf. in Judith.

biæ sunt multæ contradictiones multique errores, tum contra veritatem historiæ, tum contra fidem; ergo a Concilio Tridentino non debuerunt referri in Canonem.

Resp. *nego ant.* Illa enim omnia sunt fictitia veraque Hæreticorum mendacia, quæ evanescunt ex lectione Commentariorum Catholicorum, et ex iis quæ Articulo quinto dicemus.

Quæres 3. *An Canon sacrorum librorum mox laudatus primum a Concilio Tridentino fuerit conditus?*

Resp. *negat.* Sed ab antiquissimo tempore in Ecclesia Dei fuit constitutus, nam expressis terminis traditur.

1. Ab antiquissimo Concilio Laodicensi, cap. 59, sub S. Silvestro Papa, anno 314 celebrato.

2. Ab Innocentio[1], qui asserit omnes hos libros ut divinos esse excipiendos, juxta traditionem ab apostolicis temporibus in Ecclesia Romana conservatam.

3. A Concilio Carthaginense III, cui interfuit D. Augustinus, anno 419.

4. Ab Augustino lib. 2 de Doctrina Christiana, cap. 8, qui insuper[2] dicit: *Salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est.*

5. A Gelasio I, in Concilio Romano 70 Episcoporum.

6. Ab Eugenio IV, in Concilio Florentino in instructione pro Armenis, et tandem a Concilio Tridentino, quod ad continuam traditionem a primæva Ecclesia ad hæc usque tempora attendens, suum de libris canonicis condidit decretum.

Nec dicas: Fere omnes isti Patres non numerant in suo catalogo librum Baruch. Ergo.

Resp. *nego conseq.* Nam illi Patres librum Baruch comprehendunt sub nomine Jeremiæ, cujus Baruch fuit scriba; unde prophetias Baruch allegant tanquam si essent Jeremiæ.

[1] Ep. 3 ad Exuperium, ann. 408. — [2] Lib. 2 *Contra Cresc.*

Quæres 4. *Quomodo dividuntur libri canonici?*

Resp. 1. Dividuntur in Protocanonicos, et Deuterocanonicos.

Libri *Protocanonici* sunt illi qui semper et ab initio in canonem Ecclesiæ fuerunt relati.

Libri *Deuterocanonici* sunt illi qui ab initio in canonem Ecclesiæ non fuerunt relati, eo quod aliqui Catholici de eorum veritate dubitarent; quos tamen successu temporis in suum canonem recepit Ecclesia; et sunt sequentes:

Tobias, *Judith*, *Esther*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Baruch*, *pars aliqua Danielis*, nempe Hymnus trium puerorum, cap. 3, Historia Susannæ, cap. 12, historia Draconis quem Daniel interfecisse dicitur, cap. 14; *Oratio Jeremiæ; libri primus et secundus Machabæorum; Marci caput ultimum ab his verbis*: surgens autem Jesus; *Historia de sudore Christi sanguineo*, *Angelica apparitione et consolatione*, quæ Lucæ 22 legitur; *Historia de muliere adultera*, quæ legitur Joann. 8; *Epistolæ ad Hebræos*, *Jacobi et Judæ*, *secunda Petri*, *secunda et tertia Joannis*, et tandem *Apocalypsis*. Cæteri omnes sunt Protocanonici.

Resp. 2. Ratione materiæ de qua tractant, dividuntur in legales, historicos, sapientiales, et propheticos, de quibus sit:

ARTICULUS III.

DE VETERIS TESTAMENTI LIBRIS CANONICIS IN PARTICULARI.

Quæres 1. *Quot sunt libri legales Veteris Testamenti?*

Resp. Sunt quinque, qui *Pentateucho* comprehenduntur, nimirum:

Genesis liber, qui mundi ortum, variosque eventus ad obitum usque Joseph refert [1]:

Exodus, qui continet duram populi Israelitici servitutem in Ægypto, admirandam ejus liberationem, Decalogi pro-

[1] Complectitur annos 2369.

mulgationem, et res gestas a morte Joseph usque ad erectionem tabernaculi [1].

Leviticus, in quo describuntur sacrificia, cæremoniæ et alii ritus qui pertinent ad ministerium Levitarum.

Numerorum liber, sic dictus, quia in eo fit enumeratio multitudinis filiorum Israel per tribus et familias; continetque res gestas ab exitu ex Ægypto ad annos 39.

Deuteronomium significat repetitionem Legis, sic dicitur, quia in eo repetitur Lex, jam antea in Exodo, Levitico, et Numeris inculcata.

QUÆRES 2. *Quot sint libri historici Veteris Testamenti?*

RESP. Sunt 17, nimirum:

Josue liber, qui continet ea quæ a Josue, ejusque principatus tempore gesta fuerunt, a morte scilicet Moysis, ad mortem ipsius Josue [2].

Judicum liber, populi Israelitici regimen sub judicibus, a morte Josue ad mortem Samsonis exponit.

Ruth liber, sic vocatur, quia texit historiam hujus mulieris Moabitidis, quæ nupsit Boozo, cui peperit Obed Davidis avum.

Regum liber I. Narrat res gestas sub judicibus Heli et Samuele, necnon sub rege Saule [3].

Regum liber II, describit res gestas a morte Saulis usque ad finem regni Davidis [4].

Regum liber III, exhibet historiam regni Salomonis, deinde, scisso in duas partes regno sub Roboam, describit res gestas quatuor regum Juda, et octo regum Israel [5].

Regum liber IV, continet historiam 16 regum Juda, et 12 regum Israel, usque ad extinctionem utriusque regni sub Sedecia rege [6].

Paralipomenon liber I, recenset propagationem gentis Israeliticæ ab Adamo usque ad reditum a captivitate Baby-

[1] Complectitur annos 143. — [2] Comprehendit annos 17. — [3] Complectitur ann. 101. — [4] Exhibet hist. 40 annorum circiter. — [5] Complectitur ann. 119. — [6] Historia 308 annorum.

lonica; deinde repetita a Davide historia, ejus regnum accuratius describit usque ad Salomonis unctionem.

Paralipomenon liber II, describit historiam à Salomone usque ad tempus quo Cyrus Judæis Jerusalem redeundi potestatem fecit : continet hic uterque liber historiam annorum 479.

Esdræ liber I, ea recenset quæ Judæis acciderunt postreditum e captivitate Babylonica, sub Cyro Persarum rege.

Esdræ liber II, sic dictus, quod ex Esdræ consilio scriptus fuerit a Nehemia, a quo vocatur etiam *liber Nehemiæ*. Describit urbis Jerosolymitanæ instaurationem, et labentis cultus divini renovationem. Uterque liber Esdræ continet historiam annorum circiter 38.

Tobiæ liber continet historiam utriusque Tobiæ; ex qua eruuntur eximiæ pietatis et Dei in suos providentiæ præclara documenta.

Judith liber exhibet miraculosam urbis Bethuliæ liberationem ab hac formosa muliere, quæ Holophernem exercitus Nabuchodonosoris regis Assyriorum ducem trucidavit.

Esther liber matrimonium Assueri regis Persarum cum hac virgine Judæa, quæ populum suum ab Aman persecutione, suadente Mardochæo, liberavit.

Job liber continet historiam illius sancti viri, eximiumque mirabilis patientiæ exemplum exhibet, et ideo ab aliquibus collocatur inter libros sapientiales ... Circa hunc librum notandum quod verba tum Dei, tum ipsius Job, Scripturæ canonicæ auctoritatem habeant; non autem verba ipsius amicorum, qui a Patribus dicuntur gessisse typum hæreticorum.

Dices, Historia Job est omnino fictitia; ergo non est vera.

Resp. *Nego ant.* Id enim non minus impie, quam falso asseritur; nam Scriptura facit mentionem Job tanquam viri justi, qui aliquando realiter extitit, et quem in exemplum patientiæ proponit. Sic Ezech. 1° dicitur : *Et si tres*

viri isti fuerint in medio ejus, Noe, Daniel et Job; ergo tam vere Job, extitit, quam Noe, et Daniel. Tobiæ 1' legitur : *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi* (Tobiæ) *ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicu et sancti Job..... nam sicut beato Job insultabant reges.....* Exemplum patientiæ in Tobia est reale; ergo et in Job de quo Jacobi 5 dicitur : *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt: sufferentiam Job audistis.* Quod certe non diceret si Job non esset realis persona, quod testificatur utraque Ecclesia græca et latina quæ ut virum sanctum colit, cujus festum celebrat sexto Idus Maii in Martyrologio Romano.

INST. 1. Nomina in historia Job commemorata sunt omnino parabolica; ergo illa historia est plane fictitia.

RESP. *Nego ant.* Nam ut Div. Chrysost. ait [1] : *Neque in parabola dicenda nomina sunt. Parabolæ illæ sunt, ubi ponuntur exempla, et tacentur nomina.* Sic etiam Tertullian. lib. *de Resurrectione carnis*, historiæ Lazari veritatem ex nomine confirmat. *Quid illic Lazari nomen*, inquit, *si non in veritate res est?* Ergo tantum abest ut nomina Job et amicorum historiæ veritati obsint, ut potius illam confirment.

INST. 2. Nomen Job significat *dolentem;* terra Hus, *terram consilii;* Baldad, *vetusta secreta;* Sophar, *speculatorem;* Eliphaz, *aurum Dei.* Ergo illa nomina sunt parabolica.

RESP. *Nego conseq.* Nam sæpe nomina in Scriptura relata habent congruentem rebus ipsis quæ geruntur significationem, sic Deo volente, præsagientibus parentibus nomina imponentibus, attamen personarum non officiunt realitati, ut constat de *Abel*, qui sic vocatus est, quod cito evanescere, et luctum parentibus afferre deberet. Sic quoque *Noe* dictus, quod *consolaturus* esset parentes suos *ab operibus manuum suarum.* Nemo tamen dixerit *Abel* et *Noe* fictas esse personas.

DICES 2. Liber *Job* metrice scriptus est, ut scribi solent

[1] Homil. de Divite.

comœdiæ, tragœdiæ; ergo dolorosam quamdam et ærumnis refertam fabulam continet.

Resp. *Dist. ant.* Metrice scriptus est in capitibus quæ varios continent dialogos, *conc.* in capitibus quæ simplicem narrationem referunt, *nego ant.* Itaque in libro Job distinguenda est historia a dialogis; simplex historia soluta oratione scripta est pro more omnium historiarum; e contra dialogi, cum affectibus pleni sint, carminibus, utpote ad varios exprimendos affectus maxime idoneis, fuere conscripti; poetica enim locutio est elegans, dulcis, compendiosa et quodam quasi librata pondere; verum hoc scribendi genus non officit rei scriptæ realitati, unde *Nego consequentiam.*

Dices 3. Josephus, qui historiam a primis initiis texuit, non meminit ipsius Job; ergo historia Job non est vera.

Resp. *nego conseq.* Tum quia in Josepho historico non sola Job historia, sed etiam aliæ historiæ sacræ desiderantur; multa ex sacris prætermisisse, multa ex suo addidisse constat, in lapsis multis deprehenditur ac reprehenditur, tum quia, cum Josephus hebræus de rebus suæ gentis scribere molitus fuerit, non mirum est quod historiæ Job alicnigenæ non meminerit : Job enim e stirpe Hus primogeniti Nachor fratris Abraham descendit.

Machabæorum libri duo referunt ea omnia quæ Reipublicæ Judaicæ sub tertia, hoc est sub Græcorum monarchia, contigerunt.

Quæres 3. *Quot sunt libri sapientiales Veteris Testamenti.*

Resp. Sunt quinque, scilicet:

Proverbiorum liber, qui continet omnia præcepta moralia de piis tum erga Deum, tum erga proximum officiis.

Ecclesiastes, qui rotundi et rerum mundanarum vanitatem describit.

Canticum Canticorum, totum mysticum est, perfectoque exhibet Christi amorem in Ecclesiam, et vicissim Ecclesiæ in Christum.

Sapientiæ liber de sapientia tum increata, tum creata pertractat, vivideque ad amorem sapientiæ excitat.

Ecclesiasticus, qui eadem fere præcepta moralia dat, quæ liber Ecclesiastes.

QUÆRES 4. *Quot sint libri prophetici Veteris Testamenti?*

RESP. Aliqui numerant tantum 16, referentes librum *Psalmorum* inter sapientiales, et librum Baruch sub Jeremia. Alii numerant 18, quorum, qui diffusius scripserunt, vocantur *Majores;* qui concisius, vocantur *Minores.*

SEX PROPHETÆ MAJORES.

I. Liber Psalmorum, qui continet varias preces ac laudes Dei, variaque de Christo et Ecclesia vaticinia.

II. Isaias, qui multa prædixit circa Judæos finitimosque populos Assyrios et Babylonios : atque ita distincte de Christo et Ecclesia locutus est ut *non tam Prophetam dicendus sit, quam Evangelista*, ait D. Hieronym.

III. Jeremias, cujus Prophetia versatur in acerbissimis criminum sui temporis reprehensionibus, increpationibus et malorum ingruentium lamentationibus; deinde vero in consolationibus Ecclesiæ graviter afflictæ.

IV. Baruch prædixit Judæos a captivitate Babylonica post septem generationes liberandos; vaticinatus est quoque Christum in carnem venturum.

V. Ezechiel, qui primo repetit quæ Jeremias de excidio Urbis et templi, necnon de captivitate Babylonica, prædixerat, ut refelleret mendacia Pseudo-Prophetarum, qui Jeremiam falsitatis arguebant; deinde prædixit populi ex captivitate reditum, Messiæ regnum, vocationem gentium, Ecclesiæ Christi ex hostibus victorias.

VI. Daniel, qui historiam texit ab initio regni Nabuchodonosoris usque ad eversionem regni Babylonici per Medos et Persas; deinde plurima de proximo Christi adventu profert.

DUODECIM PROPHETÆ MINORES.

I. Oseas, qui Synagogæ finem, et Ecclesiæ erectionem per vocationem gentium prænuntiat.

II. Joel prædicit Jerusalem et totius Judææ per Chaldæos excidium, Messiam pollicetur et Spiritum Sanctum 'ocum postremi judicii designat.

III. Amos vaticinatur de regni Israel eversione.

IV. Abdias vaticinatur Idumæorum, qui filios Israel calamitatibus oppressos subsannarant, exitium.

V. Jonas, qui Ninivitarum destructionem prænuntiavit, nisi pœnitentiam egerint.

VI. Michæas, qui duabus tribubus Israel et decem tribubus Judæ idololatriam aliaque scelera increpat, ipsisque prænuntiat excidium et captivitatem, tandem reditum e captivitate Babylonica pollicetur, necnon plenissimam libertatem per Christum, quem prædicit in Bethleem nasciturum.

VII. Nahum prænuntiat depopulationem Ninive a Chaldæis eo quod contra Dominum superbirent.

VIII. Habacuc prædixit Jerosolymorum per Chaldæos, et, Chaldæorum ipsorum eversionem; Judæorum per Cyrum et totius generis humani per Christum liberationem

IX. Sophonias eadem fere prædicit ac Habacuc.

X. Aggæus urget ad templi reparationem, prædixit templum reparatum a Zorobabel majori gloria potiturum quam prius templum, ob præsentiam, doctrinam et miracula Christi, de cujus regno multa vaticinatur.

XI. Zacharias, qui cum diu in Babylone versatus fuisset, reditum *Zorobabel* ad urgendam templi fabricam, multaque prophetavit de Judæis et gentibus.

XII. Malachias, ultimus Prophetarum, post extructum templum arguit conjugia cum alienigenis inita, decimarum detentionem, atque cultus divini depravationem : prænuntiat nullum deinceps futurum Prophetam usque ad Christum, cujus præcursoren. annuntiat, simulque Synagogæ finem, et Ecclesiæ Christianæ ortum.

ARTICULUS IV.

DE NOVI TESTAMENTI LIBRIS CANONICIS IN PARTICULARI.

QUÆRES 1. *Quot sunt libri legales Novi Testamenti?*

RESP. Sunt quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem.

Matthæus, primus omnium [1] in Judæa scripsit Evangelium propter eos qui ex Circumcisione crediderant, et hoc ad preces discipulorum et jussionem aliorum Apostolorum, ut antequam in diversas orbis provincias discederent, relinquerent Judæis certam credendi regulam.

Marcus, eodem fere modo quo Matthæus, sed contractius scripsit [2]. Unde vocatur ab Aug. *Matthæi breviator;* scripsit autem ad preces auditorum Petri, qui ut tenacius memoriæ mandarent quæ ex ore Petri audierant, rogaverunt Marcum ut ea scriptis mandaret.

Lucas, anno Christi 58, ut observat Baronius, scripsit Evangelium, ut temeritatem reprimeret Pseudo-Scriptorum et Pseudo-Prophetarum, qui, ut prædicationem Pauli deprimerent, aliter ac Paulus prædicabant, ut ipse testatur, incipiens Evangelium ab istis verbis : *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum, etc.*

Joannes [3] scripsit Evangelium *coactus*, inquit D. Hieron.[4], *ab omnibus pene tunc Asiæ Episcopis, et multarum Ecclesiarum legationibus*, ut Hæreticos Ebionem et Cerinthum, Christi divinitatem negantes, confutaret; ideo ab his verbis incipit : *In principio erat Verbum, etc.*

QUÆRES 2. *Quot sunt libri historici Novi Testamenti?*

RESP. Novi Testamenti unus est liber historicus, *Acta Apostolorum* dictus, quem scripsit D. Lucas, in quo miran-

[1] Anno 41, juxta D. Hieron. in Catalogo de Scriptor. Ecclesiast., et Baron. ad annum 41. — [2] Anno juxta Baron. 45. — [3] Anno 99 ut notat Baron. — [4] L. *de Script. ecclesiasticis.*

dam Ecclesiæ nascentis historiam, illiusque in omnes gentes propagationem per Apostolos, et præcipue per Petrum et Paulum, describit.

Quæres 3. *Quot sint libri sapientiales Novi Testamenti ?*

Resp. Sunt 21, nimirum 14 Epistolæ D. Pauli, et 7 Epistolæ *Catholicæ*, quæ etiam dicuntur *Canonicæ*, quarum duæ Petri, tres Joannis, una Jacobi, et tandem una Judæ.

Petes : Quare Epistolæ Petri, Joannis, Jacobi et Judæ, vocantur *Catholicæ* et *Canonicæ ?*

Resp. 1. Vocantur *Catholicæ*, quia non ad unam specialem personam scriptæ sunt, neque ad unam particularem Provinciam, aut Ecclesiam, sicut Epistolæ Pauli, sed generaliter ad omnes fideles in varias nationes dispersos.

Resp. 2. Vocantur *Canonicæ*, vel quia, ut ait Estius, æque ac Epistolæ Pauli, ad Canonem Scripturæ Sacræ pertinent, vel potius quia Canones seu regulas vitæ Christianæ constituendæ continent.

Quæres 4. *Quot sunt libri Prophetici Novi Testamenti?*

Resp. Unicus est liber Propheticus Novi Testamenti, nempe *Apocalypsis*, seu, quod idem est, *Secretorum revelatio.*

Hic liber multa prænuntiat futura, nimirum futuras Ecclesiæ persecutiones, adversitates et durissimas crudelitates sub execrabili Antichristo, et tandem gloriam futuram beatorum. Nemo hactenus clare explicuit mysteria in Apocalypsi annuntiata, *tot* enim *sunt Sacramenta quot verba*, ait D. Hieron. [1]. De illis eximium Commentarium habet illustrissimus Bossuetius Episcopus Meldensis.

ARTICULUS V.

DE CANONE HÆRETICORUM

Quæres. *Quosnam libros Hæretici ex Canone librorum sacrorum deleverunt.*

Resp. 1. Hæretici, Lutherani et Calvinistæ, omnes Vete-

[1] Epist. ad Paulinam.

ris Testamenti libros, qui in antiquo Judæorum Canone non reperiuntur, e Scripturarum Canone deleverunt.

Hinc, secundum illos, libri *Tobiæ*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *primus et secundus Machabæorum*, non sunt divini et canonici [1], sicut nec liber *Esther*, quem etiam rejicit Lutherus et alii Hæretici.

2. Lutherani deleverunt e Canone Epistolam Pauli ad Hebræos, quam Paulinam et divinam negant [2]; e contra Calvinus [3], licet eam Paulinam non admittat, confitetur tamen esse divinam.

3. Lutherani expunxerunt Epistolas *Jacobi*, *Judæ*, *secundam Petri*, *secundam et tertiam Joannis* [4]; eas tamen admittit Calvinus.

4. Lutherani rejiciunt *Apocalypsim* [5], quam admittit Calvinus.

Probavimus supra divinitatem et canonicitatem illorum librorum : restat hic, ut objectiones Hæreticorum solvamus sequentibus paragraphis.

§ I.

Objectiones contra librum Tobiæ.

Objicies 1. Liber Tobiæ secum ipse pugnare videtur : ergo non est canonicus. *Resp. nego ant.*

Probatur ant. Tobiæ 3. Sara dicitur habitasse *in Rages civitate Medorum ;* ubi etiam habitasse Gabelum habemus c. 4; postea tamen cum Tobias pervenisset ad locum ubi erat Sara, inde misit Angelum *ad Gabelum in Rages civitatem Medorum*, cap. 9. Atqui hoc secum pugnare videtur. Ergo.

Resp. *Nego min.* Nam vel in Media duæ fuerunt Rages, quomodo in eadem Syria erant duæ Cæsareæ, una Philippi dicta, altera Palestinæ ; vel cap. 3 vocatur Rages, non ipsa

[1] Ita post Luther. Kemnitius, in exam. sess. 4, Concil. Trident.; Calvin., lib. 1, inst. cap. 11. — [2] Luth. in prolog. hujus Epist. — [3] Lib. 1 Inst., cap. 8, § 216. — [4] Luther. in prolog. harum Epist. — [5] Luther. in præf. Novi Testamēnt.

civitas, sed locus aliquis vicinus; dicitur enim habitar Romæ qui in agro Romano habitat, et hoc est probabilius unde nulla est pugna, nulla contradictio.

Objicies 2. In libr. Tobiæ multa sunt mendacia ab An gelo Raphaele prolata. Ergo. Nam Raphael dicit:

1. Se esse *ex filiis Israel.*

2. Se esse *Azariam, Ananiæ magni filium.*

3. Se esse *fratrem Gabeli.*

4. Se esse *ex tribu Nephtali.* Atqui omnia illa mendacia Ergo, etc.

Resp. *Nego ant. primi, et min. secundi argumenti.* Nam que:

1. Raphael Angelus potuit dicere se esse ex filiis Israel et Azariam Ananiæ magni filium, quia specie externa for mam gerebat *filii Israel*, et personam *Azariæ Ananiæ magn filii;* sicut ergo Angelus in persona Dei loquens, Deumqu ipsum repræsentans, dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus* [1], ita Raphael potuit dicere *ex filiis Israel sumus, etc.; ego sum Aza rias, etc.*

2. Potuit dicere se esse fratrem Gabeli, quia habemus omnes patrem communem, qui est Deus, cui tum Angeli tum homines dicere debent: *Pater noster... sanctificetu nomen tuum.*

3. Potuit dicere *ex tribu Nephtali sumus;* tum quia repræ sentabat Israelitam ex illa tribu, tum quia Tobias erat ex illa tribu genere, Angelus autem protectione et custodia.

Objicies 3. Fabulosum videtur dicere, quod cor et jecur piscis virtutem expellendi dæmones habeant; atqui non est certe canonicus liber, qui fabulis refertur. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Fabulosum videtur dicere, quod cor et jecur piscis habeant virtutem contra dæmones naturalem, *conc. maj.* supernaturalem, a Deo illis inditam, et per An gelum notificatam, *nego maj.* Deus enim decreverat illis ut

[1] Exodi 3

ad istos effectus producendos, quomodo Christus fecit lutum ex sputo ad restituendum visum cæco a nativitate.

§ II.

Objectiones contra librum Judith.

Objicies 1. In Libro Judith est repugnantia, nam cap. 8 Judith dicitur esse de tribu Ruben, et cap. 9 ipsa seipsam asserit de tribu Simeon. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Revera enim Judith fuit de tribu Simeon, *Ruben* enim, qui cap. 8 describitur, non fuit *Ruben* Patriarcha, filius Jacob, sed aliquis alius in tribu Simeon celebris: namque genealogia quæ ibi describitur, non pertingit ad Patriarchas filios Jacob.

Objicies 2. Liber Judith adversari videtur libro Genesis; nam *Genes.* 49 facinus Simeonis et Levi condemnatur, et *Judith* 9 laudatur. Ergo.

Resp. *Nego ant. et secundam partem probationis.* Cum enim Judith ait Deum dedisse Simeoni *gladium in defensionem*, id est ultionem *alienigenarum*, non laudat, vel approbat factum Simeonis tanquam bonum, sed laudat potentiam et justitiam Dei, qui alienigenarum crimina punire voluit per Simeonem (tametsi ex sua parte male agentem) et ut punire posset, gladium dedit, quomodo Deus, *Ezech. 3* dicit: *Dabo gladium meum in manu ejus*, Regis Babylonis, *et confringam brachia Pharaonis*, etsi Rex Babylonis non sine peccato Ægyptum destruxerit.

Objectiones contra librum Esther.

Objicies 1. Postrema septem capita libri Esther non cohærent cum prioribus; nam cap. 2, narrantur insidiæ duorum eunuchorum, et detectio earumdem industria Mardochæi, quæ rursum narrantur cap. 12. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Non cohærent quantum ad veritatem rei gestæ, *nego ant.* quantum ad ordinem rei gestæ, *conc. ant.* postrema namque capita pertinent ad initium libri, ut pa-

tet ex annotationibus D. Hieronymi, quæ capitibus ultimis sunt insertæ in Bibliis Latinis, quod nihil veritati officit, quin potius inde fit, quod alia ex aliis confirmentur.

Objicies 2. In lib. Esther multæ sunt contradictiones Ergo.

Prima. Est conjuratio eunuchorum, quæ cap. 2 dicitur accidisse anno septimo Assueri, et c. 11. significatur accidisse anno ejusdem secundo.

Secunda. Mardochæus, cap. 6, dicitur nihil omnino mercedis accepisse pro delatione insidiarum, et c. 12 dicitur regem præcepisse Mardochæo, *ut in aula palatii moraretur datis ei pro delatione muneribus.*

Tertia. Aman, c. 3, dicitur fuisse de stirpe Agag Regis Amalecitarum, et c. 16 asseritur quod *animo et gente* fuerit *Macedo.*

Quarta. Narratur c. 3, causam indignationis Aman contra Mardochæum et omnes Judæos fuisse, quia Mardochæus nolebat illum adorare, et c. 12 dicitur : *Aman voluit nocere Mardochæo et populo ejus pro duobus eunuchis Regis, qui fuerant interfecti.*

Quinta. Dicitur c. 3, quod Aman fuerit exaltatus post necem eunuchorum, indignatio autem ejus contra Mardochæum et Judæos evenit post ejus exaltationem; ergo illa indignatio non potuit esse propter delationem eunuchorum.

Resp. *Nego ant.* Nulla enim est contradictio; nam

Ad primam contradictionem resp. Insidiarum detectio evenit anno septimo Assueri, non autem anno secundo, siquidem illa verba capitis 11, *anno secundo regnante Artaxerce,* non debent extendi usque ad narrationem insidiarum quæ fit cap. 12, sed solum ad ea quæ narratur in ipso cap. 11, id est, ad somnium quod Mardochæus vidit, antequam Esther Assuero conjungeretur.

Ad secundam resp. Quod etsi Mardochæus nondum habuerit mercedem pro delatione, quando Rex jussit sibi relegi

Annales, ut dicitur cap. 6, tamen postea habuit ampliss.-imam, quæ describitur eodem c. 6, et est quæ significatur cap. 12, per illa verba : *datis pro delatione muneribus.*

Ad tertiam resp. Aman potuisse esse de stirpe *Agag* post aliquem eorum qui in obsidione Amalec, Saulis manus effugientes, et huc et illuc vagantes, devenerunt in Macedoniam, cumque ibi diu mansissent, et ex iis natus esset Aman ideo recte dicitur, *animo et gente Macedo.*

Ad quartam resp. Nihil vetare quominus indignatio Aman ex diversis causis provenerit : 1. Antequam exaltaretur, provenit ex detectione insidiarum, quarum forsan erat complex ; 2. Ex eo quod Mardochæus nollet ipsum adorare post ejus exaltationem.

Ad quintam resp. nego conseq. Cujus falsitas patet ex responsione ad quartam contradictionem ; nempe indignatio Aman evenit ante et post ejus exaltationem ex causa diversa.

§ III.

Objectio contra librum Sapientiæ.

Dices. Liber Sapientiæ continet falsum, nam in eo [1] dicitur primum idolum factum esse ab aliquo patre in defuncti filii memoriam, qui *illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit.* Atqui tamen, juxta omnes historicos, statua erecta Belo a Nino ejus filio, fuit primum idolum. Ergo.

Resp. *Nego ant.* Ad prob. *dist. min.* Statua erecta Belo a Nino ejus filio, fuit primum idolum publice ad adorandum propositum, *conc. min.* est hoc et quod volunt historici ; fuit primum privatim honoratum, *nego min.* primum enim idolum fuit statua mortuo filio erecta a patre, quod fuit tantum privatim adoratum. *Deinde, prosequitur Sapiens, convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta.*

[1] Cap. 14, v. 15.

§ IV.

Objectiones contra libros Machabæorum.

Objiciunt 1. Alexander Magnus [1] dicitur regnasse primus in Græcia; atqui hoc falsum est, nam ante ipsum multi fuerunt Reges Lacedæmoniorum, Macedoniorum, Atheniensium.

Resp. *Nego min.* Cum enim Scriptura dicit Alexandrum regnasse primum in Græcia, non de regno quocunque partiali loquitur, sed de monarchia Græcorum, quam primus obtinuit Alexander, cum totius Græciæ regnum adeptus est.

Objiciunt 2. *L.* 1. *cap.* 1, affirmatur vaticinium Danielis de abominatione desolationis, impletum esse quando Antiochus Epiphanes idolum in templo Domini collocavit; atqui tamen Christus asserit [2], vaticinium illud implendum in novissimis diebus. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Quia de Danielis vaticinio nihil ibi dicitur, sed tantum dicitur : *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei.* Eh! nonne illud idolum erat abominandum?

Objicies 3. *Lib.* 1, *cap.* 6, commendatur factum Eleazari qui seipsum occidit, quod tamen est grande crimen. Ergo.

Resp. Cum D. Aug.[3] quod quamvis homo ipse fuerit laudatus, *factum tamen ejus narratum est, non laudatum.*

Objiciunt 4. *Lib.* 1, *cap.* 4. Judas dicitur mundasse templum anno 148, id est, uno ante mortem Antiochi [4]; atqui cap. 10 libri secundi, dicitur Judam purgasse templum post biennium a morte Antiochi; ergo est contradictio.

Resp. *Nego min.* Nam in cap. 10 libri secundi ista verba *post biennium*, non significant post biennium a morte Antiochi, sed post biennium a profanatione.

[1] Lib. 1. c. 1. — [2] Matth. 24. — [3] Epist. 64. — [4] Obiit anno 149. ut refertur lib. 1. Machab. c. 6.

INST. In libro primo illa templi mundatio narratur ante mortem Antiochi, et in secundo lib. narratur post ejus mortem; ergo est contradictio.

RESP. *Nego conseq.* Quia etsi in libro 2 narretur post mortem Antiochi, non tamen asseritur facta post mortem Antiochi; voluit enim author absolvere quæ de Antiocho dicturus erat, et tum demum redire ad Judam et templi purgationem.

OBJICIUNT 5. *Lib.* 2, *c.* 9. Narratur Judas occisus anno 152, et tamen lib. 1, cap. 1, refertur Epistola ab eo scripta anno 188; ergo vel falsum est, vel post mortem scripsit.

RESP. Bellarm. [1] illa verba, *anno* 188, esse clausulam prioris Epistolæ, quæ scripta est a toto populo Judaico, duce Hircano, cum numerus annorum in fine potius quam in principio Epistolæ poni soleat, posteriorem vero Epistolam, quam scripsit Machabæus, incipere ab his verbis, *Populus qui est Jerosolymis.* Quæ tamen verba cum præcedentibus illis, *anno* 188, in nostra Vulgata conjunguntur, ideo illa disjungere religioni ducimus; quare

RESP. Cum Sylvio [2], Ruperto [3], Serario, Tirino et Menochio [4] Judam, cujus hic mentio, non esse Judam Machabæum, sed Judam quemdam secta *Essenum*, prophetiæ dono inclytum, cujus prædictiones, inquit Josephus [5], nunquam fefellerunt; hunc ergo, quia magnæ apud omnes authoritatis, initio Epistolæ adscribunt, his verbis *Populus... Senatusque et Judas.*

OBJICIES 6. *Lib.* 1, *cap.* 6. Antiochus Epiphanes legitur mortuus anno 149, et tamen ejus successor Antiochus Eupator [6] post mortem patris scribit *anno* 148. Ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Non est enim contradictio, sed est diversa supputatio; author enim libri primi Machab. qui scripsit Jerosolymis, secutus est calculum Judaicum, juxta

[1] Lib. 1, *de Verbo Dei*, cap. 19. — [2] Lib. 1, *Controv.* q. 1, art. 10. — [3] L. 10, *de Victor.*, cap. 15. — [4] Ad lib. 2. Mach., c. 1. — [5] L. 13, cap. 10. — [6] Lib. 2, cap. 11, vers. 33.

quem annus incipiebat a mense *Nisan*, qui respondet nostro Martio; Antiochus Eupator vero, qui scripsit Antiochiæ, secutus est calculum Chaldaicum, juxta quem annus incipiebat a mense *Tisri*, qui correspondet nostro Septembri; unde calculus Judaicus a Chaldaico differebat toto sesquianno, et sic annus, qui juxta calculum Judaicum erat 149, juxta calculum Chaldaicum erat annus 148; porro paucis mensibus post mortem patris scripsit Judæis Antiochus Eupator.

Objicies 7. *Lib.* 2, *cap.* 12. Judas laudatur, quod pro mortuis sacrificium offerri jusserit; atqui pro mortuis orare est vanum et superstitiosum. Ergo.

Resp. *Nego min.* Quia pro mortuis orare pium est ac religiosum, quando non constat eos, vel beatos esse, vel damnatos, ut constat ex Aug. [1] et ex continua praxi Ecclesiæ et Judæorum, qui ad hunc usque diem orant pro defunctis.

Inst. Etiam juxta Catholicos non licet orare pro iis qui decesserunt cum peccato mortali; atqui tales erant illi, pro quibus Judas orare jussit, de quibus ibi dicitur : *Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum... a quibus lex prohibet Judæos.* Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Si constet eos mortuos esse in peccato mortali, *conc. maj.* si non constet, *nego maj.* et sic ad minorem.

Itaque Judas pie existimavit eos in articulo mortis, dolorem de peccato acceptorum donariorum coram Deo concepisse, et misericordiam invenisse, quod significant illa verba: *Quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant,* in bello pro religione suscepto, *optimam haberent repositam gratiam,* et ideo credidit sacrificiis et precibus vivorum posse juvari.

Nota. Licet Hæretici rejiciant libros *Baruch* et *Ecclesiastici.* non tamen habent aliquid quod eis objiciant. Unde

[1] *de Cura pro mortuis.* cap. 1.

§ V.

Objectiones contra Epistolam ad Hebræos.

OBJICIUNT 1. *Hæretici*, Ep. ad Hebræos non est fœtus D. Pauli; ergo male vocatur Paulina.

RESP. *Nego ant.* Ideo volunt hæretici authorem illius Epistolæ non esse D. Paulum, ut inde concludant eam non esse divinam et canonicam, sed utrumque falsum est; nam Paulum scripsisse hanc Epistolam testatur D. Petrus [1] : *Sicut et charissimus frater noster Paulus scripsit vobis;* nullam autem aliam scimus Epistolam a D. Paulo scriptam ad Hebræos nisi hanc. Ergo. Alterum etiam est falsum, nam etiamsi alius a Paulo hanc scripsisset Epistolam, non propterea desineret esse sacra et canonica, sicut aliæ Epistolæ a Paulinis diversæ.

Prob. ant. Initio hujus Epistolæ neque exprimitur nomen Pauli apostoli, neque hæc salutatio : *Gratia vobis et pax*, etc., quam in aliis omnibus suis Epistolis solet apponere. Ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Quia D. Paulus justas habuit causas non exprimendi suum nomen initio hujus Epistolæ.

Prima, quam tradit Clem. Alex.[2], cui consentit D. Hier.[3], est quod Paulus sciret nomen suum esse invisum Hebræis, eo quod legis observantias quas illi, quamvis christiani, mordicus retinebant, docebat esse abrogatas per Christum; ne igitur in ipso Epistolæ exordio eos offenderet, eorumque animos prorsus ab Epistolæ lectione averteret, consulto nomen suum non inscripsit ut in aliis, et consequenter salutationem ordinariam non apposuit, nec enim usus habet ut salutatio mittatur, suppresso nomine salutantis.

Secunda, quam tradit Hier., est [4] quia Paulus hac sola Epistola appellat Christum *Apostolum et Pontificem confessionis nostræ;* ideo noluit initio Epistolæ, more solito, se Apos-

[1] 2 Petri, 1. — [2] Apud Eusebium, l. 1, c. 11. — [3] L. *de Script. eccles.* in Paulo. — [4] In cap. 1 ad Galat.

tolum nominare, ne videretur se ex aliqua parte cum Christo conferre, quem *excelsiorem Angelis* dixerat in principio Epistolæ.

Tertia, quam affert Theodoret., [1] est, ne cum Apostolus gentium esset, præter officium ad Hebræos scribere videretur; quocirca in fine Epistolæ se excusat quod ad eos scripserit, quorum Apostolus non erat, declaratque id fecisse ut eos consolaretur, non ut eis imperaret : *Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii; etenim perpaucis scripsi vobis.*

Objiciunt 2. Author hujus Epistolæ, cap. 2, se ipsum numerat inter eos qui fuerunt ab Apostolis edocti, vel saltem confirmati, et tamen Paulus ad Galat. 1 constanter affirmat Apostolos nihil sibi contulisse. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam quando Apost. dicit *salutem*, id est salutis prædicationem, *Ab iis qui audierunt confirmatam in nos, contestante Deo signis et virtutibus, etc.*, non agit de confirmatione per doctrinam, sed per miracula.

Objiciunt 3. Author hujus Epistolæ pugnat cum doctrina Christi : nam Christus [2] : *Venite ad me, omnes*, etc., et author Epist., cap. 6, dicit : *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, iterum renovari ad pœnitentiam.* Et de Esau, c. 12, dicit : *Non invenit locum pœnitentiæ.* Ergo.

Resp. *Nego ant. cum suis probationibus.* In his enim nulla est oppositio; alias Christus qui cap. 12 Matth. dicit *Blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti*, esset sibi oppositus; non loquitur itaque Apost. de omni peccatore, sed de eo qui voluntarie agnitam veritatem impugnat, quod peccatum quomodo sit irremissibile, dicemus in dissert. de Pœnit. vel ut alii volunt, loquitur de renovatione per Baptismum, qui, cum non possit iterari, per eum non possunt renovari.

In cap. 12. Non loquitur Apost. de pœnitentia Esau, sed de pœnitentia Isaac, ut sensus sit Esau non potuisse efficere ut patrem pœniteret se dedisse benedictionem filio suo Jacob, eamque retractare.

[1] Præf. Comment. in cap. 2 ad Galat. — [2] Matth. 11.

OBJICIUNT 4. Author Epist. dicit quod *in* arca fuerit *urna aurea habens manna, et virga Aaron. et tabula Testamenti;* atqui repugnat ei quod 3 Reg. 8 dicitur : *In arca non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ*. Ergo.

RESP. *Nego min.* Nulla ibi est repugnantia, nam Apostolus per præpositionem *in* non significat *intra* sed *juxta* Arcam, in aliquo situ qui erat appendix Arcæ, quomodo Christus [1] dicitur moriturus *in Jerusalem*, cum tamen juxta civitatem illam sit mortuus, et non *intra* muros ejus; sic licet Div. Joannes baptizaret juxta urbem Bethaniæ, dicitur tamen : *Hæc in Bethania facta sunt.*

RESPONDENT alii cum Theophilacto, quod tempore Salomonis non fuerit in Arca nisi duæ tabulæ legis, cætera autem postea fuerint reposita a Jeremia, quando abscondit Arcam, ut refertur 2 Machab., cap. 2, vers. 5.

§ VI.

Objectiones contra Epistolam Jacobi.

OBJICIUNT *Magdeburgenses* 1. Eusebius [2] asserit Epistolas Jacobi et Judæ esse adulterinas; ergo non sunt canonicæ.

RESP. Cum Bellarm. [3] mendacium esse hoc, non argumentum; sic enim scribit Eusebius : *Licet a quibusdam tanquam adulterina propterea judicetur*, Epistola Jacobi, *quod non adeo multi ex veteribus, illius Epistolæ, sicut nec etiam ejus quæ dicitur Judæ, quæ etiam in septem Catholicarum Epistolarum numero ponitur, ullam mentionem faciant, tamen nos istas cum reliquis, in quamplurimis Ecclesiis publice receptas approbatasque cognovimus.*

OBJICIUNT 2. Author hujus Epistolæ utitur salutatione tantum profana, non gratiam divinam sonante, *Jacobus Dei et Domini Nostri Jesu Christi servus, 12 tribubus salutem.* Ergo ejus author non est Apostolus Christi.

RESP. *nego ant.* Quia quando Apostoli apprecantur alicui

[1] Lucæ, 3. — [2] L. 2, *Hist.*, c. 22. — [3] L. 1, *de Verbo Dei*, cap. 18.

salutem, apprecantur haud dubie salutem Christianam, quæ et Dei gratiam et pacem complectitur; ergo salutatio non est profana : alias ista quæ habetur Act. 15, *Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, etc., salutem*, esset profana, nam est ejusdem formæ.

Objiciunt 3. In hac Epist. justificatio non fidei, sed operibus adscribitur, cum tamen Paulus [1] dicat hominem justificari ex fide sine operibus; ergo aberrat a doctrina Apostolica.

Resp. *Nego conseq.* Inter doctrinam utriusque Apost. nulla est oppositio, nam Paulus excludit a negotio justificationis opera citra fidei et gratiæ Spiritum facta, et Jacobus requirit opera fidei et gratiæ, quæ etiam requirit Apostolus [2] dicens : *Factores legis justificabuntur.*

Inst. Solent Apostoli aliquid semper interserere de fidei doctrina; atqui hæc Epistola tota est in operibus commendandis, de fide autem silet omnino; ergo non est apostolica.

Resp. *Nego min.* Nam in hac Epist. scribitur : *Probatio fidei vestræ patientiam operatur* [3]; *et fides cooperatur operibus illius*, Abrahæ, *et ex operibus fides consummata est* [4]. Equidem magis commendat opera quam fidem, quia contra eos scribit qui, neglectis operibus, ex sola fide salutem sibi pollicebantur, unde dicit [5] : *Ex operibus justificabitur homo, et non ex fide tantum... fides sine operibus mortua est.* Utrumque ergo commendat et opera et fidem.

Objiciunt 4. Author hujus Epist. profert testimonia ex Epistolis Petri et Pauli; ergo non est Apostolus, sed aliquis ex Apostolorum discipulis.

Resp. *Nego ant.* Equidem ad marginem hujus Epist. e regione verborum Jacobi, annotantur quædam loca Petri et Pauli, verum inde concludi non debet unum Apostolorum ab alio citari, sed similes sententias in Apostolis inveniri,

[1] Rom. 3. — [2] Rom. 2. — [3] Cap. 1, vers. 3. — [4] Cap. 2, vers. 22 — [5] Cap. 2, v. 24 et 26.

quod ideo fecit Spiritus Sanctus, ut ostenderet se unum eumdemque eorum omnium authorem esse. Similiter ad marginem Epistolarum primæ Joannis et primæ Petri annotantur plurima loca Pauli, eodem tamen tempore vixerunt, nec eorum Epistolæ in dubium revocantur ab adversariis.

§ VII.

Objectiones contra Epistolam Judæ.

Objiciunt 1. Judas asserit se post Apostolos vixisse, cum ait : *Memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimis temporibus venient illusores*, etc., citatque aliqua loca Petri et Pauli [1].

Resp. *Neg. ant.* Judas enim cum aliis Apostolis vixit; sed quibusdam, nimirum Petro, Paulo, Jacobo supervixit posteriusque Epistolam scripsit, et ideo merito potuit ita loqui, et Apostolorum aliorum Epistolas citare.

Objiciunt 2. Judas citat librum *Enoch*, qui est apocryphus; ergo et ejus Epistola est apocrypha, et minime canonica.

Resp. *retorq.* Paulus Apost. [2] profert testimonia ex Ethnicis poetis, Menandro et Epimenide; ergo ejus scripta sunt profana. Itaque in apocryphis et Ethnicis libris potest esse aliquid veri, et illud est quod Apostoli, Spiritu Sancto inspirante, proferunt, nec tamen propterea totum librum approbant.

Instant. Judas testimonium *Enoch*, non ut apocryphum, sed ut propheticum citat; ergo approbat totum librum.

Resp. *nego conseq.* Sine dubio credendum est Enoch aliquid prophetici et divini scripsisse, et ejus vaticinium in eo libro, quem Judas citat, insertum fuisse, liber nihilominus est apocryphus, quia multa fabulosa simul cum hoc vaticinio, quod Judas citat, continet.

[1] 2 Petri, 3; 1 ad Tim. 4; 2 ad Tim. 3. — [2] Act. 17 et 1 ad Cor. 15.

§ VIII.

Objectiones contra Epistolas secundam Petri, secundam et tertiam Joannis, et Apocalypsim.

Contra secundam Epist. Petri. Hæretici nihil aliud objiciunt, quam diversitatem styli a prima Epistola quam esse Petri certo constat. Verum hæc diversitas provenit, vel a diverso interprete quo usus est Petrus, ut ait Div. Hieron. [1], vel a diverso tempore quo scripsit Petrus : non enim novum est eumdem hominem diverso tempore diverso stylo scribere.

Contra secundam et tertiam Joann. opponunt 1. authoritatem Papiæ, qui [2] duos fuisse Joannes asserit, unum Apostolum, et alium qui *senior* dicebatur; et cum author harum Epist. non Apostolum, sed *seniorem* se nominet, verisimile est has Epist. esse ab illo Joann. seniore scriptas.

Resp. *Nego conseq.* Papias enim non dixit has Epist. non esse Joannis Apost., sed solum duos Joannes nominat; uter autem Epistolas scripserit, tacet. Porro Joannes poterat se seniorem appellare, tum quia post omnes alios Apostolos vixit, et ad extremam senectutem pervenit, tum quia *senior* idem est ac *Presbyter*, Joannes autem erat Presbyter et Apostolus.

Opponunt 2. authoritatem D. Hieronymi [3], qui asserit Epistolam secundam et tertiam Joannis adscribi Joanni Presbytero.

Resp. D. Hieronymum per Joannem Presbyterum intellexisse Joannem Apostolum constat ex sua ad Evagrium Epist. 85: *Clangat*, ait, *Tuba Evangelica, filius Tonitrui, quem Jesus amavit plurimum : Presbyter (in Vulgata habetur*, Senior electæ, *etc.*) *electæ Dominæ et filiis ejus.*

Contra Apocalypsim opponunt 1. Titulum hujus libri non esse *Joannis Apostoli*, sed *Joannis Theologi*. Ergo.

Resp. *nego conseq.* Nam idem est Joannes Theologus qui

[1] Q. 11, ad Hedib. — [2] Apud Euseb., l. 3, *Hist.*, cap. 39. — [3] L. *de Script. eccl. in Joann.*

et Joannes Apostolus, id est, præ cæteris Apostolis Theologus appellatus, quia cæteri de humanitate Christi, Joannes vero de ejus divinitate præcipue scripsit, unde aquilæ comparatur; quare D. Dionysius Arcopagita Epistolam quam ad Joannem scribit sic intitulat : *Joanni Theologo, Apostolo et Evangelistæ.*

Objiciunt 2. In hoc libro [2] dicitur : *Beatus homo qui servat verba Prophetiæ hujus,* cum tamen nemo sciat quid hæc prophetia significet.

Resp. D. Joannes, per prophetiam intelligit totum librum in quo non mirum est quod multa, quæ prophetice prædicantur, sint obscura; in eo tamen multa sunt vitæ præcepta clarissima, quibus nos hortatur ad patientiam et perseverantiam in persecutionibus.

QUÆSTIO IV.

DE IDIOMATE, QUO SCRIPTI SUNT LIBRI CANONICI.

Nota. Duplex est textus Libri Canonici. *Primus* est *autographus,* seu originalis : *Secundus* est *apographus,* seu in varias linguas translatus; hic est de autographis quæstio; de apographis, seu in varias linguas versionibus agemus quæstione sequenti.

Quæres 1. *Quo idiomate libri Veteris Testamenti fuerunt conscripti?*

Resp. Fuerunt Hebraica lingua [4], *exceptis* 1, libris Danielis, Tobiæ, Judith, qui ex D. Hieron. [5], Chaldaice primitus exarati fuerunt; *exceptis* 2, libris Sapientiæ, et secundo Machab., qui græce fuere scripti, ut habet D. Hieron. in Prologo Galeato : *Machab. librum primum,* inquit, *Hebraicum reperi, secundus græcus est.* Et de lib. Sapient. ait : *Apud Hæbreos nusquam est, quisque stylus græcam eloquentiam redolet.*

Quæres 2. *Quo idiomate scripti sunt libri Novi Testamenti?*

[4] Cap. 1 et ult. — [5] D. Hieron. Præfat. ad illos libros. — [5] Præfat. ad illos libros.

Resp. Omnes libri Novi Testamenti græce editi sunt ab Apostolis, *exceptis* Matthæi Evangelio et Epist. ad Hebræos; qui libri Syriace fuerunt scripti; ita habet D. Hieron. [1] dicens: *De Novo nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apost. Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium hebraicis litteris edidit;* seu potius Syriacis, quia quo tempore scripsit, lingua pure hebraica non erat apud Judæos vernacula, sed Syriaca. Idem dicendum de Epistola ad Hebræos, *quam Paulus Hebræus hebraice scripsit ad Hebræos*, ait Eusebius [2].

QUÆSTIO V.

DE VARIIS SCRIPTURÆ SACRÆ EDITIONIBUS.

Nota. Variæ Scripturæ Sacræ editiones ad quatuor præcipuas referuntur, nimirum, Hebraicam, Græcam, Latinam et Vernaculam, de quibus et de earum authenticitate totidem agemus articulis.

ARTICULUS I.

DE EDITIONE HEBRAICA.

Quæres 1. *Quid sit editio Hebraica?*

Resp. Est ea quam Esdras, post captivitatem Babylonicam, non quidem in incendio templi a Nabuchodonosore combustam, de novo edidit, sed in varios codices dispersam, in unum corpus redegit, et divino suffultus auxilio a multis depravationibus expurgavit, ac ad suam primævam puritatem reduxit.

Quæres 2. *An editio Esdræ sit authentica?*

Nota. Authenticum dici illud quod est indubitatæ authoritatis, et in judiciis fidem facit. Porro aliqua editio potest esse authentica dupliciter: 1. Per expressam Ecclesiæ definitionem. 2. Per longum et non interruptum Ecclesiæ usum.

[1] Præfat. in Evangelio ad Damasum. — [2] Lib. 6, *Hist.*, cap. 14.

Resp. 1. *Certissimum est editionem hebraicam Esdræ, qua usus est D. Hieronym. in sua versione, fuisse veram et authenticam.* Ratio est evidens, quia Vulgata versio, quam ut authenticam approbat Ecclesia Catholica, est secundum partem illius majorem D. Hieron., qui textum hebraicum latine interpretatus est; ergo ipse textus fuit authenticus : neque enim major potest esse authoritas versionis, quam exemplaris ad quod efformata est; in hoc conveniunt omnes.

Resp. 2. *Textus Hebraicus Esdræ, ut est apud nos Catholicos, est authenticus.*

Prob. Textus hebraicus tempore D. Hieron. erat incorruptus quoad partes essentiales, et authenticus; atqui ille textus (ejusque exemplaria) semper fuit custoditus et conservatus a sanctis Patribus ac Romanis Pontificibus, et usque in hodiernum diem servatur in Vaticano et in aliis Bibliothecis : ergo est authenticus.

Hinc jura [1] et sancti Patres, maxime D. August. docent ad hebraicos et græcos fontes genuinos esse recurrendum, dum latinæ editiones ambiguæ aut vitiatæ videntur.

Objicies 1. Sola Vulgata est declarata authentica a Conc. Trid. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Sola Vulgata est declarata authentica, per exclusionem aliarum editionum, *nego ant;* ut unam omnibus latinis versionibus anteponendam statuerent, *conc. ant.* cum Bellarmin. [2] calumniæ Calvini respondente : *Nec enim,* ait, *Patres fontium ullam mentionem fecerunt, sed solum ex tot versionibus latinis, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent.* Unde Patres Trid. solam Vulgatam authenticam declarando, nullo modo, nequidem tacite, declararunt fontes non esse authenticos.

Objicies 2. Aliqua loca dantur in textu hebraico, quæ non solum differunt, sed opponuntur nostræ Vulgatæ, quam

[1] Cap. *ut veterum*, dist. 9, etc., *de Quibus*, dist. 20. — [2] Lib. 2, *de Verbo Dei*, c. 10.

Conc. Trid. jubet, *ut nemo rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.* Ergo textus hebraicus non est authenticus.

Resp. *nego ant.* Vulgata enim nostra est omnino conformis cum textu hebraico; hinc ait Bellarmin.[1]: *Quod Vulgata editio translata sit ex Hebræo. ipsa quodammodo clamat, dum pene ubique concordat cum Hebræo.* Quod si aliqua versio græca in aliquo substantiali discordat cum Vulgata nostra, signum est quod sit vitiata, et consequenter quod textus non sit purus et genuinus.

Resolves. Quamvis lectio nostræ Vulgatæ semper sit omnibus præferenda, tamen, ut optime notat Sylveira[2], textus hebraicus magnæ utilitatis est, tum ad menda, quæ in latinis Bibliis subinde horum authorum incuria irrepunt, corrigenda, tum ad vocem, sententiamque in latino et græco codice ambiguam, enodandam; tum ad litterales sensus eruendos, qui sub iisdem apicibus hebræis, ob linguæ fecunditatem, latere possunt; atque ut ipso puro fonte Scripturæ, Judæi et Hæretici confundantur et convincantur.

Quæres 3. *Quænam versiones revocentur ad editionem hebraicam?*

Resp. Tres sunt quæ a lingua hebraica ortum ducunt, *Chaldaica* scilicet, *Syriaca, et Samaritana,* de quibus pauca dicemus.

1. *Chaldaica,* potius paraphrasis est dicenda, quam versio, unde a Judæis *Targum,* id est interpretatio, dicitur; hæc nullius est authoritatis, cum Thalmudistarum fabulis sit conspersa... *Nota,* quod non loquamur de libris qui ab authoribus sacris Chaldaice fuerunt editi, sed de versione totius Veteris Testamenti, quæ paraphrastice facta est ex Hebræo in Chaldæum.

2. *Syriaca,* quæ lingua orta in captivitate Babylonica ex

[1] Lib 2, *de Verbo Dei*, cap. 9. — [2] Resolut. 4, quæst. 2, *de Variis version. Scripturæ Sacræ.*

commixtiône hebraicæ et chaldaicæ, facta est deinde lingua vulgaris et quasi materna omnium Hebræorum, qua proinde Christus et Apostoli usi sunt, vocarique solebat Hebræa, quia Hebræi illam sibi vulgarem ferebant. Hæc semper fuit summæ authoritatis.

3. *Samaritana*, quæ nonnisi characteribus discrepat ab Hebraica Esdræ, unde ejusdem semper fuit authoritatis.

ARTICULUS II.

DE VERSIONIBUS VETERIS TESTAMENTI GRÆCI.

QUÆRES 1. *Quot sunt Versiones græcæ librorum Veteris Testamenti ?*

RESP. Ex pluribus, quæ numerantur, quatuor sunt magis celebres.

Prima est LXX *Interpretum*, sic dicta, quia eam fecerunt 70 seniores Judæi, sex nimirum ex qualibet tribu, græce pariter et hebraice peritissimi, regnante Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum rege, qui ad Eleazarum summum Pontificem miserat senioresque totidem petierat, qui sacros libros in græcum sermonem transferrent, in *Pharos* insula.

QUÆRES 2. *Quomodo* LXX *Interpretes Vetus Testamentum translulerunt ?*

RESP. Satis constat quod spatio dierum 72, mirabili consensione id absolverint, ut asserunt Aristæus et Joseph [1] sed an simul separatim in diversis cellulis, an bini et bini an potius inter se conferentes interpretati sint, est incertum, aliis Patribus affirmantibus, aliis negantibus; probabilius tamen est omnes inter se contulisse, tum quia nec Joseph, nec Philo, historiam versionis LXX describentes harum cellularum fecerunt mentionem; tum quia Aristæus aperte asserit LXX Interpretes simul usque ad horam nonam *conferendo*, versionem inter 72 dies absolvisse; unde

[1] Aristæus unus ex legatis a Ptolomæo missis Jerosolymam, ***Hist. version. 70 interp.:*** Joseph., lib. 12, *Antiquitat.*, cap. 2.

D. Hieron [1], ait : *Nescio quis primus author* 70 *cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scripserint.*

Secunda est *Aquilæ Pontici*, qui postquam ex Christiano factus est Judæus, Scripturam [2] in græcum idioma transtulit, in odium Christianismi, pervertens ea quæ de Christo erant testimonia.

Tertia est *Symmachi Samaritani*, qui ex Judæo factus Christianus et ex Christiano factus Ebionita, postea Scripturam ex Hebræo vertit in Græcum [3], et, ut Judæis placeret, ea quæ ad Christum pertinebant subdola interpretatione celavit, ut testavit Div. Hieronym. [4].

Quarta est *Theodotionis Ephesini*, qui ex Christiano factus Marcionita, cum illi hæresi postmodum esset infensus, ad Judaismum transivit, deinde Scripturam græce est interpretatus, sub Imperatore Commodo, anno 183; ejus tamen versio ponitur quarto loco ab auctoribus, qui sequuntur ordinem quem Origenes constituit in suis Exaplis, non attenta temporis ratione

Vota. Inter tres posteriores versiones hæc est differentia, quod *Aquila* verbum e verbo reddiderit, *Symmachus* sensum e sensu, *Theodotio* media quadam via inter utrumque incesserit, partim sensum, partim verba sequens, ut notat Div. Hieronymus [5].

Quæres 3. *Quanta auctoritate polleat in Ecclesia versio* LXX *Interpretum ?*

Resp. *Divina et irrefragabili pollet auctoritate.*

Prob. Quia utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ judicio et usu consecrata est.

1. Quia Apostoli ea usi fuerunt, et ea etiamnum utuntur Græci Catholici, ut tradit D. Aug. [6]. *Hanc, quæ Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua ignorant.*

[1] Præf. in Pentateuch. — [2] An. 137, sub Adriano Imperat. — [3] Anno 203, Severo imperante. — [4] Præfat. in Job. — [5] Præfat. in Job et epist. 125 ad Damas. — [6] Lib. 18, *de Civit. Dei*, cap. 43.

2. Quia non sine Spiritus Sancti assistentia facta videtur. Hinc Irenæus [1] de hac translat. ait : *Per aspirationem Dei, interpretatæ sunt Scripturæ*. Div. August. [2], ait : *Spiritus, qui in Prophetis erat quando illa dixerunt, idem ipse erat in LXX viris, quando illa interpretati sunt*. Ergo.

Dices. Translatio LXX Interpretum, quæ modo circumfertur, non est simpliciter authentica; tum quia nullum est de illius authenticitate Ecclesiæ judicium, tum quia notabiliter discrepat ab editione Vulgata, quam Conc. Trid. declaravit authenticam.

Resp. *dist. ant.* 1. Quia jam probavimus editionem LXX non discrepare a nostra Vulgata quoad partes essentiales. 2. Quia per plura sæcula, Ecclesia universa illa editione usa est, et etiamnum utitur Ecclesia Græca Catholica. Imo Sixtus V, in suo diplomate præfixo versioni LXX quæ in Vaticano est, sic loquitur : *Volumus et sancimus ad Dei gloriam et Ecclesiæ utilitatem, ut Vetus Testamentum juxta* LXX *recognitum et expositum, ab omnibus recipiatur et teneatur, non autem quomodocumque, sed ut authentica versio... prohibentes, ne quis de hac nova græca editione audeat in posterum, vel addendo, vel demendo, quidquam immutare.*

Quæres 4. *Cujus auctoritatis sint versiones Aquilæ, Symmachi et Theodotionis ?*

Resp. 1. In iis quæ ad Christum Christianamque Religionem spectant, nullius sunt auctoritatis, quia ipsi omnes fuerunt Christianismi desertores et hostes, qui illius odio multa in suis translationibus corruperunt.

Resp. 2. In aliis quæ Christianam Religionem non spectant, possunt inservire ad cognoscendum verum sensum Scripturæ, cum et Origenes in suis Exaplis posuerit, et S. Hieronymus eis usus sit in sacris litteris interpretandis Patres tamen Theodotionis versionem præferunt, quia, ut testatur Div. Epiphanius [3], majori fide quam cæteri, sacros codices est interpretatus.

[1] Lib. 3, cap. 13. — [2] L. 18, de *Civit.*, cap. 43. — [3] L. *de Ponderibus et mensuris*.

ARTICULUS III.

DE VERSIONIBUS LATINIS UTRIUSQUE TESTAMENTI.

Nota. Ante tempora D. Hieron. innumerabiles erant versiones latinæ, tamen una erat communior, quæ tum *Vetus*, tum *Vulgata* et *Itala* dicebatur [1], de qua D. Aug. [2] sic loquitur: *In ipsis interpretationibus, Itala cæteris præferatur, nam est ad verbum tenacior, cum perspicuitate sententiæ.*

At postquam D. Hieron. jussu Damasi Papæ suam ex hebræo latinam versionem absolvit, *Vetus* illa aliquandiu quidem retenta est cum nova Div. Hieron., sic tamen ut nova pluris fieret, tandemque sola retineretur velut hebræo fonti purius respondens, ut D. Gregor. [3] testatur; et hæc, quæ tempore Div. Gregorii dicebatur *nova* editio, tot sæculorum exinde usu facta est vetus et *Vulgata*, quæ nunc in omnium manibus versatur, de qua B. Isidorus [4] ait: *S. Hieronymi editione omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur.*

Ergo nostræ Vulgatæ auctor est D. Hieron. hoc sensu, quod *fere totum* Vetus Testamentum ex hebræo immediate transtulit in latinum, et Novum ad græcum emendavit, ut ipse [5] testatur: *Novum Testamentum*, inquit, *græcæ fidei reddidi: Vetus juxta hebraicum transtuli.*

Dixi 1. *Fere totum*: quia libros *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Machabæorum*, *Baruch cum adjuncta Jeremiæ Epistola* non transtulit, forte quia non erant in Canone Hebræorum, ut ipsemet de libro Baruch [6] testatur: *Librum Baruch, qui apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermisimus.*

Dixi 2. *Fere totum ex hebræo*: 1. quia libros *Judith et Tobiæ* non ex hebræo, sed ex originali Chaldaico transtulit, ut ipse testatur [7]. 2. Quia duo posteriora capita Danielis, quæ

[1] Ita D. Hieron. in cap. 49 Isaiæ. — [2] L. 1 *de Doctr. Christ.*, c. 15. [3] In fine epist. ad Leandrum. — [4] Lib. 1 *Etimolog.*, cap. 5. — [5] L. 5 *de Script. Eccles. ad calcem.* — [6] Epist. 118, quæ est præf. Jerem. — [7] Epist. 110 et 111.

in Hebræo non reperiebantur, desumpsit ex versione Theodotionis, ut ipse testatur [1].

Dixi 3. *Fere totum;* quia Psalterium, quod exstat in nostra Vulgata, non est illud quod Div. Hieronymus vertit ex hebræo, nec illud quod vertit ex græco in latinum, cum illæ versiones, quæ exstant inter opera D. Hieronymi, multum differant a Psalterio nostræ Vulgatæ, sed est Psalterium antiquæ versionis Italæ, quod D. Hieron. ad hebraicos et græcos fontes emendavit semel et iterum, ut patet ex *Præf. Psalt. ad Paulam et Eustochium.*

PETES. *Quare Ecclesia Vulgatam veterem Psalterii translationem retinuit ?*

RESP. Causa videtur consuetudo, qua omnes Ecclesiæ latinæ jam assueverant quotidie canere Psalmos juxta latinam veterem versionem, et plerique ex memoria Psalmos recitabant; porro valde arduum fuisset novam translationem inducere, cum *difficile sane senis sit linguam mutare, et canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum*, ait Div. Hieron., *Præfat. in Daniel.*

Dixi 4. *Et Novum ad græcum emendavit,* quia Div. Hieron. nusquam Novum Testamentum vertit, sed antiquam Italam versionem a mendis, quæ vel per imprudentiam, vel per librariorum incuriam irrepserant, emendavit.

DICES : D. Aug. [2] dicit Hieronymo : *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex græco interpretatus es* Ergo.

RESP. *Nego conseq.* Illa enim vox, *interpretatus es,* sumi debet pro hac alia, *emendasti,* ut eam explicat Div. Hieronym. ad August. rescribens [3] : *Et si me, ut dicis,* inquit *in Novi Testamenti emendatione suscipis, etc.*

QUÆRES 1. *An Vulgata nostra sit authentica?*

RESP. Vulgata nostra est declarata authentica a Concil. Trid. sess. 4, his verbis : *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus*

[1] Præf. in Danielem. — [2] Epist. 10, c. 4. — [3] Ep. 11 inter August.

latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quæ-nam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, prædicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.

OBJICIES. Vulgata nostra non est conformis primigenio Scripturæ textui, sive Hebræo, sive Græco; ergo non est authentica.

RESP. *Dist. ant.* Non est conformis in eis quæ sunt levioris momenti, *conc.;* in eis quæ fidem, mores, aut substantiam rei spectant, *nego ant. et conseq.* Fateor itaque Vulgatam nostram in aliquibus levioris momenti discrepare a textu originario, tum quia in originarium textum varia irrepserunt menda, quæ in Vulgata nostra sunt emendata; tum quia interpres latinus sententias non semper ad verbum, sed cum aliqua elegantia expressit; verum illa levioris momenti non impediunt authenticitatem Vulgatæ, quæ textu primigenio conformis est in omnibus sententiis, et in eis quæ fidem et mores spectant.

QUÆRES 2. *Quo sensu Conc. declaravit Vulgatam esse authenticam?*

RESP. Hoc sensu, quod simpliciter et absolute sit fidelis et sincera in iis quæ ad fidem et mores spectant, cum originali lingua bene concordans, nihilque contineat fidei aut bonis moribus repugnans, ut declarat Vega [1], qui Concil. Trident. interfuit : *Eatenus,* inquit, *voluit Synodus, eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset nullo eam defœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi possit.* Et Canus qui [2] asserit Vulgatam retineri debere *in his omnibus quæ ad fidem et mores spectant.* Idem docet Bellarminus.

Hinc 1. Ecclesia non declaravit Vulgatam authenticam hoc sensu, quod debeat anteponi Hebraicis et Græcis fonti-

[1] Lib. 15 in Conc. Trid., cap. 9. — [2] L. 2, *de Locis*, cap. 15.

bus germanis, prout calumniatur Calvin.[1]. Nam Conc. Trid. Vulgatam nullo modo comparavit cum Hebraicis aut Græcis fontibus, quorum *nullam mentionem fecerunt Patres Tridentini; sed solum ex tot versionibus latinis, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt quam cæteris anteponerent*, ait Bellarm.[2].

Hinc 2. Conc. non declaravit Vulgatam authenticam hoc sensu, quod nulla omnino levis momenti menda in ea reperiantur, ut volunt aliqui Theologi; nam eo tempore, quo sacra Synodus suum decretum promulgavit, selectis Doctoribus mandavit, ut Vulgatæ emendationi sedulo incumberent, quam correctionem incœptam a Pio IV, sub quo Conc. finitum est, continuaverunt Pius V, Sixtus V, quæ tandem sub Clemente VIII perfecta est, ut patet ex Præfat. Sixtinis Bibliis præfixa. Ergo Patres Trident. non arbitrabantur Vulgatam esse ab omnibus mendis, vel levissimis, immunem.

Dices : Si essent aliqua errata in Vulgata, rejici posset in aliquibus locis sub prætextu erratorum : falsum conseq. ex Trid. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Rejici posset, etc., ab Ecclesia vel a Summo Pontifice, cujus est, ut caput universale Ecclesiæ, sacros libros in sua puritate conservare, et a mendis scriptorum et librariorum emendare, *conc.;* a privatis Doctoribus, *nego maj.* et sic ad minorem.

Itaque id tantum Conc. Trident. intendit, ut nullus privata authoritate aliquid, quantumvis minimum, audeat contra Vulgatam admittere aut ponere : *Sed in re tam gravi*, ait Bannes[3], *expectanda est Ecclesiæ Catholicæ censura.*

Quæres 3. *Quandonam licitum sit recurrere ad fontes pro emendatione codicum Latinorum?*

Resp. Cum Bellarm.[4] : Licitum est recurrere ad fontes :

1. Quando in codicibus nostris videtur esse error scribarum aut librariorum.

[1] In Antidoto, sess. 4. — [2] Lib. 2, *de Verbo Dei*, c. 10. — [3] 1 parte, q. 1, art. 8, dub. 5, conc. 6. — [4] L. 2, *de Verbo Dei*, cap. 11.

2. Quando Latini codices variant, nec certo sciri potest quænam sit vera Vulgata lectio, possumus recurrere ad fontes, et inde juvari ad veram lectionem inveniendam, quæ certe erit quæ conformis erit fonti.

3. Quando verba aut sententia in latino sunt ambigua, possumus recurrere ad fontes, si forte ibi non sit ambiguitas, ut dubius sensus tollatur, et verus eruatur.

4. Licet recurrere ad fontes, ad energiam et proprietatem vocabulorum intelligendam.

ARTIULUS IV.

DE VERNACULIS SACRÆ SCRIPTURÆ VERSIONIBUS.

Nota. Hæretici frequenter nobis objiciunt sacrorum Bibliorum in vulgares linguas translationem et usum ab Ecclesia omnibus perperam interdici, persuadereque conantur lectionem Sacræ Scripturæ in lingua vulgari omnibus indiscriminatim, etiam plebeiis ac mulieribus, esse concedendam, eamque debere in divinis officiis decantandis usurpari : contra quos

CONCLUSIO I [1].

Ecclesia non prohibet absolute lectionem Scripturæ Sacræ in lingua vulgari translatæ; sed cum non expediat eam omnibus passim concedi, ideo justissime prohibet ut omnibus indiscriminatim concedatur.

PROB. PRIMA PARS : Quia nullibi exstat prohibitio generalis de qua agitur; imo Biblia in lingua vulgari, mandan-

[1] * Certe nunquam Ecclesiam Scripturæ Sacræ lectionem, in vulgari lingua, interdixisse fidelibus constat ex variis Scripturarum versionibus in omnes ferme linguas ante Protestantium ætatem vigentes, quas Ecclesia nunquam improbavit, ut ipsi ultro concedunt. Præterea antiquitus in tota Europa lingua latina vulgaris erat apud fere omnes Christi fideles, omnes ergo Bibliam legebant quin Ecclesia aut Romani Pontifices conquesti sint. In sequentibus vero sæculis propter Hæreticorum fraudes, ad vitandas fraudes subversionum in lingua vernacula obtenta et periculum perversionis avertendum, sacrorum Bibliorum lectio in lingua vulgari cœpit fidelibus interdici, ubi autem hæc lectio utilis visa est, non modo Romani Pontifices non prohi-

tibus Summis Pontificibus et Episcopis ubique typis mandantur et per eos, quorum id officii est, probantur.

PROB. SECUNDA PARS : Illud non expedit omnibus concedi, quod, licet in se bonum, tamen ratione circumstantiarum loci, temporis, et personarum, potest pluribus esse noxium; atqui talis est Scriptura Sacra in lingua vulgari translata; multi enim propter infirmitatem, temeritatem, ignorantiam aut malitiam, plus ex ejusmodi lectione detrimenti quam utilitatis haurire possent, ut *experimento manifestum est*, ait IV regula Conc. Trid. Ergo.

PROB. *min.* Quia si populus rudis in Canticis Canticorum sua lingua vulgari legeret : *Osculetur me osculo oris sui; læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me;* vel in Osea : *Vade, et fac tibi filios fornicationum;* vel quomodo Lot dormivit cum filiabus suis; quomodo Ruth sponsum quæsivit; quomodo Sara, Rachel et Lia ancillas suas viris suis dederint in concubinas, etc., vel contemneret sanctos Pa-

buerunt, imo vero et promoverunt, cum scilicet certiores effecti sunt de versionum fidelitate, ut videri potest apud R. P. Perronne (*De Loc. Th.*, part. 2, cap. 5, prop. 2) : « L'expérience, inquit Hurter (*Vie d'Innoc. III*, liv. 14, page 36) avait appris que les hérétiques citaient quelquefois l'Écriture sainte pour appuyer leurs opinions, non seulement l'interprétaient selon leur système, mais la traduisaient en langue vulgaire et la communiquaient aux autres, sans s'inquiéter si la traduction en rendait fidèlement le sens. Si ceux dont la vie était consacrée à la science avaient été obligés de se livrer avec persévérance à beaucoup de travaux, de recherches et de méditations suivies, pour connaître exempte de toute erreur la vérité révélée, telle qu'elle est renfermée dans les saintes Écritures, combien ne devait pas paraître dangereuse l'idée de placer entre les mains de tout le monde, sans avoir égard à la capacité et à la droiture de volonté de chacun, un livre qui peut conduire l'homme aussi facilement à l'erreur que dans le chemin du salut ? Une foule d'hommes et de femmes imitèrent à Metz ce que Waldo avait fait à Lyon : on leur traduisit la plupart des écrits du Nouveau Testament, et ils en firent le sujet de conférences dans leurs réunions. Ils regardaient avec dédain ceux qui ne voulaient pas y prendre part, méprisaient les avertissements des prêtres, cherchaient à se justifier par les sentences sacrées. Si un ecclésiastique s'entretenait avec eux des choses sacrées, ils répondaient : *Nous les connaissons mieux que vous.* »

triarchas, vel provocaretur ad imitandumea quæ imitari non licet, quod esset grande scandalum.

Prob. tertia pars: Ex regula quarta Conc. Trid. vigente in locis ubi promulgatum est Concilium, quæ sic habet: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte, judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ne cum consilio Parochi vel Confessarii, Bibliorum a Catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex ejusmodi lectione, non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant, etc.*

Ex hac quarta Regula Indicis a Papa Pio IV ejusque successoribus approbata, patet a lectione Scripturæ vulgari damnum potius oriri, si cunctis indiscriminatim concedatur facultas legendi versiones vernaculas, illas præcipue quibus apposita non sunt commentaria verum sensum exponentia; uti sunt elegantissimæ illæ Illust. ac Rever. DD. Antonii Martini, archiep. Flor. Merito igitur a Clem. XI damnatæ sunt, in bulla *Unigenitus*, Quesnelli propositiones 80, 81, 83, 84, 85, 86, in quibus Regulam prædictam impugnavit.

Usu contrario, seu potius abusu, hæc lex nunquam potuit antiquari : consuetudo enim, ut legem abroget, rationabilis esse debet. Unde etiam in Gallia et Germania, nemo, absque licentia ab Episcopo concessa, potest sacras Scripturas in vernaculas linguas translatas legere [1].

[1] * Ut legitime quærerentur Protestantes de Ecclesiæ agendi ratione, bare deberent sacræ Scripturæ lectionem Christi fidelibus indiscriminaa esse necessariam ad salutem, quod nunquam in æternum probare poterunt neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex ipsa rei natura: 1° nuspiam exstat aliquod præceptum divinum aut ecclesiasticum, alias Protestantes in medium attulissent, cum ad illud sæpe provocati fuerint. Nam quos afferunt Scripturæ textus, vel ad questionem non faciunt, vel ad solos

CONCLUSIO II.

Non convenit, in sacris mysteriis celebrandis, linguam adhibere vernaculam.

Prob. 1. Quia hæc consuetudo adversatur traditioni Ecclesiæ Catholicæ, quæ in suis precibus publicis non aliam linguam, quam hebraicam, græcam et latinam adhibuit... 2. Quia hæc consuetudo plus quandoque detrimenti quam utilitatis afferret plebi; cum enim multa Scripturæ loca sint in speciem pugnantia, vulgus ea concordare non valens, erroris inde occasionem sumeret... 3. Quia quandoque ex lectione Scripturæ in lingua vulgari posset oriri scandalum; refert enim Bellarminus [1] se audivisse ab homine fide digno: *Cum in Anglia a ministro Calvinista in templo legeretur lingua vulgari, cap. 25 Ecclesiastici, ubi multa dicuntur de malitia mulierum, surrexisse feminam quamdam, atque dixisse: Istudne est verbum Dei? imo potius verbum Diaboli est.*

Hinc Conc. Trident. [2] justissime statuit ne Missa vulgari lingua celebretur.

Objectiones.

Objicies 1. *Cum Kemnitio*: Christus et Apostoli ad promiscuam plebem conciones habuerunt lingua vulgari; ergo eidem promiscuæ plebi permittendum est Sacras Scripturas legere lingua vulgari.

sacerdotes et Ecclesiæ ministros respiciunt, vel Scripturæ lectionem ut utilem tantum commendant, ut ex eorum textuum explicatione luce meridiana clarius infertur; 2° non exurgit illa necessitas ex ipsa rei natura, alias semper Scripturæ lectio fuisset necessaria; ast per priora viginti ab orbe condito sæcula, non erant Scripturæ quæ legerentur; a Moyse ad Christum, gentiles absque tali lectione salutem consequi potuerunt, divina opitulante gratia. Post vero Christum usque ad typographiæ inventionem, ita rari fuerunt Scripturarum codices, ut quam pauci fideles illos legere potuerint aut quia non habuerunt, aut quia litteras non dedicerant. Etiam nunc, quot populi fideles illitterati, quot Christiani etiam inter Protestantes, qui propter easdem aut alias rationes Scripturas nunquam legérunt! Num illi omnes ad Barathrum sunt deputandi, quia quod non potuerunt non fecerunt?*

[1] L. 2 *de Verbo Dei*, cap. 15. — [2] Sess. 22, cap. 8, can. 9.

Resp. *Nego conseq.* Nam verbum Dei recte prædicatur lingua vulgari, quia prædicatio explicationem continet quam omnes facile capiunt, et quæ plurimum valet ad erudiendos vulgares homines in his quæ spectant ad fidem et mores; at cum scribitur, nudus textus scribitur, qui consequenter ab omnibus non capitur.

Objicies 2. *Cum Brentio:* Finis divinorum officiorum publicarumque lectionum est populi instructio, consolatio et ædificatio, juxta illud Apost. Rom. 15 : *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* : atqui ex lingua ignota nulla potest esse instructio, ædificatio, etc. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Nam finis præcipuus divinorum officiorum non est populi instructio aut consolatio, sed cultus Deo ab Ecclesia debitus et reddendus.

Inst. 1. Scriptura Sacra ad omnium instructionem condita est doctrinamque continet omnibus communem; ergo ab omnibus legi debet lingua vulgari.

Resp. *Nego conseq.* Quia licet Scriptura contineat doctrinam omnibus communem, tamen multa continet, quorum vulgares non sunt capaces, et quorum idcirco notitia ad Pastores pertinet, non autem ad vulgares, qui de iis quæ ad ipsos spectant sufficienter instruuntur per conciones frequentissimas, quæ in singulis Ecclesiis fieri debent; ad hoc enim Deus posuit in Ecclesia *Pastores et Doctores*[1].

Inst. 2. Lectio librorum linguæ vulgaris easdem afferret utilitates scientibus linguam vulgarem, quas affert lectio Bibliorum latinorum scientibus linguam latinam; ergo eis est permittenda in officiis divinis.

Resp. *Nego ant.* Quia qui callent linguam latinam, eruditione superant communem populum; unde possunt ea quæ non intelligunt addiscere per lectionem interpretationum et commentariorum SS. Patrum et Doctorum.

Inst. 3. *Cum Quesnello*[2] *: Eripere Christianis Scripturas, præsertim Evangelium, est illis obturare os Christi, est privare*

[1] Ephes. 4. — [2] Prop. 84 et 85.

lumine filios luminis, et illos quadam specie excommunicationis ferire; ergo hoc est illicitum.

Resp. *Nego ant.* Quia etiamsi ipsi Christi documenta non legant, illa frequenter a suis Pastoribus audiunt; ergo non ipsis os obturatur, non privantur lumine, nec ulla excommunicationis specie feriri videndi sunt, qui a lectione Scripturæ Sacræ removentur, cum ab instructionibus et documentis Christi ore Pastorum suscipiendis non arceantur.

Inst. 4. *Cum Quesnello :* injustum est impedire filium ne legat Testamentum patris sui; sed Evangelium Christi pro omnibus confectum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Injustum est, etc., si illa lectio non possit esse illi noxia et si aliunde non possit cognoscere ultimas patris sui voluntates, *conc. maj.*; secus, *nego maj.* Porro aliquibus Christianis potest esse noxia lectio Evangelii, et aliunde, nempe ex instructione Pastorum, voluntates patris sui Christi cognoscere possunt.

Objicies 3. Horrendum est Scripturam Sacram inter libros prohibitos reponere; atqui id factum est a Pio IV. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Horrendum est reponere, etc., tanquam librum *per se noxium, conc. maj.*; tanquam librum *per accidens noxium, nego maj.* Panis est alimentum in se optimum, nemo tamen absurdum, imo sapienter factum judicabit, si mater infanti tenello panem auferat, cui ratione debilitatis ille cibus noxius esset, ut lac solum subministret : quis similiter absurdum judicare potest, si Ecclesia lectionem Scripturæ Sacræ eripiat e manibus illorum, quibus periculosa illa et noxia foret?

Objicies 4. Innocent. III [1] præcipit ut cum in aliqua urbe permixti sunt homines diversarum linguarum, Episcopus provideat viros idoneos, qui diversis linguis divina officia celebrent; ergo licitum est celebrare mysteria divina lingua vulgari.

Resp. *Nego conseq.* Innoc. loquitur tantum de lingua

[1] Cap. *Quoniam in plerisque, de officio judicis ordinarii.*

græca et latina; nam cum tempore quo Constantinopolis fuit a Latinis capta, permulti essent in Græcia Latini Græcis permixti, postulatum est a Pontifice in Conc. generali Lateran. ut permitteret duos Episcopos ordinari in talibus locis; respondit S. Pontifex, non convenire ut sint duo Episcopi in una Ecclesia, sed tantum debere Episcopum providere ut sint ministri idonei, qui græce Græcis, et latine Latinis sacra celebrarent.

Objicies 5. Apostolus docet publicas Ecclesiæ preces et lectiones debere fieri lingua vulgari. Ergo, etc., nam dicit [1]: *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est; quid ergo? orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente : cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas nescit; nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur.* Ergo.

Resp. *Nego ant.* Ad prob. *nego cons.* nam Apost. hic non loquitur de Scripturis, vel officiis divinis, quæ cum græce fierent, ut fatentur Hæretici, a multis intelligebantur, sed loquitur de oratione, seu laude Dei et gratiarum actione, quas interdum Christiani consueverant componere et canere tempore collationum spiritualium, de quibus loquuntur Eusebius ex Philone, et Tertull. [2], et quoniam illa Cantica cantabantur ad populi instructionem et consolationem, voluit Apost. ut non componerentur lingua peregrina, quomodo aliqui Christiani faciebant, sed lingua quæ intelligeretur, ut idiotæ similia componendi incapaces, saltem possent ea confirmare dicendo *Amen*.

Objicies 6. D. Chrys. sæpissime hortatur Laicos, etiam servos et ancillas, ad lectionem sacrarum litterarum; ait enim [3]: *Audite, obsecro, sæculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ pharmaca : si nihil aliud vultis, vel Novum Testamentum acquirite, Apostolorum Acta, Evangelia. etc.* Ergo Scripturæ

[1] 1 ad Cor. 14. — [2] Euseb., l. 2, *Hist.*, c. 17; Tertull., cap. 39; *Apologet.* — [3] Hom. 9, in ep. ad Coloss.

debent vulgari lingua omnibus indiscriminatim permitti.

Resp. *Dist. conseq.* Debent permitti omnibus qui cum fructu legere possunt, *conc.*; omnibus omnino, etiam iis qui possunt Scripturis abuti, et grave incommodum inde accipere, *nego cons.* Itaque quamvis verba Chrysostomi sint universalia, non sunt tamen universaliter accipienda, sed accommodate juxta mentem illius, et occasiones quibus ad ea dicenda adducebatur. Igitur eo tempore homines, etiam capaces, neglecta penitus Scriptura Sacra, erant dediti theatricis spectaculis aliisque nugis; propterea D. Chrys. ut eam excuteret desidiam, perpetuo hortabatur omnes ad lectionem Scripturarum, non quod vellet omnes omnino, etiam rudissimos, eas legere, sed ut ii saltem eas legerent, qui cum fructu et sine periculo id poterant.

QUÆSTIO VI.

DE SCRIPTURÆ SACRÆ SENSU.

Nota. Sensus Scripturæ est *ejus genuina significatio*, sive est res quam Spiritus Sanctus voluit significare per Scripturam. Agemus 1. De sensu Scripturæ in genere. 2. De sensibus litterali et mystico. 3. De sensu accommodatitio. 4. De ejus interpretatione.

ARTICULUS I.

DE SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ IN GENERE.

Quær. 1. *Quotuplex sit sensus Sacræ Scripturæ?*

Resp. Duplex est, litteralis et mysticus.

Sensus litteralis est ille quem verba sive proprie, sive metaphorice accepta immediate significant. Ex qua definitione patet sensum litteralem esse duplicem, proprium nempe et metaphoricum.

Sensus litteralis proprius est ille quem verba, proprie accepta, immediate significant, ut in hac prop. *Abraham duo filios habuit, unum de ancilla et unum de libera* [1].

[1] Gal. 4, v. 22.

Sensus litteralis metaphoricus est ille quem verba, figurate accepta, immediate significant · ut cum Christus dicitur, *Leo*, *Agnus*, *Vitis*, tunc est sensus litteralis metaphoricus, quia unum dicitur verbis, et aliud sub illis intelligitur; nempe sub illis vocibus, *Leo*, *Agnus*, *Vitis*, Christi fortitudo, mansuetudo et fecunditas intelliguntur.

Sensus mysticus, seu spiritualis, est ille qui non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis, indicatur; sic quod in Genesi [1] dicitur de duobus filiis Abrahæ Apostolus [2] in sensu mystico exponit de duobus Testamentis.

Sensus mysticus triplex assignatur, Allegoricus nimirum, Tropologicus et Anagogicus.

Sensus Tropologicus, seu moralis, est rei ad morum instructionem significatio, per aliam rem Scripturæ verbis immediate significatam. Unde est de rebus agendis.

Sensus Allegoricus est rei ad Christum et Ecclesiam Militantem pertinentis significatio, per aliam rem Scripturæ verbis immediate significatam. Hinc est de rebus credendis.

Sensus Anagogicus est rei ad Ecclesiam Triumphantem pertinentis significatio, per aliam rem Scripturæ verbis immediate significatam. Unde est de rebus sperandis.

Sunt ergo quatuor Scripturæ sensus his versibus expressi:

Littera gesta docet; quid credas Allegoria;
Moralis quid agas; quo tendas Anagogia [3].

[1] Gen. 16, v. 22, et c. 21, v. 2. — [2] Ad Galat., c. 4.

[3] Quoniam ad intelligentiam sensuum Scripturæ divinæ sectandi maxime sunt Ecclesiæ Patres, et ex his nonnulli alios præstitere in explicando unum potius quam alterum sensum; quibus ducibus in singulis sensibus utendum nobis sit, metrice indicat Sixtus Senensis, lib. 3 suæ Bibliothecæ, carminibus hisce:

Historiam Hebræis et Græcis fontibus haustam
Hieronymo disces duce.
Allegorias, anagogiasque recludent
Origenes et Ambrosius.
Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus et Gregorius.
In dubiis altaque locis caligine mersis
Aurelius lucem feret.
At brevis et facilis non aspernanda Tyroni
Lirinensis expositio.

Nota. Quadruplex ille sensus in una voce, *Jérusalem,* occurrit, nam *litteraliter* significat urbem Palestinæ capitalem; *allegorice,* Ecclesiam; *tropologice,* animam hominis, et *anagogice,* patriam cœlestem; quod ante mille annos totidem verbis docuit Cassianus [1].

Quæres 2. *An sit de fide Scripturam sub una littera continere lures sensus?*

Resp. *Affirm.* Nam illud est de fide quod expresse in Scriptura reperitur : atqui quod Scriptura sub una littera plures sensus contineat, expresse reperitur in ipsa Scriptura; nam historiam litteralem de Jona, qui tribus diebus et tribus noctibus extitit in ventre ceti, de se ipso per allegoriam exponit Christus [2]. Item quod Exodi 12 litteraliter de Agno Paschali scribitur : *Os non comminuetis ex eo,* impletum est in Christo [3].

ARTICULUS II.

DE SENSU SACRÆ SCRIPTURÆ LITTERALI ET MYSTICO.

Quæres 1. *An sub iisdem Sacræ Scripturæ verbis aliquando multiplex sit sensus litteralis?*

Resp. *affirm.* Est communis, quam etiam innuunt Sacræ Scripturæ. Sic, v. gr. quod dictum fuit de Israel [4] : *Ex Ægypto vocavi filium meum,* id de Christo interpretatur Matthæus [5]; sic illud Psalmistæ : *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te;* Apostolus [6] exponit de generatione Christi æterna : *Cui Angelorum dixit : Filius meus es tu?* etc. quod idem Apostolus [7] explicat de resurrectione Christi : *Resuscitans Jesum, sicut in Psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sic illud Isaiæ 37 : *Generationem ejus quis enarrabit?* a Patribus intelligitur de æterna simul et temporali Christi generatione; utraque enim est ineffabilis.

[1] Collat. 14, cap. 4.— [2] Joan. 2, v. 14.— [3] Joan. 19, v. 36.— [4] Osee, 11, 1. — [5] C. 2, v. 15. — [6] Hebr. 1. — [7] Act. 13.

Quæres 2. *Ex quo Sacræ Scripturæ sensu Theologia certa potest deducere argumenta?*

Resp. Ex solo sensu litterali, non autem ex mystico, nisi ille ab Ecclesia proponatur, aut Scripturæ et traditionis authoritate nitatur, aut ex ipsa textus serie certo colligatur.

Prob. Quia sensus mysticos quandoque pro suo quisque ingenio ac pietate cudit, et quo jure ab uno excogitantur, eodem possunt contemni ab altero. Ergo, etc. Hinc D. Hieronymus [1] ait : *Nunquam parabolæ et dubia ænigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum proficere;* et Augustinus : *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?*

Dixi, *nisi aut ab Ecclesia proponantur, aut Scripturæ authoritate nitantur*, etc. Tunc enim firmissimum præbet Theologiæ argumentum, quia tunc certum est illum sensum mysticum a Spiritu Sancto fuisse intentum. Talis est sensus quem Apostolus [2] ex his verbis Deuteronomii 25 : *Non alligabis os bovi trituranti*, **eruit** ad probandum ministris Evangelii deberi stipendia. Talis est ille, quo D. Petrus [3] docet eos qui in arca Noe servati sunt [4] significare mystice eos qui in Ecclesia salvi fiunt per Baptismum : *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma.*

Quæres 3. *Utrum in quolibet Scripturæ Sacræ textu, præter sensum litteralem, contineatur aliquis sensus mysticus?*

Resp. *negat.* cum Div. August. [5] dicente : *In quibusdam locis solus sensus litteralis quærendus;* ergo non in omnibus. Quis enim sensus mysticus quærendus in his textibus : *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Non occides, non furtum facies*, etc. Ergo concludit Div. Epiphanius [6] : *Non omnia habent verba divina opus allegoria, sed prout se habent, accipienda sunt.*

Quæres 4. *An detur aliquis textus in Scriptura in quo non sit sensus litteralis, sed tantum spiritualis?*

[1] In c. 13 Matth. — [2] Cor. 9, v. 9. — [3] 1 Petri, c. 3, v. 20. — [4] Genes. 9. v 14. — [5] Q. 2, super Genesim. — [6] L. 2, hæresi 16.

Resp. *negat.* Nam sensus litteralis desumitur ex immediata significatione verborum, sive in propria, sive in figurata acceptione ex Spiritus Sancti intentione; atqui nullus assignatur locus, cujus verba aliquid immediate non significent, sive proprie, sive metaphorice : ergo nullus est locus, qui non habeat sensum litteralem.

Dices. Juxta SS. Patres in figuratis locutionibus et parabolis, non litteræ sed spiritui est inhærendum ; ergo in illis est solus sensus spiritualis.

Resp. *Dist. ant.* Non est inhærendum litteræ, in sensu proprio consideratæ, *conc. ant.*; in sensu metaphorico et figurato, *nego ant.* Porro sensus absconditus sub his figuris est sensus litteralis : sic hujus textus Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum,* etc., sensus litteralis metaphoricus hic est : *Si amicus, vel proximus,* etc., *qui tibi serviunt tanquam manus et pes, scandalizant te, consortium illorum devita.*

Quoad parabolas, notandum quod in ipsis duæ sint partes : 1. Quæ continet rem, quæ in similitudinem affertur : 2. Quæ applicationem continet; et utraque suum habet sensum litteralem. Exemplum sit parabola qua Christus[1] utitur ad prædicandam Evangelii propagationem. *Simile est,* inquit, *regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Hæc parabola habet duplicem partem. Continet mulieris factum, quod adducitur in similitudinem, et habet sensum litteralem mulieris factum exprimentem. 2. Continet applicationem, et habet quoque sensum litteralem, qui hic est : *Sicut modicum fermentum in magnam farinæ massam immissum, eam multo quam antea, reddit majorem, ita Evangelium in Palæstina prædicatum, brevi tempore totum pervadet orbem; et sic Ecclesia in Palæstina primum instituta, atque angustis terminis contenta, brevi tempore magna sumet incrementa, et longe lateque propagabitur.*

[1] Matth. 13.

ARTICULUS III.

DE SENSU SACRÆ SCRIPTURÆ ACCOMMODATITIO.

QUÆRES 1. *Quid sit sensus accommodatitius.*

RESP. Est *ille quo ea quæ litterali aut mystico sensu, alia occasione, dicuntur in Scriptura, per quamdam extensionem ac similitudinem ad aliquid aliud applicantur.* Unde nec mediate, nec immediate est intentus a Spiritu Sancto, nec habet auctoritatem divinam, et ideo ex eo non potest desumi firmum argumentum ad probanda fidei et morum dogmata.

QUÆR. 2. *An sensus accommodatitius admitti possit?*

RESP. *affirm.* Hic enim sensus admitti potest, quo Scriptura ipsa, Ecclesia et SS. Patres usi sunt; atqui sensu accommodatitio Scriptura, Ecclesia et SS. Patres usi sunt : sic quod [1] dicitur de Jesu Sacerdote et Zorobabele duce, sanctus Joannes [2] accommodat Enoch et Eliæ, dicens : *Hi sunt duo olivæ.* Sic quod Christus [3] dixit de Nathanaele : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est,* Ecclesia adaptat sancto Confessori, sicut adaptat Confessori Pontifici quæ [4] dicuntur de Abraham : *Non est inventus similis illi,* etc.

QUÆRES 3. *Quænam conditiones requiruntur ut Scripturæ adscribatur sensus accommodatitius?*

RESP. Requiruntur quatuor.

I. Ut sensus accommodatitius non introducatur, nec astruatur tanquam sensus litteralis et mysticus, quod maxime reprehendit D. Hier. [5].

II. Ut sensus falsus non attribuatur Scripturæ per accommodationem, quod inique et turpiter fecerunt Michael Servetus, Lutherus et Calvinus, sibi ipsis accommodantes illud Apoc. 12 : *Michael et Angeli ejus,* etc.

III. Ut sensus accommodatitius ad res pias applicetur : nec enim verba Scripturæ possunt applicari ad facetias,

[1] Zach. 4. — [2] Apoc. 11. — [3] Joan. 2 v. 14. — [4] Eccli. 44. — [5] Epist. ad Paulin.

spurcitias, vel profana ; hoc rigidis pœnis prohibet Concilium Tridentinum, sess. 4. Ad hoc attendant caveantque fideles Ecclesiastici, quorum hoc sæpe vitium est, in scandalum simplicium et timoratorum.

IV. Ut quando sacer scriptor dicit quidpiam factum esse, *ut adimpleretur Scriptura*, illud per accommodationem non accipiatur, sed vel sensu litterali quando id secundum litteram fit, quod erat prædictum; vel mystico, quando figura aut prophetia ipso eventu impletur.

* ARTICULUS IV.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ INTERPRETATIONE.

Duplex Sacræ Scripturæ distinguitur interpretatio, una *dogmatica* et altera *exegetica*. Interpretatio *dogmatica* ea est quæ *potestate* seu *auctoritate* fit cum obligandi vi omnes fideles talem genuinum esse verbi Dei sensum, pro suoque objecto habet aliquod fidei dogma, vel aliquam veritatem ad fidem vel ad mores pertinentem, aut quæ alio quovis modo ad fidei depositum pertinent. Interpretatio *exegetica* est quædam privata, doctrinalis et scientifica expositio et narratio ad faciliorem sacri textus intelligentiam. Interpretatio *exegetica* uniuscujusque doctrinæ, industriæ et studio permittitur ab Ecclesia, dummodo intra limites pro rei natura debitos se contineat. At interpretatio *dogmatica* et authentica ad solam unice pertinet Ecclesiam, quod tamen Protestantes mordicus negant, quamvis diversi diversam afferant rationem; siquidem : alii solius Ecclesiæ dogmaticam et authenticam interpretationem excludunt, quia summa, inquiunt, Sacrarum Scripturarum in omnibus est claritas [1]; alii, quia autumant spiritum privatum legitimum esse Scripturæ Sacræ interpretem [2]; alii quia contendunt Scripturam Sacram ipsam *cum* aut *sine* spiritu privato judi-

[1] Ita Lutherus aliique passim antiquiores apud Bellarm. *de Verbo Dei*, lib. 3, cap. 1. — [2] Apud Bellarm., loc. cit., cap. 3.

cum esse controversiarum, et per scipsam sufficienter interpretari. Quamvis eorum errores pluries jam confutaverimus [1], quia tamen hoc palmare est Protestantium principium, et quia nunquam satis dicitur quod nunquam satis discitur, ideo ostendemus : 1° Scripturam Sacram non adeo in omnibus, præsertim in iis quæ ad fidem et mores pertinent, esse claram, ut non aliquo indigeat interprete ; 2° Interpretem illum alium non esse aut esse posse quam Ecclesia Catholica; 3° Qualemcumque interpretem a Protestantibus prædicatum omnino fallacem esse, nec posse Ecclesiæ partes, pro dogmatica et authentica interpretatione suscipere. Unde

CONCLUSIO I.

Sacra Scriptura, præsertim in iis quæ ad fidem et mores pertinent non ita clara est, ut non indigeat interprete.

PROB. 1. *Ex Scriptura sacra.* S. Petrus de Epistolis S. Pauli [2] ait : *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perniciem.* Et Psaltes Regius [3] a Deo legis suæ efflagitat intelligentiam : *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam. Faciem tuam illumina super servum tuum. Doce me justificationes tuas.* Atqui, si ita clara est Scriptura Sacra, ut nullam præ se ferat difficultatem, quanam ratione sic Psalmista lumen et intellectum a Deo efflagitet ? Unde D. Hieronymus [4] ait : *Si tantus propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua non putas parvulos et pene lactentes inscitiæ nocte circumdari ?*

Hinc Christus non solum plures textus Scripturæ discipulis suis explicavit [5], sed et *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* [6]. Hinc eunuchus Candacis Reginæ ad Phi-

[1] Vide prolusiones in tract. de Ecclesia. — [2] 1 Petr., cap. 3, v. 16. — [3] Psalm. 128, v. 34 et 68, 135, etc. — [4] Epist. 58, ad Paulin, n. 9 — [5] Luc. 24, v. 29. — [6] Ibid., v. 45.

lippum sibi dicentem : *Putasne intelligis quæ legis ?* Respondit : *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Ergo, etc.

PROB. 2. *Ex SS. Patribus,* qui unanimes plane sunt in asseveranda Scripturarum obscuritate [1]; unde patet maximam oriri difficultatem in Scripturis interpretandis, teste S. Augustino, qui [2] scribit : *Neque enim natæ sunt hæreses et quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bonæ, et quod in eis non intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.* Item S. Cyprianus loquens de Hæreticis [3], Hæreticos vocat *interpretes falsos.* Et S. Irenæus : *Scripturas,* inquit, *confitentes (Hæretici), interpretationes vero convertunt.* Quod magis patet ex sequenti.

PROB. 3. *Ex exemplis.* Hæc verba S. Matthæi [4] : *Ei qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium :* item Lucæ [5] : *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus :* et ibid. [6] : *Vendite quæ possidetis et date eleemosynam.* Item Joann. [7]. *Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes :* et alia sexcenta continentne præceptum, an solum concilium ? Spectatis tamen verbis, videntur clarissima. At nisi interveniat Ecclesiæ interpretatio, fiunt obscurissima, et a spiritu privato ridicule sæpius interpretantur ; sic, v. gr., quia scriptum est in S. Matthæo [8] : *Ego autem dico vobis non jurare omnino,* Quackeri recusant juramentum interponere etiam in judicio ; quia scriptum est in Exodo [9] : *Memento ut diem Sabbati sanctifices,* ridicule diem Dominicam diem *Sabbati* vocant, ne videantur hoc transgredi præceptum ; quia scriptum est [10] :

[1] Conf. Bellarm., *de Verbo Dei,* lib. 3, cap. 1, et Bonfrerium in Proloquiis, cap. 9, sect. 2. — [2] Tract. 18 in Joan., n. 1. — [3] Lib. *de Unitate Eccles.* — [4] Cap. 5, v. 40. — [5] Cap. 14, v. 33. — [6] Cap. 22, v. 35. — [7] Cap. 13, v. 14. — [8] Cap. 5, v. 34. — [9] Cap. 20, v. 8. — [10] Matth. 10, v. 72.

Quod in aure auditis, prædicate super tecta, nonnulli Protestantes super tecta ascendebant, ad prædicandum transeuntibus; et alia innumera quæ nimis longum esset referre [1]. Atqui in his agitur de rebus maximi momenti ad fidem vel ad mores pertinentibus. Ergo Scriptura Sacra per se non est clara in omnibus, etiam in his quæ ad fidem vel mores pertinent. Quo pacto aliter esse posset, ubi tanta sensuum varietas sub cortice litteræ delitescit, ubi tot figuratæ locutiones, ubi ad res præteritas sæpe alluditur, ubi mores et consuetudines nobis ignota depinguntur, ubi phraseologia ipsa, idiotismi, etc., multiplicant difficultates ?

Prob. 4. *Ex ipsorum adversariorum agendi ratione.* Notæ sunt Lutheri, Zwinglii, Calvini eorumque gregalium interpretationes verborum Christi : *Hoc est corpus meum;* notæ sunt eorum interpretationes de peccato originali ejusque propagatione, de prædestinatione, de justificatione, de gratiarum distributione, et inter recentiores, de Sacramenti Baptismatis necessitate, in quibus explicandis tot sunt fere sensus quot sunt capita. Atqui, si Scriptura Sacra in omnibus ita est clara, ut nullo indigeat interprete, quo factum est ut inter vel ipsos Protestantium doctores, tanta sit discordia etiam in his quæ maximi sunt momenti ? Quid autem dicendum esset de plebe, cum actum sit de antesignanis.

Prob. 5. *Ex ipsa adversariorum confessione.* Ipsemet Lutherus, qui primus omnium Scripturarum claritatem proclamavit, parum sibi consentiens, ut solemne est heterodoxis, ait : *In Scripturis, vix scimus A B C, et adhuc non recte* [2] *. Dei verbum est inscrutabile..... volui aliquoties Decalogum meditari, et quando prima illa verba :* Ego sum

[1] Cum quæreretur a Luthero, quare ipse, cum Monachus fuerit et voto continentiæ astrictus, duxerit Catharinam Boream sanctimonialem, respondit : Quia scriptum est (Genes. 2, v. 18) : *Non est bonum esse hominem solum.*

[2] In Sympos iacis, cap. 1, fol. 2, 6, et fol. 3.

DOMINUS DEUS TUUS *offendi, cœpi hæsitare in pronomine illo* EGO. *et hoc* EGO *nondum possum recte intelligere.*

Francowitz, *Flaccus Illyricus* nuncupatus [1], centum quinquaginta et unum argumenta subministrat ad ostendendam Scripturarum obscuritatem. — Wegescheider [2] dicit Scripturam Sacram argumentum continere *multis in locis ambigue et obscurissime expressum*, item *Scriptorum sacrorum sensum haud raro inventu difficilem.* — At notatu sunt digna verba Jeremiæ Taylor, celebris inter Anglos protestantis [3] : *On y trouve* (dans la Bible) *des mystères qui, quelque bien qu'ils soient exprimés, ne sont pas faciles à saisir, et qui seront toujours obscurs et inintelligibles pour notre conception bornée. Enfin les moyens ordinaires d'interpréter les Écritures, tels que l'examen des originaux, le rapprochement de divers passages, la parité de raison, l'analogie de la foi, sont tous douteux, incertains et très-faibles. De tout cela, il suit que les plus sages, et par conséquent ceux qui paraissent devoir le plus probablement découvrir le vrai sens, méritent néanmoins peu de confiance. Ces causes d'erreur sont comme autant de raisons de douter qu'au milieu de tant de mystères et de difficultés, ils aient rencontré juste.* Lockius, Macknit, Bayle et alii perplures summam agnoscunt difficultatem recte sacras Litteras interpretandi [4]. Ergo, etc.

Objectiones.

Obj. Utrumque Testamentum probat Scripturarum claritatem, præsertim circa fidem et mores. Ergo, etc.

Prob. ant. 1° Ex Vet. Test. : *Mandatum hoc quod præcipio vobis hodie, non supra te est, neque procul positum* [5]. — *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* [6]. — *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis* [7]. —Et iterum [8] : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.*

[1] In catalogo testium veritatis Francofurti, 1672. — [2] Ex. § 47. — [3] *De Libert. prophetandi*, sect. 4, gallice versum. — [4] Vide P. Perronne, *de Locis theolog.*, part. 2, c. 3, passim. — [5] Deut., c. 11. — [6] Psalm. 18, v. 9. — [7] Psalm. 118, v. 105. — [8] Ibid., v. 130.

2° Ex Nov. Test. — S. Petrus ait : *Habemus firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*[1]. Unde sic : Scriptura quæ supra nos non est, neque procul posita, quæ lucida illuminat oculos, quæ lucerna et lumen est pedibus nostris, quæ intellectum dat parvulis, et lucet quasi lumen in tenebris, prorsus est luce meridiana clarior; atqui talis est Sacra Scriptura. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Est luce meridiana clarior, si intelligi potest eo sensu quo adversarii exponunt, *conc.;* alias *neg.* Jam vero textus objecti nullo modo possunt eo sensu accipi quo volunt adversarii, ut ex responsione ad singula patebit.

Igitur ad primum *dist.* Mandatum de quo agitur non supra nos est, eo sensu quod, adjuvante gratia, nobis non sit impossibile, quia Deus impossibile non jubet, *conc.;* eo sensu quod facile aut difficile sit ad cognoscendum, *neg.* Etenim hic non agitur de intelligentia, sed de observantia mandatorum Dei, ut patet ex contextu.

Quoad textus Psalmistæ, *dist.* Lex est clara in litteræ cortice, et prout est lex aliquid expresse præcipiens vel prohibens, *conc.;* tunc enim lucida, lucerna, lux, lumen dicitur, clara scilicet et indubia; v. gr. quando lex dicit : *Non occides,* omnes percipiunt ipsum homicidium esse prohibitum. Lex est clara prout implicite aliquid includit, et quoad multiplicem sensum et mysteria quæ sub cortice litteræ delitescunt, *neg.* Etenim : 1°, quamvis ex hac lege : *Non occides,* intelligant omnes illicitum esse hominem occidere; obscurum tamen erat utrum præcepto illo, sicut homicidium, sic odium, ira, rixæ, etc... interdicantur, prout reipsa Christus declaravit, et Judæi minime intelligebant. Ratio hujus est quia Scriptura Sacra legem quidem condit in genere materiæ de qua agitur; at nihil dicit de diversis speciebus et de casibus pene infinitis, qui per conclusiones seu con-

[1] 2 Epist., cap. 1, v. 19.

sequentias etiam remotissimas deducuntur; in quo negotio maximas esse obscuritates patet ex diversis theologorum opinionibus. Lex igitur est clara simul et obscura, sub tamen diverso respectu; et sic intelligitur quomodo est lumen, lux, et tamen propheta lumen et lucem a Deo flagitat ad legem scrutandam. 2° Sacra Scriptura multiplicem habet sensum, figuras omnis generis continet: pluries sensus litteralis est relinquendus; plura et profunda recondit mysteria, vaticinia, etc... quæ magnam generant obscuritatem.

Ex verbis autem S. Petri supra objectis claritas Scripturarum non evincitur, quia S. Petrus non de tota Scriptura, sed de vaticiniis tantum loquitur quæ ad adventum Christi referuntur, quæque clariora post Christum effecta sunt, cum eorum veritatem et sensum probaverit eventus. Ergo Scriptura Sacra non ita clara est, ut aliquo non indigeat interprete. *

* CONCLUSIO II.

Nullum ex Protestantium systematibus sufficiens est ad recte Scripturam Sacram interpretandam.

Nota. Hic agitur de sola interpretatione dogmatica.

Ad tria, ut superius diximus, revocantur Protestantium systemata, nempe : aut Scriptura ipsa, aut solus spiritus privatus seu ratio individualis, aut spiritus privatus per interiorem Sancti Spiritus illustrationem unicuique communicatam edoctus, vi cujus certus quisque efficitur de vero Sacræ Scripturæ sensu. Atqui nullum ex his est sufficiens ad recte Scripturam Sacram interpretandam : quod probo per partes.

Prob. prima pars. Non quidem *Scriptura ipsa* hoc potest; 1° quia ipsa mortua est, nec sententiam dicere valet, si qua circa rectam sui intelligentiam controversia exoritur, ut patet; 2° quia controversiæ omnes præcise versantur circa ejusdem Scripturæ sensum, nec ullus est hæreticus qui non appellaverit ad Scripturam, quam sibi unice favere clami-

tat; sic Lutherani, sic Calvinistæ, Anabaptistæ, etc. Unde S. August. [1] ait : *Neque enim non omnes Hæretici Scripturas Catholicas legunt; nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.* 3° Quia de natura est legum codicis omnis ut ab aliquo judice interpretatur; atqui Scriptura Sacra codex est leges hominibus a Deo datas continens. Ergo, etc... Et sane quam insipiens haberetur in regimine politico qui, cum lis ageretur, contenderet solam legem seu codicem esse interpretem et judicem sui, nec propterea magistratus sententiæ se subjicere vellet! Haud tamen minus insaniunt qui Scripturam Sacram sui judicem esse atque interpretem concedunt. Ergo 1°, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Nec spiritus privati systema est sufficiens ad rectam Scripturæ Sacræ interpretationem. Etenim : 1° omnis interpretatio dogmatica ab interprete qui infallibilitate ac necessaria auctoritate pollet, proficisci debet. Atqui spiritus privatus seu ratio individualis, nec est infallibilis, nec necessaria gaudet potestate ad ejusmodi præbendam interpretationem. *Major* patet ex ipsa definitione dogmaticæ interpretationis, et ex dictis in tractatu *de Ecclesia* atque in sequenti propositione dicendis. *Minor* est pariter *certa*. Ratio enim individualis ex una parte de se non est infallibilis, præsertim cum agitur de veritatibus ordinis supernaturalis quæ captum ejus superant, vel etiam ordinis moralis naturalis, ut in tractatu *De divina ac supernaturali Revelatione* notavimus; ex altera parte, nullam ex se habet potestatem imperandi aliis, illisque suas interpretationes imponendi. Ergo, etc... 2° Illud systema respuendum est ut prorsus insufficiens, quod unitatem fidei et religionis perimit; atqui systema spiritus privati seu rationis individualis unitatem fidei et religionis perimit. Ergo etc... *Major* est certa, siquidem una fides esse debet, sicut unum

[1] *De Genes. ad litt.*, cap. 9, n. 13.

Baptisma et unus Dominus [1]. *Prob. minor.* In hoc enim systemate, unusquisque de veritate judicium ferre solet, sicut rem videt; illam autem videt prout animo *subjective* affectus est; cum autem hæc affectio subjectiva ad infinitum diversificatur, hinc fit ut tot necessario oriantur interpretationes quot sunt capita. Hujus assertionis haud pauca præbuerunt exempla hæretici, maxime recentiores, Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, Quakeri, Puritani, Anabaptistæ, Baptistæ, etc... qui in perpetuo semper conflictu secum inter sunt circa præcipuos doctrinæ articulos: de reali Christi præsentia in Eucharistia, de baptismo infantium, de justificatione, prædestinatione aliisque non paucis. 3° Illud systema est rejiciendum quod inconstantiam et dubium generat; atqui, etc... Tanta siquidem est hominis inconstantia, ut quod sibi hodie videtur certum, cras ut falsum respuat; atque hujus inconstantiæ haud pauca præbuerunt exempla Pseudo-reformati, ita ut Schleymayer, Lutheranus ac professor Berolinensis, astruxerit Scripturam mutari singulis quindecim annorum periodis [2], et celebris Wette [3]: *Ce serait rétrogader*, inquit, *d'une manière dangereuse que de vouloir imposer à l'Eglise protestante un corps de doctrines* STATIONNAIRES, *tel que celui de l'Eglise Catholique; un tel projet serait aussi contraire à l'esprit du siècle. D'ailleurs, il n'est exécutable que sous un chef de l'Eglise protestante.* Ex illa perenni inconstantia et dubitatione, alii, ut Sociniani, mysteria omnia sustulerunt de medio; alii, ut Rationalistæ, omnia miracula et vaticinia, vel ipsam revelationis et inspirationis notionem penitus evellerunt; alii tandem et ipsam Christi divinitatem negarunt [4].

PROB. TERTIA PARS, nempe: systema de Spiritus Sancti interiori illustratione fallax est in interpretatione dogmatica Scripturæ Sacræ. *Prob.* Illud systema fallax est et re-

[1] Eph., cap. 4, v. 5. — [2] Apud P. Perronne, *Loc. theol.*, part. 2, c. 3, prop. 3. — [3] In op. *Theologia et Religio*, p. 274. — [4] Conf. Mœhler et Moore.

jiciendum, quod homines in apertam animorum conflictationem inducit, quod fovet enthusiasmum et fanatismum, quod ad infanda quæque scelera propellit, quod tandem ipsam Scripturam explodit; atqui his omnibus coinquinatur Protestantium systema de Spiritus Sancti interiori illustratione. Ergo, etc.

Prob. min. 1. Pertrahit homines in apertas conflictationes, ut experimento ipso constat quotidiano; siquidem ii omnes qui sese Spiritu Sancto illustratos in Scripturis exponendis jactant, contradictoria docent, licet Scripturæ innixi. 2° Enthusiasmum ac fanatismum fovet, imo et furorem provocat : *Quanta enim*, inquit P. Perronne [1], *ea propter sectariorum copia ex ipso Protestantismi sinu, veluti craborum agmina, pullularunt... et bellum mutuum et atrox inter se concitarunt, quanquam cuncti a Spiritu Sancto in Scripturis interpretandis agerentur.* 3° Impellit ea persuasione ad nefanda crimina; siquidem non pauci populos incitarunt ad occidendum sacerdotes et magistratus, suaserunt hominibus se liberos esse a proprietate bonorum, ut alios expoliarent a proprietate uxorum et proprietate superstitionis, ut vocabant, et omnia illa quæ indidem promanant turpissima consectaria [2]. 4° Inducit hominem ad omnem Scripturam abjiciendam. Et sane, si Spiritus quemque docet hominem interius veritates necessarias ad salutem, ut quid ad Scripturarum adminiculum recurrendum erit? Hinc afflatu Spiritus Sancti, alii alios Scripturæ Sacræ libros ut apocryphos respuerunt, quos scilicet cum eorum erroribus conciliare non poterant. Ergo... Ergo systema de Spiritus Sancti interiori illustratione fallax est in Scripturis inter-

[1] Loc. cit.

[2] Lege Milner; *Excell. de l'Eglise cath.*, tom. 1, lett. 6. — Moore, Moehler, *Symbol.*, lib. 2, et alios bene multos. — Herman a Spiritu Sancto impulsus sese declaravit Messiam, clamans auditoribus suis : *Occidite sacerdotes, occidite magistratus in mundo; pœnitentiam agite; appropinquat redemptio vestra.* Apud P. Perronne, loc. cit.

pretandis; aliunde nec spiritus privatus, seu ratio individualis, nec ipsa Scriptura Sacra sunt ejusdem Scripturæ legitimus interpres. Ergo nullum ex Protestantium systematibus sufficiens est ad recte ac dogmatice Scripturam Sacram interpretandam. Verumtamen omnes conveniunt fidem theologicam, absque regula aliqua proxima et infallibili cui homines sese subjicere debeant, nec esse nec concipi posse. Restat igitur aut, absque fide, in perpetuo religioso scepticismo fluctuandum, aut ad aliud systema interpretationis recurrendum, quod unicum est ipsa Ecclesia Catholica, ut invicte conclusione sequenti demonstrabimus.

Objectiones.

Obj. 1. Illa regula in Scripturarum interpretatione est admittenda, quam Deus præscripsit; atqui Deus semper in controversis ad legem ipsam remittit.

Prob. min. Isaias [1] dicit : *Ad legem magis, et ad testimonium* Christus ad Scripturas Pharisæos provocat [2] : *Scrutamini Scripturas.*

Resp. ad primum, *nego conseq.:* Nam in objecto Isaiæ loco prohibentur Judæi ne consulant pythonissas et ariolos ad futuros eventus cognoscendos contra prohibitionem legis; quid in hoc commune cum nostra quæstione? Sed ad sacerdotes remittuntur, cum agitur de controversis, ut jubetur in Deut. [3] : *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris... surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis veritatem... Qui contempserit nolens obedire sacerdotis imperio.... morte morietur...* sicut etiam Christus dixit : *Qui vos audit, me audit... qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [4].

Ad textum ex S. Joanne allatum, *dist.* Christus Judæos

[1] Cap. 8, v. 20. — [2] Joan., cap. 5, v. 39. — [3] Cap. 17, v. 8 et seqq. — [4] Luc. 9, v. 16; Matth. 18, v. 17.

remittit ad Scripturas tanquam ad solum supremum judicem et solum dogmaticum interpretem, *neg.*; tanquam ad testimonium confirmatorium, et, ut ita dicam, subsidiarium, *conc.* Ad intelligenda S. Joannis verba, sciendum est Christum hic de sua agere missione; cum vero jam tribus, Joannis videlicet, suorum miraculorum, ac Patris sui testimoniis illam comprobasset, Judæos ad Scripturas provocat, quæ ab istis testimoniis difformes esse non poterant; unde non dixit : *Legite, judicate*, sed *scrutamini Scripturas, quia illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Aliunde infelici conatu S. Joannis verba hic objiciuntur; nam, si Sacra Scriptura tam clara, ut dicunt, per seipsam est, cur Judæi per eam Christum non agnoverunt?

Inst. 1. Scriptura, quatenus verbum Dei, est infallibilis, homines vero sunt essentialiter fallibiles, juxta illud D. Pauli [1] : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Ergo Scriptura ipsa sui interpres est, et consequenter fidei ac controversiarum judex.

Resp. 1. *Dist.* Homines, soli derelicti, sunt fallibiles, *trans.* vel *conc.*, homines divina *assistentia* suffulti, cujusmodi Ecclesia est, cui Christus suum magisterium commisit, et se ei perpetuo adfuturum spopondit, ut mox probabimus, *neg.* Sacra Scriptura quatenus est verbum Dei est infallibilis, *conc.*, ergo est sui interpres, *neg. cons.* Nemo quidem inficiatur Scripturam Sacram, quoad se et in se, infallibilem esse et veritatem continere; at difficultas tota est ex parte nostra : 1° quoad ejus existentiam, 2° quoad rectam ejus intelligentiam. Propositio fidei, ut observat Bellarminus [2], in hoc syllogismo concluditur : quidquid Deus revelavit in Scripturis est verum; atqui hoc Deus revelavit in Scriptura; ergo est verum. Prima propositio ab omnibus admittitur; at secunda, nempe quid Deus revelavit in Scripturis et qualis sit illa Scriptura, est obscurissima, nec unquam in

[1] Ad Roman., cap. 3, v. 4. — [2] Lib. 3 *de Verbo Dei*, cap. 10, n. 28.

æternum ipsa Scriptura, aut aliud quodcumque Protestantium systema declarabit. Ergo, etc.

Inst. 2. Illa regula est admittenda quam ipsa Scriptura ponit in proprio uniuscujusque jure; atqui Scriptura indiscriminatim unicuique jus facit proprio judicio interpretandi sacras litteras.

Prob min. Ex Apostolo qui [1] ait : *Omnia probate; quod bonum est tenete.* Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Ad probat. *dist.* Apostolus commendat fidelibus probare dona gratuita de quibus hic loquitur, quibusque per eam ætatem abundabant fideles, *conc.;* probare fidei dogmata per privatam Scripturæ interpretationem, *neg.:* ne unum quidem de his verbum habuit Apostolus.

Obj. 2. Esto neque Scripturam solam, neque spiritum privatum seu rationem individualem posse esse regulam interpretationis Scripturæ certam; spiritus tamen privatus per interiorem Spiritus Sancti illustrationem hoc valet, si Deus ipse id declaraverit; atqui pluribus in locis Deus id declaravit. Ergo, etc.

Prob. min. Ex S. Joan. [2] : *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Et [3] *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Et Apostolus [4] dicit : *Spiritus judicat omnia et ipse a nemine judicatur.* Et Joannes [5] : *Non necesse habetis ut quis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est et non mendacium; et sicut docuit vos, manete in eo.* Ergo.

Resp. *nego min.* Et ad varios textus probationis resp. : Ad 1^um^ et 2^um^, *dist.* Hæc verba promissoria Christi ad Ecclesiam respiciunt, et illam judicem infallibilem constituunt, ut mox probabimus, *conc.*; ad unumquemque fidelium et illum infallibilem faciunt Scripturarum interpretem, *neg.* Alias

[1] 1 Thessal., cap. 5, v. 20. — [2] Cap. 14, v. 26. — [3] V. 16.
[4] 1 Cor., cap. 2, v. 15. — [5] 1 Epist., cap. 2, v. 27.

dicant adversarii cur tot dissensiones, tot variæ interpretationes Scripturæ inter suos, etiam in his quæ ad fidem et mores pertinent. Numquid Spiritus Sanctus spiritus est dissensionis et sibi contrarius, ita ut unum Luthero, et aliud Calvino, et aliud alio suggesserit de uno eodemque objecto? Nisi velit unusquisque se solum præter cæteros omnes a Spiritu Sancto afflari, quod insaniæ et superbiæ cumulus esset. Ergo, etc.

Ad textum Apostoli, *dist.* Spiritualis seu perfectus Christianus interiori lumine illustratus judicat, id est discernit omnia, nempe terrena a cœlestibus, spiritualia a carnalibus, ad suum aliorumque profectum, *conc.*; judicat judicio definitivo et dogmatico, *neg.* Hunc sensum esse genuinum patet ex contextu, ubi Apostolus totus est ad probandum animalem hominem non percipere ea quæ sunt Spiritus Dei, nempe supernaturalia, nec de illis judicium ferre posse, cum divino ad hoc lumine opus sit.

Quoad verba S. Joan. *dist.* Non necesse habetis ut quis doceat vos, nisi quod jam a nobis accepistis, *conc.*; non necesse habetis ut quis doceat vos, ita ut quisque vestrum per se judicare possit de quibuscumque fidei Christianæ controversiis, *neg.*: hoc enim prorsus alienum est a mente S. Joannis, ut patet ex tota Epistola et ex sua secunda Epistola. Admonet enim fideles ut ex antiquitate judicent de veritate doctrinæ, si videlicet ab initio prædicatæ et fundatæ fidei tradita sit, et tanquam fidele depositum per Episcoporum successiones ad nos transmissa; quod de suis dogmatibus, in quibus ab Ecclesia Catholica discesserunt, sectarii docere non possunt. Hi enim fideles ad quos Joannes scribit habebant Episcopos et Presbyteros, quibus instruebantur et continebantur in doctrina Apostolica; nec adhuc ab hæreticis seducti erant, sed tenebant quod acceperant. Eatenus ergo doctore opus non habebant, quatenus omnia noverant per magisterium Apostolorum, Episcoporum et Presbyterorum. Igitur *unctio*, inquit, id est doctrina quam

accepistis a Spiritu Sancto, maneat in vobis. Aliunde hæc verba temere objiciuntur ab adversariis; si enim ad litteram accipiantur, sequeretur rejiciendos esse ipsorum ministros utpote inutiles.*

* CONCLUSIO III.

Solius Ecclesiæ est dogmaticam præbere Scripturæ Sacræ interpretationem.

Interpretatio dogmatica, ex supradictis, in suo conceptu debet esse *infallibilis* simul *et juridica :* scilicet infallibilis circa objectum dogmaticum, sive res ad fidem et mores respicientes, et juridica, seu *auctoritativa,* quatenus ille qui eam edit, auctoritate pollere debet qua fideles cogi possint ut intellectum suum subjiciant atque assentiantur; atqui solius Ecclesiæ est ejusmodi præbere Scripturæ Sacræ interpretationem.

Prob. maj. Ex ipsa rei de qua agitur natura. 1° Enim natura hujus interpretationis duo exigit, ut supra diximus, scilicet *infallibilitatem* et *auctoritatem* in eo qui eam præbet; ubi harum conditionum alterutra deest, nequit dogmatica dari interpretatio. Etenim sublata infallibilitate, nullum jam relinquitur jus ad ejusmodi edendam interpretationem; fideles enim adduci non possunt ut firmum alicui præbeant assensum, nisi persuasum habeant judicem non errasse [1]. Sublata auctoritate, nemo adigi potest ad illam admittere interpretationem, ut patet. 2° Veritates religionis divinæ fide quoque divina credi debent, ut ipsi fatentur Protestantes; ergo fide infallibili; atqui hanc infallibilem certitudinem habere non possumus, nisi infallibile sit judicium judicis. Ergo, etc. 3° Rationes quæ controversiarum judicem exigunt a Christo ipso institutum, eumdem quoque

[1] Hinc Bouiller : *Un chrétien ne peut soumettre sa conscience aux décisions d'une autorité qu'il ne croit pas infaillible.* Du Pyrrhonisme de l'Eglise romaine, page 22.

exigunt infallibilem, ut probatum ubi de Ecclesia; atqui hujusmodi controversiæ maxime oriuntur ex privatis Scripturarum interpretationibus, propter earum obscuritatem etiam in iis quæ ad fidem vel mores pertinent, ut in præcedentibus propositionibus ostensum est. Ergo, etc.

Prob. min. nempe solius esse Ecclesiæ ejusmodi præbere Scripturæ Sacræ interpretationem.

1° Ex *missione* quam Ecclesia habuit a Christo. Etenim Christus non commisit Ecclesiæ duntaxat ministerium prædicandi docendique omnes gentes, sed insuper cathedram seu magisterium instituit juge et infallibile quo sartum tectumque inter fideles Christi doctrinæ depositum servaret : ergo consequenter debuit eidem pariter committere interpretationem dogmaticam Scripturarum, ut quoties movetur quæstio circa alicujus loci Scripturarum sensum, Ecclesiæ solius sit, vi propriæ missionis, dogmaticam hujus loci præbere interpretationem, quam audire teneantur omnes qui undique sunt fideles. *Subsumo.* Atqui illa Ecclesia infallibilis, docens et dogmatice interpretans, a Christo instituta, non est alia quam Ecclesia Catholica, ut in tractatu de Ecclesia convincitur. Aliunde, posito fidem Theologicam, absque regula proxima et infallibili, nec esse nec concipi posse, ut fatentur omnes, sic argumentor : fidei Theologicæ regula proxima et infallibilis non invenitur nec in Scriptura sola, nec in sola individuali ratione, nec in spiritu privato a Spiritu Sancto illustrato, ut probatum est. Ergo aut Ecclesiæ Catholicæ admittenda est auctoritas, aut, absque fide, in perpetuo religioso est fluctuandum scepticismo. Unde Rousseau jure optimo sic perstringebat Genevensium cœtus pastorum : *Qu'on me prouve que je dois soumettre ma raison à une autorité quelconque, et dès demain je suis catholique* [1].

2° Ex *perpetua praxi* ejusdem Ecclesiæ; quia vix ab exor-

[1] Cité par Perrone, *de Loc. theol.*, part. 2, cap. 2, prop. 3.

dio exorta est aliquando controversia circa genuínum Scripturarum sensum, qui fidei depositum quoquo modo attingeret, ut statim Ecclesia suam interposuit interpretationem ad illam dirimendam. Si ergo auctoritatem usurpavit illegitimam, fatendum erit eam vel ab incunabulis, paucis post Christum annis, ad Lutheri cæterorumque Protestantium ætatem penitus interiisse; quod absurdum suo loco demontravimus. Ergo ipso facto perpetuo constat Ecclesiæ Catholicæ soli competere auctoritatem dogmatice edendi Scripturarum interpretationem [1].

OBJECTIONES.

OBJ. 1°. Multa Scripturarum effata non possunt consistere cum dogmate de supremo Ecclesiæ magisterio ejusque interpretatione. Ergo, etc.

Prob. ant. Christus [2] alloquens Discipulos, ait : *Vos autem nolite vocari Rabbi; unus est enim Magister vester... nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.* Et [3] : *Ego non ab homine testimonium accipio.* — Et idem [4] : *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Et rursum [5] : *Oves meæ vocem meam audiunt.* Hinc incolentes Beræam *quotidie* (erant) *scrutantes Scripturas, si hæc quæ a Paulo dicebantur ita se haberent* [6].

[1] Hinc plane notatione dignum quod adjicit R. P. Perronne, dicens : « Quoties actum est de hæreticis sibi anterioribus vel de hæresibus suæ contradictoriis, toties libenter agnoverunt Novatores Ecclesiam esse legitimum Scripturarum interpretem; tunc vero solum ejus auctoritatem recusarunt, cum eam erroribus suis seu privatæ suæ interpretationi adversantem experti sunt : sic, v. gr., Ariani tanquam rectissimum probavere judicium quod Ecclesia tulit adversus præposteras Gnosticorum et Sabellianorum Scripturæ interpretationes; Nestoriani pro animo amplexi sunt Ecclesiæ sententiam in Arianos prolatam; Pelagiani rata omnia habuerunt quæcunque contra Nestorianos atque Eutychianos sanxisset Ecclesia; Protestantes denique fassi sunt Ecclesiam legitimum Scripturarum sensum opposuisse illorum omnium hæreticorum interpretationi... » *De Loc. theol.*, loco cit.

[2] S. Matth., cap. 23, v. 8. — [3] S. Joan., cap. 5, v. 34.

[4] Cap. 7, v. 17. — [5] Cap. 10, v. 27. — [6] Act., cap. 17, v. 11.

Resp. generatim, *dist. ant.* Non possunt consistere juxta privatam Protestantium interpretationem, *conc.;* per se et in genuina interpretatione, *neg.*, cum, si excipias textum ex Act. Apost. desumptum, in reliquis nuspiam aut de Scripturis aut de Scripturarum interpretatione sit sermo, ut patebit ex brevi consideratione.

In 1° enim textu, tantum excludit a discipulis magistri denominationem, qua Scribæ et Pharisæi captantes aurem popularem, cupiebant cæteris eminere, honorari et vocari Rabbi præ Christo, imo excluso Christo.

In 2° Christus loquitur : Ego pro me, teste Joanne non egeo; sum enim Deus Deique Filius, cui Joannes, Moyses et Prophetæ credere debent ab eoque doceri. Quid hic ad quæstionem nostram?

In 3° Christus pariter loquitur de sua divina missione deque cœlesti origine doctrinæ suæ, suosque provocat auditores ad mandata Dei amanda et observanda; et sic, inquit, mea quoque dicta amabit et observabit, quia ego non alia dico et doceo quam quæ Deo sunt placita ab eoque mandata. Unde tacite innuit Jesus ipsos amare vitia, non virtutes.

In 4° Christus significat suas oves dociles quæ sibi optemperant, et tanquam suum Pastorem et Messiam agnoscunt et sequuntur, et Judæis subsumendum relinquit : Vos autem vocem meam non auditis; ergo non estis ex ovibus meis. Quid inde ad quæstionem?

Beroenses autem, de quibus agitur in Act. Apost., nondum erant fideles, nec retractanti animo scrutabantur Scripturas, nec ad inquirendum illum vel alterum controversum Scripturæ sensum, sed ad motiva expendenda credibilitatis ut christianam religionem amplecterentur, aut in veritate quam susceperunt cum *omni aviditate* magis confirmarentur; et in hac investigatione digni erant.

Obj. 2° : Si Ecclesia est Scripturarum infallibilis interpres, ergo est supra Scripturam; judex enim supra illos est quos judicat.

Resp. 1° *Retorq. arg.* In systematibus Protestantium ratio individualis est Scripturæ interpres; ergo est supra Scripturam.

Resp. 2°. *Nego conseq.* Quia Ecclesia non magis est supra Scripturam, cum præbet authenticam ac juridicam interpretationem, quam judex qui litem dirimit est supra legem, cum ejus sensum authentice ac juridice explicat, et inter litigantes sententiam dicit. Nec magis illam judicat quam judex legem; judicat autem non Scripturam, sed de hominum circa Scripturam sententiis.

Obj. 3°. Catholici non verbo Dei, sed hominis innituntur, cum actum fidei eliciunt; credunt enim non propter Scripturam, sed propter verbum hominum seu Ecclesiæ.

Resp. *Nego maj.* Nam Catholicus firmiter credit propter verbum Dei, quodnam aut sit illud verbum Dei et quinam ejus sensus genuinus, ab infallibili Ecclesiæ discit testimonio. Sic, v. g., qui promissum Regis accipit per internuntium, fidelitate internuntii de promisso regio certioratur; at cum certus est regem locutum fuisse, propter verba regis, non vero nuntii, rem sperat promissam.

Obj. 4°. Illud est rejiciendum quod maximum fidei divinæ affert detrimentum; atqui systema Catholicorum maximum affert divinæ fidei detrimentum. Ergo, etc.

Prob. min. In systemate Catholicorum, Ecclesiæ judicium requiritur, ut quæ divina fide credenda sunt, innotescant. Ergo expectandum est hoc Ecclesiæ judicium, ut certum fiat dogma aliquod ad fidem pertinere; jam vero, quam tarde dicatur illud judicium, experientia comprobat. Unde sequitur, v. g., fideles ne quidem divinitatem Christi fide divina credere potuisse, ante Concilii Nicæni decretum. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.*; ad probationem, *nego* pariter *min.* et *sequel.* Etenim confundunt adversarii definitionem ab Ecclesia datam in articulis controversis, cum generali et publico Ecclesiæ consensu. Ad fidem divinam pertinet quid-

quid certa et infallibili ratione scitur in verbo Dei tum scripto tum tradito esse contentum. Jam vero quid in hoc verbo contineatur, innotescit non solum per decretorium Ecclesiæ judicium, sed etiam ex constanti sensu et doctrina Ecclesiæ. *Neque refert,* inquit Veronius, *an illa propositio emanet ex Concilio aliquo universali, ex ejus decreto et definitione, aut ex sensu fidelium.* Hinc patet quam inepte quidam Catholici, dicunt in genere : Hoc non est Ecclesiæ decretorio judicio definitum; ergo de fide non est, et sine periculo defendi potest. Sciendum est igitur Ecclesiam, generaliter loquendo, non definire per judicium decretorium, nisi ant in profligandos Hæreticos, ad eorum confringendam audaciam qui docent contra id quod jam fuit decretorie definitum, vel constanti Ecclesiæ doctrina et sensu professum, aut in aliqua veritate revelanda, quæ utrum necne ad depositum doctrinæ Christi pertineat, inter Catholicos doctores dubitatur. In hoc secundo casu, quid *formaliter* et *explicite* credere debeant fideles ab Ecclesia docentur; in primo autem, eorum fides tuetur tantum ac roboratur. *

QUÆSTIO VII.

DE REGULIS AD EXPOSITIONEM SACRÆ SCRIPTURÆ NECESSARIIS.

Nota. Decem regulæ ad expositionem Sacræ Scripturæ faciendam, communiter traduntur.

Regula I. est D. Augustini [1] docentis, Scripturam Sacram semper ad litteram esse intelligendam, nisi aliquid inde sequatur adsurdi.

Regula II. est D. Hieronymi dicentis : *Hoc in omnibus Scripturis sanctis observandum est, Apostolos, et Apostolicos viros in ponendis testimoniis de Veteri Testamento, non verba con-*

[1] Lib. *de* ***Doctr. Christ.***

siderare, sed sensum, nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant.

Regula III. Ut quis genuinum Scripturæ sensum assequatur, debet semper attendere scopum auctoris agiographi, atque perpendere quorsum, quibus, ex cujus persona et ad quos loquatur. Spiritus enim Dei sublimis et acer, in partem in quam inclinat ita vehementer fertur, ut ad extrema videatur declinare, ideoque plus velle, quam de facto velit. Sic Apostolus, ut extollat charitatem apud Corinthios, qui in dono linguarum gloriabantur, dicit sine caritate cætera omnia nihil esse, nihil prodesse [1].

Regula IV. Scriptura Sacra sensui, captuique hominum passim sese accommodat, ideoque ut plurimum humano modo loquitur de Deo, v. g., cum ei tribuit humanam faciem, oculos, manus, pedes, etc., ut significet varia ejus attributa. Item cum ei tribuit amorem, tristitiam, gaudium, iram, aliasque passiones, quæ, licet sint in Deo quoad effectum, non sunt tamen in eo quoad affectum, nec mera accidentia sicut in nobis, sed sunt ipsamet Dei essentia, quæ immota, et tranquilla illos producit effectus, qui in hominibus ex commotionibus passionum oriuntur.

Regula V. Cum Deus visibiliter apparuisse dicitur Abrahæ, Moysi et Prophetis, omnes istæ apparitiones intelligi debent factæ per Angelos, qui corporibus assumptis, Deum repræsentabant, erantque Deus *repræsentative* et *auctoritative*, non vero *personaliter*, ut docent D. Hieronymus [2], Augustinus [3], Gregorius [4], et alii passim. Sic qui apparuit Moysi, dixitque [5]: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham*, etc., fuit Angelus, ut docet D. Stephanus [6].

Regula VI. Hieroglyphicis ac symbolis sæpe utuntur Prophetæ. Sic cum Jeremias [7] dicit: *Facta est terra eorum in desolationem a facie iræ columbæ;* [8] et: *Revertamur ad terram nativi*

[1] 1 Corinth. 13. — [2] In cap. 4, ad Gal. — [3] I. 3 *de Trin.*, c. ult. — [4] In præfat. *Moral.*, c. 1. — [5] Exod. 3. — [6] Act. 7, v. 30. — [7] Cap. 25, v. 38. — [8] Cap. 46, v. 16.

tatis nostræ a facie gladii columbæ. Per *iram* et *gladium columbæ*, designat iram, et gladium Chaldæorum, in quorum labaro præferebatur columba argentea pennis inauratis Semiramidem repræsentans : et hoc quia Semiramis, quæ condidit Babylonem, fingitur in morte in columbam versa. De hac columba loquens regius Psaltes, ait : *Dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.*

Regula VII. Quando Scriptura alicui nomen novum imponit, non adimit nomen prius, sed posterius addit priori, ita ut utrovis jam nomine possit nuncupari; unde cum Deus dixit Jacob : *Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel;* sensus est, non tantum Jacob, sed etiam Israel vocaberis.

Regula VIII. Quia hagiographi fuere Judæi, hinc Orientem, Occidentem, Meridiem, et Aquilonem assignant in sacris litteris per respectum ad urbem Jerusalem et Judæam. Sic cum Daniel [1] dixit : *Rex Austri egredietur, et pugnavit adversus regem Aquilonis;* per Regem *Austri*, intelligit Regem Ægypti; et per Regem *Aquilonis*, intelligit Regem Chaldæorum : quia Ægyptus, per respectum ad Judæam est ad Austrum, Chaldæa vero est ad Aquilonem.

Regula IX. Decem tribus Israel, post schima a domo David factum sub Jeroboam, usque ad captivitatem Babylonicam, vocantur passim a Prophetis modo *Ephraim* aut *Joseph*, quia ex Ephraim filio Joseph ortus est Jeroboam, qui a schismaticis in Regem electus est; modo *Samaria*, quia sedes regum Israel erat in Samaria, et in tribu Ephraim; modo *Israel*, vel *Jacob*, quia constituebant majorem partem filiorum Israel, vel Jacob; reliquæ vero duæ tribus, scilicet Juda et Benjamin, quia adhæsere Roboam filio Salomonis, vocantur Regnum Juda, Domus David, Jerusalem et Sion. Verum post captivitatem Babylonicam, Israel et Juda pro eodem populo accipiuntur, nimirum pro Judæis e Babylone

[1] Cap. 11, v. 11.

in Judæam reductis, qui majori ex parte erant de tribu Juda, cui se junxerunt qui ex aliis tribubus reversi sunt, eique nomen dederunt; unde omnes exinde indiscriminatim nuncupantur in Scripturis *Israelitæ*, aut Judæi.

Regula X. Quando idem textus videtur habere duos sensus contrarios et impossibiles, sequentia observanda sunt et tenenda.

1. Sensus, qui a tota Ecclesia est receptus, est solus verus. Sic hujus textus : *Pater major me est* [1], sensus solus verus est, Filium, non in omnibus, sed solum secundum humanitatem, esse Patre minorem, quia hic sensus, et quidem solus, est a tota Ecclesia receptus. Hinc Arius, hunc textum universaliter interpretans, blasphemavit dicens Patrem absolute in omnibus esse Filio majorem.

2. Ille sensus est solus verus, qui magis cohæret cum alio Sacræ Scripturæ loco : sic sensus istius textus, *Pater major me est*, intellectus de minoritate Filii secundum humanitatem tantum, cohæret cum hoc alio textu [2] : *Ego et Pater unum sumus.*

3. Si unus sensus sit SS. Patrum, et sensus illi contrarius sit novus, nec in SS. Patribus repertus, Concilium Tridentinum docet sensum SS. Patrum esse tenendum, maxime si omnes, vel plures in eumdem sensum consentiant.

4. Ubi Patres circa sensum Sacræ Scripturæ dissentiunt, liberum est cuique, quem probabiliorem judicat sequi, modo illos sensus Ecclesia non respuat.

5. Quando uterque sensus est incompossibilis, nec quis fuerit a Spiritu Sancto intentus cognosci potest, nec ex alio Scripturæ loco, nec ex traditione Patrum, nec ex Conciliorum definitionibus, nec ex recursu ad fontes, nec ex diligenti consideratione antecedentium, consequentium et adjunctorum, tunc ille præferendus est, qui naturali rationi est conformior.

[1] Joann., cap. 14. — [2] Joann., cap. 10.

QUÆSTIO VIII.

REGULIS AD ELUCIDANDOS HEBRÆORUM IDIOTISMOS SEU PROPRIETATES, NECESSARIIS.

Nota. 1. Quia tota Scriptura antiqua ab Hebræis, et ut plurimum hebraice conscripta est, hebræum utique sapit idioma novum nobis ac insolitum. Item quoniam ex agiographis, alii inter Ægyptios nati et nutriti sunt, ut *Moyses;* alii inter Chaldæos commorati, ut *Ezechiel, Daniel*, alii inter Syros, et Arabes, ut Job, non raro phrasi utuntur Ægyptiaca, Caldaica, Syriaca et Arabica, quæ, ut antiquitate, sic et singularitate sua latino idiomati sunt dissimiles.

Nota. 2. Interpretes, tum græcos, tum latinos adeo linguæ sacræ religiosos esse observatores, ut sæpissime hebraizent, malintque aliquando solecismos admittere, quam phrasim hebræam dimittere. Porro ut illi hebraismi notentur, XIV Regulæ sequentes traduntur.

Regula 1. Quia casibus carent Hebræi, eodemque nomine invariato per omnes casus utuntur, hinc et interpretes subinde casum pro casu usurpant, v. gr. 2. Corinth. 8, dicitur: *Sive pro Tito, sive fratres nostri,* id est, pro fratribus nostris. Ephes. 2, v. 2. dicitur : *Secundum principem potestatis aeris hujus spiritus,* pro, secundum spiritum principem potestatum, id est, dæmonum qui in aere versantur.

Regula II. Quia indicativo præsenti et imperfecto carent Hebræi, interpretes utuntur præterito, v. gr. Psalm. 115 dicitur : *Credidi, propter quod locutus sum*; pro, credo, propter quod loquor. Quandoque etiam utuntur participio : sic 1 Corinth. 4, v. 2, dicitur: *Ad simulacra euntes*, pro, ibatis.

Regula III. Quia Hebræi carent comparativo, vel utuntur positivo, sic Psalm. 117 dicitur : *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*, pro melius est confidere in Domino.

Vel cum unum per comparationem alteri præferre volunt, id quod præferunt affirmant, aliud negant, v. gr., Osee 6 dicitur : *Misericordiam volo, et non sacrificium,* pro, misericordiam malo quam sacrificium. Psalm. 21 : *Ego sum vermis, et non homo,* pro, sum vermis potius quam homo. Vel utuntur verbo vehementiori pro minus vehementi : sic Rom. 9 dicitur : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* pro minus amavi, postposui.

Regula IV. Quia Hebræi carent superlativo, cum aliquid excellens significare volunt, utuntur vel nomine abstracto, v. gr., *Sanctitas est,* vel concreto geminato, v. gr., *Sanctum sanctorum est,* pro, sanctissimum est; *Canticum canticorum,* pro, excellentissimum canticum.

Vel utuntur voce *omnis;* sic Psalm. 106 dicitur : *Omnem escam abominata est anima eorum,* pro excellentissimam escam, nempe manna. Sic 1 Reg. 4 : *Hi sunt dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto,* id est, plaga gravissima, nempe demersione in mari Rubro; neque enim alia fuit clades Ægyptiorum in deserto.

Vel utuntur verbo minus vehementi quam intendunt significare; v. gr., 1 Machab. 2 dicitur : *Non est utile nobis relinquere legem,* id est perniciosissimum est. Item Eccl. 7 legitur : *Noli velle mentiri omne mendacium, assiduitas enim illius non est bona,* pro est valde mala.

Regula V. Hebræi ad exaggerationem in asseverando plerumque utuntur eodem verbo geminato, semel in gerundio vel participio, et semel in alio tempore posito : sic 1 Reg. cap. 9 : *Faciens,* vel, *faciendo faciam,* pro, certissime faciam. Psalm. 117 : *Castigans castigavit me,* pro vehementissime castigavit me. Thren. 1 : *Plorans ploravit,* pro amare ploravit.

Vel ad eamdem exaggerationem nomen substantivum copulant cum verbo; sic *Genes.* 2, dicitur : *Morte morieris* pro certissime morieris.

Vel affirmationi subnectunt negationem rei contrariæ,

sic Isaiæ 38 : *Morieris, et non vives,* pro certissime morieris. Thren. 2 : *Destruxit, et non pepercit,* pro omnino et integre destruxit. Joann. 1 : *Confessus est, et non negavit,* pro aperte et sine ulla tergiversatione confessus est se non esse Christum.

Regula VI. Hebræi in comparationibus plerumque non apponunt particulam comparationis, aut similitudinis; sic in hac phrasi Prov. 16 : *Favus mellis, composita verba,* omittitur particula *sicut.* Sic Psalm. 67 dicitur : *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum,* id est, cohibe sævissimos hostes, qui, sicut feræ in arundinibus, delitescunt, et sicut tauri congregati in grege vaccarum excitant strepitum et horrorem.

Regula VII. Una eademque sententia diversis locis posita, quandoque diversa, imo pene contraria significat : sic portare iniquitatem, *Lev.* 10, *v.* 17, significat veniam impetrare : *Cur non comeditis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ... data est vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, et rogetis pro ea in conspectu Domini?* E contra Levit. 17, v. ult. significat puniri pro peccato : *Quod si non laverit vestimenta sua et corpus, portabit iniquitatem suam,* id est, pœnam luet peccati sui.

Regula VIII. Hebræi ob radicum, a quibus alia nomina derivantur, paucitatem, sæpe idem nomen, verbum, ac quandoque eamdem sententiam diversis rebus designandis adhibent; v. gr., *Prophetare,* præter communem notionem quæ est futura prædicere, aliquando significat prophetiam confirmare : sic *Eccl.* 49, *v.* 18, de Joseph dicitur : *Et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.*

Aliquando significat miraculum edere; sic Eccl. 48 de Eliseo dicitur : *Et mortuum prophetavit corpus ejus,* quia suscitavit defunctum in ejus sepulcrum projectum; quod fuit virtualis propheua resurrectionis corporum.

Aliquando significat laudare Deum. Sic 1 *Reg.* 10, *v.* 5, Samuel dicit Sauli : *Cum ingressus fueris ibi urbem, obviam ha-*

bebis gregem prophetarum ... et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, cytharam, ipsosque prophetantes, id est, psalmos et hymnos in honorem Dei canentes.

Aliquando significat insana ex afflatu spiritus nequam loqui; sic 1 *Reg.* 18 de Saul dicitur : *Invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ,* id est, aliena et absurda, more arreptitiorum, loquebatur.

Aliquando significat Scripturas interpretari; sic *Cor.* 14, *v.* 3 dicitur : *Nam qui prophetat,* id est, qui Scripturas explanat, *hominibus loquitur ad ædificationem.*

Regula IX. Conjunctionum et particularum significatio varia est apud Hebræos. Sic conjunctio *et,* subinde est nota expositionis; v. gr., Matth. 23, v. 41, dicitur : *Mittet filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem.* In hoc textu conjunctio *et,* est nota expositionis horum verborum, *Omnia scandala,* per quæ intelliguntur ii qui operantur iniquitatem.

Sic particulæ *eo quod, quoniam, quia, subinde,* etc., sumuntur pro particula *Quamvis, etsi,* v. gr., Psalm. 77, v. 19 :*Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram.* Id est, quamvis percussit petram. *Jerem.* 7, *v.* 10, dicitur : *Liberati sumus, eo quod fecerimus abominationes,* id est, etsi fecerimus abominationes.

Sic particula *si,* plerumque est nota negantis, v. g., 3 Reg. 17 : *Si erit annis his pluvia,* id est non erit pluvia..; plerumque est nota jurantis, v. g., 1 *Reg.* 14, *v.* 45, dixit populus de Jonatha : *Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram,* id est, juro quod non cadet capillus de capite ejus.

Cum particula *si,* sequitur verba jurandi, si oratio sit affirmativa, particula *si* illam vertit in negantem, v. g. Psal. 94 : *Juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam,* id est, juravi quod non introibunt... Si vero oratio sit negans, particula *si* illam vertit in infirmantem, v. g. Isaiæ 24 : *Juravit Dominus, si non ut putavi, ita erit,* id est, juravit, quod ut ipse putavit, ita erit.

Regula X. Apud Hebræos, voces *amplius, ultra, æternum, sempiternum*, non semper significant absolutam æternitatem, sed diuturnam tantum durationem, quo sensu Ezechiel, cap. 26, de Tyro ait : *Non ædificaberis ultra*, nam postea reædificata est, et ab Alexandro Magno rursum vastata. Sic 1 Paralip. 15, David dicit Deum elegisse Levitas *ad ministrandum sibi in æternum*, id est, ad longum tempus.

Imo quandoque illæ voces, *sempiternum, æternum*, etc. nihil addunt orationi, præter *epithasim*, quæ rem valde exaggerat; sic cum Petrus dixit Christo : *Non lavabis mihi pedes in æternum*, id est, nullo modo patiar ut mihi laves pedes.

Regula XI. Hebræi sæpe verba realia accipiunt pro mentalibus, id est verba ex se significantia aliquid realiter factum accipiunt pro verbis declarantibus illud esse factum. Sic Levit. 13 dicitur, quod Sacerdos *mundabit* leprosum, vel *contaminabit eum*, pro mundum, vel contaminatum declarabit... Item, vice versa, verba mentalia usurpant pro realibus, v. g., Jerem. 4, v. 12, dicitur : *Loquar judicia cum eis*, id est infligam eis justas pœnas... Subinde etiam verba neutra accipiunt pro verbis activis, sic *Rom.* 8 dicitur : *Spiritus postulat pro nobis*, id est, postulare facit; sic 2 Cor. 2, Apostolus ait : *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu*, id est, qui triumphare nos facit virtute et gratia Christi, atque ex victoriis quas a Diabolo et adversariis reportamus, illustres et conspicuos nos facit, velut publice triumphum agentes.

Regula XII. Hebræi verba sua aliquando sumunt in actu inchoato, aliquando in actu continuato, et aliquando in actu perfecto. Sic Israelitæ dicuntur egressi ex Ægypto, *vespere*, Deuter. 16; *noctu*, Exodi 11, vers 42, et *mane*, Num, 23, quia *vespere* immolarunt agnum, quod fuit egressus initium : *Nocte media*, accepto a Pharaone mandato exeundi, itineri sese accinxerunt : *Mane*, perfecte egressi sunt omnes.

Item Hebræi sæpe per sua verba, non actum, sed agendi officium designant; sic Hebr. 13, de superioribus dicitur : *Ipsi enim pervigilant*, id est, pervigilare debent ex officio.

Regula XIII. Nomina parentum apud Hebræos sæpe *patronimice* sumuntur pro filiis et posteris : sic *Israel* sumitur pro Israelitis, *Esau* pro Idumæis, *Moab* pro Moabitis, *Ammon* pro Ammonitis.

Regula XIV. Hebræis mos est, ut libros exordiantur a particulis *et*, *igitur*, *ergo*, etc., quia agiographi tunc aliquid præteritum contemplabantur, quocum id quod scribebant conjungebant, sive jam alibi scriptum esset, sive mente tantum comprehensum.

QUÆSTIO IX.

DE REGULIS AD COGNOSCENDOS TROPOS ET FIGURAS HEBRÆORUM NECESSARIIS, EX MELIORIS NOTÆ INTERPRETIBUS EXCERPTIS.

Regula I. Nonnunquam in Sacra Scriptura reperitur *antiphrasis*, qua unum contrarium per aliud intelligitur; sic Job 2, v. 5, ponitur, *benedicere*, pro *maledicere*, cum dicitur : Tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem *benedicat tibi* : ubi pro *benedicat*, versiones Syriaca et Arabica habent, *conviciabitur*.

Regula II. Crebro in Sacra Scriptura reperitur *catachresis*, qua unum vocabulum usurpatur pro alio, quod fit sequentibus modis.

1. Auctor seu inventor alicujus rei, illius rei dicitur *pater*; sic Deus, Job 38, dicitur *pater pluviæ*. Sic Dæmon, Joann. 8, vocatur *pater mendacii*. Sic Jubal, Genes. 4, dicitur *pater canentium cythara et organa*, id est, inventor tangendæ cytharæ.

2. Quod ex alio educitur, vocatur filius ejus : sic grana rumenti excussa, dicuntur *filii areæ*, Isaiæ 21. Sic Tyrus

iusula, vocatur *filia maris*, Isaiæ 23. Sic sagittæ dicuntur *filiæ pharetræ*, Thren. 3, v. 13.

3. Quod arctam connexionem habet cum alio, dicitur ejus filius; sic superbi Judæorum hostes vocantur *filii superbiæ*, 1 Mach. 2, v. 47. Sic qui, honoris gratia, sponso, velut comites dati sunt, vocantur *filii sponsi*, Matth. 9. Sic devotus gehennæ, dicitur *filius gehennæ*, Matth. 23.

4. Simili catachresi, urbes, ob suam pulchritudinem et elegantiam, vocantur filiæ, v. g. *filia Babylonis*, Ps. 136, *filia Jerusalem*, Thren. 2... Item civitates Deo fideles vocantur virgines, *virgo filia Sion*, ibid. E contra civitates, quæ de idololatria notantur, vocantur meretrices : sic Isaiæ 1, v. 21 dicitur : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?*

5. Per catachresim dicitur revelare aurem, pro *indicare*, sic 1 Reg. 9 dicitur : *Dominus revelaverat auriculam Samuelis.*

Regula III. In Scriptura frequens reperitur *enællage*, id est permutatio, quæ vel est temporis, vel numeri, vel verbi, vel participii, vel suppositi, vel sensus.

Enællage *temporis* reperitur 1. cum futurum pro præterito ponitur; sic *Habacuc* 3 dicitur : *Deus ab Austro veniet*, id est, *venit*, ut reperitur in Hebræo et Syriaco, vel *revelatus est*, ut habet Chaldaica versio... 2. Cum præteritum pro futuro ponitur; sic *ibid. vers.* 11 dicitur : *Sol et luna steterunt in habitaculo suo*, id est, stabunt... 3. Cum imperativum ponitur pro futuro permissivo, sic Deus, 3 Reg. 22, dixit spiritui malo : *Egredere, et fac ita* : id est, egredieris, et ita facies.

Enællage *numeri* reperitur ubi a singulari numero fit transitus ad pluralem, quod fit maxime cum nomen collectivum singulare construitur cum verbo plurali, v. g. Exodi 8 : *Dimitte populum meum, ut sacrificent mihi.*

Enællage *verbi* reperitur cum verbum usurpatur pro adverbio; sic dicitur : *Revertor, convertor, addo, adjicio*, pro rursus, iterum, ultra.

Enællage *participii* reperitur cum participium sumitur pro adverbio; sic Psalm. 77 dicitur : *Conversi sunt, et tentaverunt Deum*, id est, iterum tentaverunt Deum... Psalm. 84 : *Deus tu conversus vivificabis nos;* id est, iterum vivificabis nos.

Enællage *suppositi* fit cum in oratione eadem res diverso supposito exprimitur : sic Isaiæ 3, principes effeminati, modo pueri, modo mulieres appellantur : *Dabo pueros principes eorum... mulieres dominatæ sunt eis.*

Enællage *sensus* fit cum unus sensus ponitur loco alterius ; sic Exodi 20, dicitur : *Cunctus populus videbat voces, et lampades, et sonitum buccinæ*, ubi *videbat* ponitur pro audiebat.

Regula IV. *Hendyadis*, quæ est figura, qua unum in duo dividitur, crebra est in Scriptura ; talis reperitur, Genes 1, ubi Moyses, loquens de sole et luna, ait : *ut sint in signa et tempora*, id est, ut sint in signa temporum.

Regula V. *Heterosis*, seu diversitas, non est rara apud Hebræos, juxta quam utuntur abstractis pro concretis; sic Apostol. ad Philipens. 3, ait : *Nos sumus circumcisio*, id est, circumcisi : et Gal. 2 : *Creditum est mihi Evangelium præputii*, id est, munus prædicandi Evangelium præputiatis, seu gentilibus.

Porro illa abstracta quandoque sumuntur active, quandoque passive : sic justitia, 1 Cor. 1, sumitur active pro justificatore, cum Christus dicitur *factus nobis justitia.* E contra, 2 Cor. 5, sumitur passive pro justificato, cum dicitur : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, id est, ut efficeremur justificati in ipso.

Regula VI. *Ironia*, seu irrisio, quandoque a Scriptura usurpatur: sic Deus, Genes. 3, de Adamo, post comestionem fructus vetiti, dixit per irrisionem : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.*

Regula VII. *Hypallage*, quæ est figura qua unum pro alio

per inversionem ponitur, frequenter occurrit : sic Exodi 12, vers. 11 dicitur : *Calceamenta habebitis in pedibus*, id est, pedes habebitis in calceamentis. Sic Psalm. 18 : *In sole posuit tabernaculum suum*, id est posuit solem in tabernaculo suo.

Regula VIII. *Metaphora*, quæ est figura, qua nomen aut verbum ex propria significatione in aliam transfertur, omnium est frequentissima.

Sic, sors cujusque, sive bona sive mala, dicitur *Calix* : v. g., Psalm. 15 : *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei.* Et Psal. 10 : *Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

Sic alimentum, quia eo roboramur et sustentamur, sicut senes baculis, vocatur *baculus panis*, et *robur panis;* v. gr., Ezech. 4 dicitur : *Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem, et comedent panem in pondere.* Et Isaiæ : *Dominus exercitum auferat a Jerusalem et a Juda... omne robur panis et omne robur aquæ.*

Sic medulla terræ, olei, vini, vocantur id quod ipsis est optimum ; v. g., Num. 18 : *Dabo vobis bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ, omnem medullam olei, et vini ac frumenti.*

Sic *vas* dicitur quodvis instrumentum; v. gr. vasa mortis dicuntur omnia quibus mors infertur : Psalm. 7 : *Et in eo paravit vasa mortis.* Psalm. 70 : *Confitebor tibi in vasis Psalmi*, id est, in instrumentis Psalmi.

Sic *sol* sumitur pro eo quod est firmum et incorruptibile, Num. 19 : *Pactum solis est sempiternum coram Domino.*

Sic *cornu* aliquando sumitur pro regno et potentia, eo quod cornutorum animalium robur sit in cornibus; v. g., Psalm. 131 : *Illuc producam cornu David*, id est regnum David...; aliquando sumitur pro superbia; sic Psalm. 74 : *Nolite exaltare cornu*, id est, nolite superbire.

Sic *canis mortuus*, et *caput canis*, significant rem vilissimam et maxime infirmam : v. g., cum David, 1 Reg. 24, dixit Sauli : *Canem mortuum persequeris, et pulicem unum.* Et cum 2

Reg. 3, Isboseth dixit ad Abner : *Nunquid caput canis ego sum, secundum* (id est, coram) *Judam hodie.*

Regula IX. *Metonymia*, quæ est transmutatio nominis, familiaris est Hebræis. Sic idolum accipiunt pro idololatra, Zach. 11 : *Pastor et idolum derelinquens gregem*, id est, pastor idololatra.

Sic nomen *peccatum* aliquando usurpant pro culpa; v. g. 1 Joann. 3 dicitur : *Omnis iniquitas peccatum est*... aliquando pro concupiscentia, quæ est pœna vel effectus culpæ, Rom. 7 : *Si autem quod nolo malum, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum :* id est, concupiscentia...; aliquando pro hostia quæ offertur pro peccato, 2 Cor. 5 : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit;* id est hostiam pro peccato se fecit...; aliquando pro immunditia legali contracta ex fluxu menstruo, vel seminis, vel ex lepra, vel ex contactu mortui; Lev. 12, 13 et 14.

Simili metonymia actum, habitum et potentiam ponunt pro objecto actus, habitus et potentiæ; sic cum Christus dicitur, *Amor noster, spes, gloria nostra*, etc., illæ voces sumuntur pro objecto amoris, spei, et gloriæ nostræ, quod est ipse Christus...; item visionem ponunt pro re visa, v. gr., Isaiæ 1 : *Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit.*

Regula X. *Synecdoche*, quæ est figura, qua a parte totum, vel a toto pars intelligitur, frequens est apud Hebræos ; sic, *caro, anima, sanguis, caput*, pro toto homine ponuntur, v. gr., Isaiæ 35 : *Lætitia sempiterna super capita eorum*, id est, super eos. Psalm. 65 : *Posuisti homines super capita nostra*, id est super nos.

Item per synecdochem ponitur genus pro specie ; v. gr., tempus pro anno, Daniel 4 : *Tempus, et tempora, et dimidium temporis;* pro tribus annis cum medio. Vel e contra ponitur species pro genere : v. gr. sanguis, vel homicidium pro quovis peccato; sic Isaiæ 1 dicitur : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*, id est iniquitate.

Item, quandoque una pars sumitur pro altera, v. g. Num. 9, v. 7 dicitur : *Immundi sumus, super anima hominis*, id est, super mortuo, quia mortui hominis exequiis interfuerant.

QUÆSTIO X.

DE IIS QUÆ AD CAUTAM SACRORUM INTERPRETUM LECTIONEM OBSERVANDA SUNT.

Nota. Ut caute et sine periculo legantur sacri interpretes, unum, præ cæteris, singulari studio est observandum, nempe, utrum quæ sub eorum nominibus et inscriptione circumferuntur opera, sint veri et germani eorum fœtus; constat inter vera sacrorum interpretum monumenta, plurima supposititia reperiri, ut annotant qui de Scriptoribus Ecclesiasticis ex professo disseruerunt, quod ut facili negotio fiat :

Quæres 1. *Quibus indiciis falsæ inscriptiones a germanis discerni queant?*

Resp. Tribus, nimirum tempore, dogmate et stylo.

Quoad tempus : Si illius ratio rebus descriptis non conveniat, manifestum est opus non esse illius auctoris, cujus nomine intitulatur.

Hinc perspicuum est commentaria D. Ambrosii in Apocalypsim, D. Hieronymi in Parabolas Salomonis et Lamentationes Jeremiæ, non esse ejusmodi Doctorum quibus adscribuntur, quia in illis commentariis sæpe citatur D. Gregorius Magnus, cum tamen idem Gregorius duobus fere sæculis auctores illos subsecutus fuerit.

Quoad dogma : Si illud non solum cum authoris, cui adscribuntur, mente non congruat, sed ex diametro pugnet; omnino sequitur aut opus non esse germanum authoris, cui tribuitur, fœtum, aut a corruptoribus fuisse depravatum.

Hinc manifestum est sexdecim tractatus in Leviticum sub D. Cyrilli Alexandrini nomine vulgatos, non esse Cy-

rilli, sed Origenis; cum in eis passim occurrant propria Origenis dogmata, qualia sunt animas ante mundum creatas fuisse, et ob sua peccata detrusas in corpora tanquam in carceres et vincula; Inferni supplicia finem aliquando habitura; Dæmones post aliquot tempora liberandos, et ad æternam felicitatem vocandos, et alia id genus, quæ D. Cyrillus ubique totis viribus oppugnat.

Quod spectat ad stylum : Evidens falsæ intitulationis conjectura est styli diversitas; nihil enim difficilius est, quam imitari alterius stylum, nimirum dictionis contextum, elocutionis formam, figuram loquendi, dispositionis methodum, et cætera quæ cuique diserto ac probo authori sunt propria, ac veluti proprius illius character.

Nec dicas, indicium falsæ inscriptionis ex diversitate styli desumptum, esse errori obnoxium, cum eidem auctori non semper idem sit dicendi modus, sed pro argumenti ratione, vel studii perfectu, vel ætatis mutatione, vel affectuum varietate, diversus.

Resp. Fateor, verum idem auctor ita semper scribit ut perspicax styli artifex ubique semper agnoscat eumdem esse auctorem, sicut quilibet amici faciem, etsi nunc tristem, nunc alacrem, ejusdem semper esse hominis certo animadvertit.

Quæres 2. *Qua ratione veris sacrorum interpretum operibus supposititia irrepserint, eorumque inscriptiones usurparint?*

Resp. Hoc provenire ex diversis causis.

1. *Ex prætermissa ab auctore proprii nominis inscriptione;* illa enim prætermissio occasionem præbuit lectoribus discernendorum librorum studiosis, illi tanquam auctori opus aliquod adscribendi, ex aliqua conjectura, v. g., ex styli, vel argumenti hujusmodi operis affinitate cum aliis ejusdem authoris operibus; vel ex similitudine nominis veri illorum authoris cum aliorum nomine, propter nominis æquivocationem, vel etiam ex similitudine nominis illorum, ad quos hujusmodi opera scripta sunt.

Sic *Rufinus* Aquileiæ Presbyter, nominum similitudine deceptus, Enchyridion *Xysti* Philosophi Pytagorici, *Xysto* Pontifici inscripsit.

Sic propter æquivocationem nominis plurima opera Thomæ Anglici, v. g., Commentaria in Genesim, Isaiam, Jeremiam, Epistolas canonicas et Apocalypsim, adscripta sunt D. Thomæ Aquinati, nempe propter maximam similitudinem quæ reperitur inter *Anglicum* et *Angelicum* Doctorem.

Sic libellus, quem Julianus Eclanensis Episcopus, Pelagiana labe infectus, ad Demetriadem virginem scripsit, ideo adscriptus est Hieronymo, quod hic quoque scripserit ad eamdem virginem argumento pene simili.

2. *Provenit ex hæreticorum pravitate*, qui libris suis, jam ecclesiastica perstrictis censura, orthodoxorum Patrum attitulationes substituunt, ut tali fraude lethiferum pravorum dogmatum virus in mentem et corda simplicium, absque ulla periculi suspicione, injiciant.

Sic olim Nestoriani et Eutychiani, Apollinarii scripta, unde suarum hæresum semina deprompserant, sub Athanasii nomine evulgarunt, ut Catholici latentes errores tanti Doctoris fama comprobatos, amplecterentur.

3. *Provenit ex invidia* qua maligni quidam agitati, ut illustrioribus interpretibus odium concitent, sub eorum nomine odiosa opera evulgant.

Sic tempore D. Pauli Apostoli erant Pseudo-Apostoli, qui fingebant Epistolas tanquam a Paulo missas, quibus asserebant instare diem judicii, ut testatur ipse ad Thessalonicenses scribens[1] : *Rogamus vos, ut non cito moveamini a vestro sensu* (id est, a doctrina quam a me audistis de die judicii) *neque terreamini per Epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.*

4. Tandem, *provenit ex nimio erga magni nominis auctorem*

[1] 2 ad Thessal., 2, vers. 2.

zelo, quo quisquam motus, ei aliena opera absque ullo delectu, vindicat, existimans se ei majus nomen ex plurium librorum editione comparaturum.

Sic quidam Doctoris Angelici nimium amatores, legitimis ejus operibus inseruerunt Commentaria in Genesim, Isaiam, Jeremiam, etc., quæ germanis ejus scriptis eruditione minime concordant.

DISSERTATIO II.

De traditione, et ejus mediis transmissionis.

QUÆRES 1. *Quid sit traditio?*

RESP. *Est Doctrina, ad fidem, mores vel disciplinam Christianam spectans, quæ in libris Canonicis non est scripta.*

Dixi, *in libris Canonicis non scripta:* quia in scriptis SS. Patrum, et actis Conciliorum aliisque mediis, traditiones conservantur, sicut in unanimi Ecclesiarum consensu.

QUÆRES 2. *Quotuplex sit traditio?*

RESP. Triplex, nimirum divina, apostolica, et ecclesiastica.

Traditio divina est verbum Dei non scriptum, sed ab Apostolis, quatenus verbi Dei præconibus, ad nos viva voce transmissum; ejusmodi sunt traditiones quæ ad materiam et formam Sacramentorum pertinent... Hæ aliquando a SS. Patribus vocantur apostolicæ, sed improprie et mediate, quatenus, scilicet, per Apostolos sunt promulgatæ.

Tradito apostolica est doctrina quam Apostoli ipsi, quatenus Ecclesiæ Pastores, instituerunt, et ad nos viva voce transmiserunt; v. g., observatio diei Dominicæ, Paschæ, jejunii quadragesimalis, etc.

Traditio ecclesiastica est doctrina, quæ à successoribus Apostolorum, accedente fidelium usu, fuit introducta, et

ad nos usque transmissa; v. g., vigiliæ, festorum celebrationes, aquæ lustralis usus, etc.

Nota 1. Traditiones aliæ sunt *perpetuæ*, tales sunt quæ dogma aliquod proponunt;... aliæ *temporales*, talis fuit observatio legalium usque ad Evangelii promulgationem, ut eo medio facilius in unum coalesceret Ecclesia ex Judæis et gentibus;... aliæ *universales*, quæ toti Ecclesiæ sunt propositæ, ut diei Dominicæ observatio loco Sabbati;... aliæ *particulares*, quæ Ecclesiæ particulari sunt commissæ, ut jejunium Sabbati olim Romæ observatum;... aliæ *necessariæ*, quæ in forma præcepti sunt traditæ, ut admixtio aquæ cum vino in Missæ sacrificio;... *aliæ liberæ*, quæ in forma tantum consilii sunt traditæ, ut aquæ lustralis aspersio.

Nota 2. Ex sola traditione divina, utpote sola a Deo revelata, elici potest conclusio Theologica; quare hic de traditione divina duntaxat agemus, tribus cap., quorum

Primum erit de traditionis divinæ existentia et necessitate.

Secundum de regulis, quibus traditio divina discernitur ab Apostolica et Ecclesiastica.

Tertium de mediis quibus transmittitur divina traditio.

CAPUT I.

DE TRADITIONIS DIVINÆ EXISTENTIA ET NECESSITATE.

Nota. Novatores contenderunt nullam prorsus esse traditionem divinam, hincque concluserunt nullum pro fide aut moribus argumentum infallibile ex ea desumi posse, sed ex sola Scriptura Sacra, quam volunt esse solam fidei et morum regulam, extra quam nullum dogma haberi potest de fide credendum, contra quos [1] :

[1] * Non omnem traditionis utilitatem, imo et necessitatem e medio sustulerunt, cum haud negare possint serius divinam revelationem scriptis fuisse mandatam, admittunt præterea duplicem traditionis speciem post scripturas confectas; primam quam appellant *inhæsivam*, et alteram quam vocant *declarativam*. Traditio *inhæsiva* ea est quæ dogmata quæ Scripturæ Sacræ

CONCLUSIO I.

In statu Legis naturæ, extiterunt traditiones divinæ.

PROB. Nulla potest esse vera religio sine certa fidei et morum regula; atqui in statu legis naturæ vera fuit erga Deum religio; ergo fuit certa fidei et morum regula; atqui illa regula non erat Scriptura Sacra, siquidem nulla tunc exstabat; ergo ea regula erat traditio. Adamus nimirum filios suos docuit quæ sibi de mediatore Christo et aliis mysteriis revelata fuerant; filii Adami, quæ a patre didicerant, suis posteris ad Moysen usque (non interrupta serie) communicarunt. Hinc Deus [1] commendat Abrahamum : *Quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam.* Ex quibus patet quod posteri Adami ritum colendi Deum acceperint, non per Scripturam, sed per traditionem.

CONCLUSIO II.

Lege Mosaica, præter Scripturam, extiterunt divinæ traditiones ad fidem et mores spectantes.

PROB. Israelitæ non solum jubebantur Scripturam legere, sed etiam patres interrogare : *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, majores tuos et dicent tibi* [2]. Et : *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis* [3]. Et : *Quanta mandavit* (Deus) *patribus nostris nota facere ea fi-*

exhibent, etiam ex communi perpetuoque fidelium consensu innotescunt. Hæc vero traditio veritatem scriptam utique confirmat, at per se et extra Scripturas nullum infallibile veritatis testimonium præ se fert. Traditio *declarativa* est ea qua disertius explanantur dogmata quæ sacræ litteræ breviter aut minus clare continent. Prima igitur harum traditio non nisi docet dogmata obscurissima quæ in Sacris Scripturis clare continentur, secunda vero quod minus claret in Scripturis uberius explanat. Igitur utraque, ut patet, in solas resolvitur Scripturas, et præter hanc duplicem nullam aliam Protestantes agnoscunt traditionem.*

[1] Genes. 18. — [2] Deut. 32. — [3] Eccl. 8.

liis suis; ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur et exurgent, et narrabunt ea filiis suis, ut ponant in Deo spem suam [1].

Confirm. Quia Israelitæ ex sola traditione habebant divinitatem librorum in canone repositorum; remedium ad tollendum peccatum originale, non solum in femellis, sed etiam in masculis ante octavum diem decedentibus, etc.

CONCLUSIO III.

In Lege nova, præter verbum Dei scriptum, necessario est admittenda traditio divina, tanquam altera fidei regula.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ [2] jubet : *State, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem,* scilicet ore prolatum, *sive per Epistolam,* scilicet scripto transmissam, ut explicat D. Thomas [3]; quem locum D. Chrysostomus [4] enarrans, ait : *Hinc patet, quod non omnia per Epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt, tam illa quam ista. Itaque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putamus; traditio est, nihil quæras amplius.* Hinc Apostolus hortatur Timotheum [5], ut quæ a se audivit, *hæc commendet fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere.*

Prob. 2. Ex SS. Patribus quatuor priorum sæculorum, quos Novatores admittunt, et inter quos unum aut alterum, brevitatis causa, refero.

In I sæculo. D. Dionys. [6] ait : *Apostoli summa illa et supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, nobis tradiderunt.*

In II sæculo. D. Iren. [7] ait : *Quid autem, si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis quem tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias?*

[1] Psalm. 77. — [2] 2 ad Thess. 2, v. 14. — [3] 3 p., q. 25, art. 3, ad 4. — [4] Hom. 4, in epist. ad Thess. — [5] 2 ad Tim. 4, v. 1. — [6] Lib. 1 de *Eccles. Hierarch.* — [7] L. 3, cap. 4.

In III sæculo, Origenes [1] dicit : *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis Baptismum dare.*

In IV sæculo, S. Basil. [2] sic scribit : *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita; quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto, tradita recepimus... quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Nec his quisquam contradicit, quisquis sane, vel tenuiter qui expertus est quæ sint jura ecclesiastica.* Et S. Epiphan. hæresi 6 : *Oportet autem et traditione uti; non enim omnia a divina Scriptura possunt accipi; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt.*

In omnibus subsequentibus sæculis SS. Patres eadem energia de traditionis existentia scripserunt.

Prob. 3, *ratione :* Omnia ad fidem et mores pertinentia debent contineri in verbo Dei, nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei,* ait Apostol. [3]; atqui non omnia ad fidem et mores pertinentia, etiam ab adversariis credita, continentur aperte in verbo Dei scripto, imo nec obscure; ergo præter verbum Dei scriptum, necessario est admittendum verbum Dei traditum.

Prob. min. 1. Credimus, quod Pater in divinis sit ingenitus; quod libri in Scriptura Sacra contenti sint divini; quod libri in Canone quem nunc habemus non reposititi, sint spurii et apocryphi, etc.; atqui illa omnia, neque ex Evangelio, neque ex Epistolis Apostolorum, possunt probari. Ergo, etc.

Prob. eadem min. 2. Calvinistæ et Lutherani credunt, contra errorem Helvidii, virginitatem B. Mariæ etiam post partum; credunt, adversus Anabaptistas, valere datum parvulis Baptisma; credunt, contra Donatistas, valere datum Baptisma Hæreticis et peccatoribus; credunt quatuor Evangelia; credunt Christum descendisse ad inferos; credunt cessationem legis quoad abstinentiam a sanguine

[1] In cap. 6 ad Rom. — [2] Lib. *de Spiritu Sancto,* c. 27.
[3] Rom. 10, v. 17.

et suffocato; credunt Dominicum diem diei sabbati substitutum, etc.; atqui nullum ex his capitibus credere possunt propter authoritatem Scripturæ Sacræ, nullus enim textus, nequidem apex est in Scripturis; ergo ex sola traditione illos articulos credunt; ac proinde (quod probandum erat) non omnia quæ ad mores et fidem spectant, continentur in Scripturis.

**Confirmatur*. Omnis respublica bene instituta, ut ait Tullius, non tam lege scripta quam non scripta, traditione nempe et consuetudine gubernatur. Ratio hujus est quod lex, quamvis perspicua, semper tamen in sensum pravum spiritus privati interpretatione trahi facile possit, et cum lex scripta littera mortua sit, necessaria est omnino traditio quæ, tanquam viva ac loquente voce, verum ac genuinum sensum legis explicet, ac in republica servet[1].*

Objectiones.

Objicies 1. Illud non est Ecclesiæ necessarium, quod a Scripturis aperte damnatur; atqui traditiones a Scripturis aperte damnantur. Ergo, etc. *Resp. nego min.*

Prob. min. Deuter. 4 dicitur : *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo.* Apoc. ult. : *Si quis apposuerit ad hæc, apponet et Deus super illum plagas.* Ad Galat. 1 : *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Matth. 15 : *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Ubi Christus reprehendit Judæos, quod traditiones admitterent. Ergo, etc.

[1] * Hinc ad rem Moehler (*de la Symb.*, tom. 2, § 39): Au surplus, quand notre divin Sauveur établit l'Église son organe permanent, il ne fit que sanctionner une loi constante de l'ordre moral. Chaque nation porte un caractère distinctif. Enraciné profondément, ce type est empreint dans la vie politique comme dans la vie privée, dans les lois comme dans le langage, dans les sciences comme dans les arts; ce type, en un mot, sépare tout un peuple d'un autre peuple. C'est le génie tutélaire, l'esprit régulateur qui fut légué des pères aux enfants; c'est ici le souffle vivifiant de tout le corps. *

Resp. 1. Generaliter, *nego cons.* Argumentum enim est de falso supponente : supponit enim traditionem esse additionem ad verbum Dei, quod falsum est, cum traditio non minus sit verbum Dei quam ipsamet Scriptura; unde Moyses non ait : *Non addetis ad verbum quod scribo*, sed *quod præcipio;* Paulus non ait : *quod scripsimus*, sed *quod evangelizavimus.* Christus non dicit : Propter traditionem *meam*, sed *vestram;* hoc est a Pharisæis humano sensu ac spiritu inventam. Sed dato, non concesso, quod in his textibus sit sermo de additione ad Sacram Scripturam, ad singulas respondeo, et quidem

Resp. *ad* 1 *et* 2. Quod Moyses et Div. Joann. vetent tantum ne minuatur, vel addatur aliquid per quod textus alteretur vel corrumpatur; alias illicitum fuisset Deuteronomio et Apocalypsi alios addere libros. Porro tantum abest, ut a traditione divina textus Scripturæ corrumpatur, quin potius illam defendat ejusque germanum sensum adhibeat. Hæc responsio constat ex Deuter. 12, ubi Deus Judæos a Gentilium idololatria avocans, ait : *Non facias similiter Domino Deo tuo... quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam aut minuas.*

Resp. *ad* 3. Apost. per particulam *præter* intelligit *contra.* Hoc constat ex ejus proposito, agit enim contra eos qui docebant servanda esse legalia, cum ipse docuisset non esse servanda. *Miror*, inquit, *quod tam cito transferimini in aliud Evangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant et volunt convertere Evangelium Christi; sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet, præterquam quod, etc.* Ergo, cum dicit *præter* intelligit *contra*, quomodo jam (*Rom. ult.*) particulam *præter* usurpaverat dicens : *Observate eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam accepistis, faciunt*, ubi *præter* manifeste significat *contra.*

Resp. *ad* 4, distinguendo : Christus Judæos reprehendit quod traditiones humanas et superstitiosas admitterent, *conc.* traditiones divinas, *nego.* Christus ergo Scribas et Pha-

risæos arguit quod minuta quædam, sibi humanitus et superstitiose tradita, servarent, et de rebus gravioribus non curarent; v. g., quod non nisi lotis manibus manducarent, et tamen non honorificarent patrem et matrem; quod rerum etiam minutarum decimam offerrent, et tamen misericordiam et judicium omitterent, quos reprehendit Christus dicens : *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem, etc.* Et infra concludit: *Sine causa colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.* Traditiones autem, quas prædicamus, non sunt doctrinæ et mandata hominum, sed Dei.

Inst. Div. August. [1] exponens verba Apostoli, ait : *Si quis annuntiaverit præterquam quod in Scripturis legalibus et evangelicis accepistis, anathema sit.* Ergo Apost. per particulam *præter* non intelligit *contra.*

Resp. *Nego conseq.* Nam ille vere *præter* Evangelium docet, qui ei contraria docet. Unde Div. August. [2] sic loquitur : *Non ait* Apostolus, *plusquam accepistis, sed præterquam quod accepistis; nam si illud diceret, sibi ipsi præjudicaret qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei defuerant, sed qui supplet quod minus erat, addit, non quod inerat tollit : qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via.* In quo textu D. Augustinus manifeste sumit *præter* pro *contra.*

Objicies 2. Omnia credenda et facienda in Sacris Scripturis continentur; ergo traditio est inutilis.

Probat. anteced. Ex Apostol. [3]: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum et arguendum... ut perfectus sit homo Dei, etc.* Ergo sola Scriptura continet ad fidem et mores necessaria.

Resp. *Nego conseq.* Non enim dicit Apost.: *Omnis Scriptura* sufficit, sed *utilis est;* nam si dixisset *sufficit,* sequeretur Scripturas Novi Testamenti esse inutiles. Apostolum enim

[1] Lib. 3 contra Litter. Petiliani, cap. 3. — [2] Tract. 89 in Joann.
[3] 2 ad Tim., 3, 16.

ibi loqui de Scripturis Veteris Testamenti constat, tum quia Scriptura Novi Testamenti nondum erat relata in canonem sacrorum librorum, nec totaliter scripta; tum ex his verbis præcedentibus, *ab infantia sacras litteras nosti*, non enim potuit Timotheus ab infantia noscere litteras Novi Testamenti, utpote nondum exstantes.

Inst. 1. Joann. 20: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, ut credatis quod Jesus est Filius Dei, etc.* Ergo omnia scripsit, quæ putabat sufficere.

Resp. *Dist. conseq.* Omnia miracula Christi scripsit, quæ putabat sufficere ad persuadendum mundo Christum esse Filium Dei, *conc. conseq.*; omnia fidei dogmata et morum præcepta, *nego conseq.* Inepte ergo Novatores, quæ de solis miraculis dicuntur, transferunt ad omnia fidei dogmata et morum præcepta.

Inst. 2. Div. Cyrill. Alexand.[1] ait : *Non omnia, quæ Deus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes, tam ad mores quam ad dogmata putarunt sufficere.* Et August.[2] : *Electa sunt quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Ergo cætera non sunt necessaria.

Resp. *Neyo conseq.* DD. Cyrill. et Aug. enim non excludunt necessitatem eorum fidei articulorum et morum præceptorum, quæ non continentur in libris canonicis; sed excludunt necessitatem scribendi plura Christi dicta et facta: cum, secundum ipsos, Div. Joann. ex omnibus quæ Christus dixit et fecit, ea selegerit quæ saluti credentium scripto mandari videbantur sufficere, cætera ad nos per traditionem transmittenda relinquens.

Inst. 3. Apostoli omnia quæ prædicaverunt, postea scripserunt : *Quod tunc prædicaverunt, postea per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt*[3] ; ergo nihil reliquerunt non scriptum

[1] L. 12 in Joann., c. ult. — [2] Tract. 19 in Joann.
[3] D. Irenæus, lib. 3, cap. 1.

Resp. *Dist. ant.* Apostoli omnia quæ omnibus prædicaverunt, qualia sunt ea quæ omnibus sunt expresse credenda, postea scripserunt, *conc. ant.*, hocque solum vult D. Ireu.; omnia quæ perfectioribus, Prælatis, Episcopis prædicaverunt, qualia sunt ea quæ spectant rationem gubernandæ Ecclesiæ, administrandorum Sacramentorum, refellendorum Hæreticorum, etc., *nego ant.* Non enim illa secretiora mysteria omnes indifferenter docebant : nam Apost. [1] dicit : *Hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere.* Et D. Iren. [2] docet *Apostolos cum Episcopatu tradidisse successoribus charisma scientiæ.*

Inst. 4. D. Athanas. Epist. ad Serapionem ait : *Uniuscujusque quæstionis inventionem, non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia; etc.*

Resp. *Dist. text.* Sed ex Scripturarum consequentia simul et traditionis, *conc.;* ex Scripturarum consequentia tantum, *nego.* Nam ibidem adhibet auctoritatem traditionis, cum subjungit : *Videmus tamen adhuc illam ipsam ab initio traditionem, doctrinam et fidem Catholicæ Ecclesiæ, quam Christus quidem dedit, Apostoli vero prædicarunt.*

Inst. 5. Athanas. *lib. contra gentes*, ait : *Sufficiunt sanctæ et divinitus inspiratæ Scripturæ ad instructionem veritatis;* ergo loquitur de Scripturarum consequentia tantum.

Resp. *Dist. text.* Ad instructionem omnis veritatis, *nego ant.;* veritatis quam ibi astruit, nempe idola non esse deos, et Christum esse Deum et hominem, *conc. ant.* Porro ista duo habent in Scripturis expressa testimonia.

Inst. 6. D. Chrysost. [3] ait : *Omnia Evangelium continet, et præsentia et futura, honorem, pietatem, fidem, etc.* Ergo non necessaria est traditio.

Resp. *Nego cons.* Quia per *Evangelium* non intelligit Scripturam ; addit enim : *Omnia simul prædicationis verbo inclusit.* Illa autem prædicatio, partim est scripto mandata, partim sine scripto tradita.

[1] 2 ad Tim., 2. — [2] L. 4, cap. 43. — [3] Homil. 1, in epist. ad Tit.

INST. 7. Theophilus, l. 2 Paschali, ait : *Diabolici est spiritus aliquid extra Scripturarum divinarum auctoritatem putare divinum*. Ergo traditiones quæ circumferuntur non sunt divinæ.

RESP. *Nego conseq.* Nam Theophilus per hæc verba non excludit traditionem, sed libros Apocryphos, qui pro divinis a quibusdam supponebantur, quosque redarguit Theophilus hic.

INST. 8. D. Aug. [1] hæc habet : *In his quæ aperte posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque vivendi*. Ergo, etc.

RESP. *Dist. verba Aug.* In Scriptura inveniuntur illa omnia quæ, etc., quoad ea quorum fides et cognitio explicita cuique sunt necessaria ad salutem, *conc. ant.;* quoad ea quorum cognitio explicita non est sic necessaria ad salutem, *nego ant.*, nam D. August. [2] dicit : *Scripturæ veritatem a nobis teneri, quando facimus quod universæ Ecclesiæ placet, etiamsi nihil de ea re scriptum legamus.*

INST. 9. Div. Hieronym. in cap. 22 Matth. ait : *Quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quo probatur*. Ergo.

RESP. Non fideliter citatur Div. Hieron. qui loquens de particulari quadam sententia, qua quidem nitebantur ex libro apocrypho probare Zachariam, quem Judæi interfecerunt inter templum et altare, fuisse patrem Joannis Baptistæ, ait: *Hoc, quia de Scripturis auctoritatem non habet,* . Et sensus est: hæc sententia, quia ex libro apocrypho probatur, non ex Canonico, facile contemnitur. Non ergo rejicit traditionem, ex qua probat jejunium [3], imo illius necessitatem probat [4], admittens hanc sententiam : *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret ; nam et alia multa, quæ per*

[1] L. 2 *de Doct. Christ.*, cap. 9. — [2] L. 1 *Contra Crescon.*, cap. 33. [3] Epist. ad Marcel. — [4] In dialogo contra Luciferianos.

traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurparunt.

Inst. 10. Div. Cyprian. aperte rejicit traditionem divinam, nam Epist. ad Pompeium ait : *Unde est ista traditio?.. Ea enim facienda esse quæ scripta sunt testatur Deus ad Josue dicens : Non recedet liber legis hujus ex ore tuo ; si igitur aut in Evangelio, aut in Apostolorum Epistolis et Actibus continetur, observetur etiam hæc sancta traditio.*

Resp. Hanc non admittimus S. Cypriani Epistolam quam scripsit, cum errorem suum de rebaptizandis Hæreticis tueretur, et in qua consequenter traditionem circa illam quæstionem rejiciebat, quia eam esse contra Scripturam putabat, verum alias traditiones admittebat : nam [1] ait : *Admonitos nos scio, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur... ut calix mixtus vino offeratur.*

Objicies 3. Ecclesiæ dogmata non debent committi principio defectibili; atqui traditio est principium defectibile. Ergo.

Prob. min. Principium, quod de aure in aurem transit, est defectibile; atqui traditio de aure in aurem transit. Ergo.

Prob. maj. Quod facillime alteratur ac deperditur est principium fallibile; atqui, quod de aure in aurem transit facillime imperitia ac perversitate alteratur, et per oblivionem et negligentiam deperditur. Ergo, etc.

Resp. 1. *Retorqueo* de Scriptura Sacra; nam quod scribitur et rescribitur facile alteratur, vel per oblivionem et incuriam deperditur, ut patet ex tot libris, tum sacris, tum profanis, depravatis ac deperditis; ergo Scriptura Sacra est nostræ fidei principium defectibile.

Resp. 2. *Dist. min. ult. argumenti* : Quod de aure in aurem transit facile alteratur ac deperditur, si nullæ sint causæ ad illius conservationem adjuvantes, *conc. min.*, si sint tales

[1] L. 2, epist. 3.

causæ, *nego min.* Porro in servandis traditionibus multæ sunt causæ. *Prima* est specialis Dei providentia, qui Ecclesiam regit et conservat, *ne portæ Inferi prævaleant adversus eam... Secunda* est cura SS. Patrum, qui in suis scriptis traditiones Christi et Apostolorum mandarunt... *Tertia* est perpetuus ac successione continuus fidelium usus, in quo ritus Sacramentorum administrandorum, dies festi, jejuniorum tempora, celebratio missæ, servantur... *Quarta* est ipsa hæresis; cum enim singulis sæculis novi oriantur Hæretici, qui diversa Ecclesiæ dogmata impugnant, ita semper a Deo suscitantur viri docti, qui, ut Hæreticis resistant, doctrinam Ecclesiæ traditionesque antiquas diligenter investigant, propugnant, et magna diligentia posteris commendant.

INST. Si admittatur necessitas traditionum, quilibet suo marte, prætextu traditionum apostolicarum, poterit fabulosa et erronea proponere, sicut accidit Papiæ circa regnum Christi mille annorum, et ætatem Christi quasi 50 annorum; ergo traditiones, nedum sint necessariæ, quin potius sunt maxime noxiæ.

RESP. *Nego conseq.* Equidem fieri potest ut aliqui hac in parte fallantur; verum nunc incommodo opponitur infallibilis universæ Ecclesiæ auctoritas, quæ, collatione facta ad scripta veterum et ad successiones Ecclesiarum apostolicarum, errorem detegit, et traditiones falsas tuto et infallibiliter rejicit, sicuti revera rejectus est ille Millenariorum et ætatis Christi error, quem tamen, non ex traditione, sed ex Scriptura male intellecta, multi tuebantur, nimirum ex hoc textu : *Vidi animas decollatorum... et regnabunt cum illo,* Christo, *mille annis* [1]. Et isto Joann. 8: *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?*

[1] Apocal. 20, v. 4.

CAPUT II.

DE REGULIS, QUIBUS DIVINA TRADITIO DISCERNITUR AB APOSTOLICA ET ECCLESIASTICA.

Nota. Traditiones divinæ et Apostolicæ facile secernuntur a traditione mere ecclesiastica; hæc enim, cum post tempora Apostolorum emanarit, non semper nec ubique viguit; sed 1°. habet initium aut in decretis Summorum Pontificum, aut in Conciliorum Canonibus, aut in statutis Patrum. 2°. In una, aut in aliquibus tantum Ecclesiis particularibus reperitur et observatur. E contra divinæ et apostolicæ traditiones semper et ubique viguerunt, juxta hanc regulam ab Aug.[1] traditam : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Sed longe difficilius traditiones divinæ discernuntur a traditionibus pure apostolicis, prout apostolicæ distinguuntur contra divinas.

Quæres : *Quot sunt regulæ, quibus traditiones divinæ secerni possunt a traditionibus pure apostolicis?*

Resp. Plures assignantur, quas ad quatuor recte revocamus.

Regula I. Si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, ejusque contrarium ut hæreticum refutarunt, nec tamen in Scripturis divinis reperitur, illud est traditionis divinæ, quia omnia dogmata fidei habemus ex divina revelatione. Hujusmodi sunt virginitas perpetua Deiparæ, etiam post partum, quidquid pertinet ad materiam et formam Sacramentorum, saltem in genere, etc.

Regula II. Si quidquam est nunc in Ecclesia, communi fidelium consensione probatum, quod humanam excedit potestatem, illud est traditionis divinæ. Talis est praxis, v. g., vota dissolvendi, remittendi juramenta, matrimonii

[1] Lib. 2 *contra Donat.*, cap. 24.

rati per solemnem religionis professionem dirimendi, etc. cum enim illa omnia jure naturæ stent, eorum dissolutio non potest esse juris humani.

Regula III. Si SS. Patres in aliquam traditionem unanimiter consentiant eamque divinam esse doceant, tenendum est hanc esse traditionem divinam, etiamsi materia illius non excedat potestatem Apostolorum et Ecclesiæ; secus si solum ut institutionem apostolicam vel ecclesiasticam tradiderint. Ratio est, quia si communiter deciperentur SS. Patres, qui sunt Ecclesiæ Doctores et Magistri, necessario deciperetur tota Ecclesia, quæ tamen ex divina promissione est infallibilis.

Regula IV. Quando aliqui Patres in hanc traditionem non consentiunt (ut accidit in traditione de non rebaptizandis hæreticis, cui S. Cyprianus cum nonnullis Africanis contradixit) judicandum est eam traditionem esse divinam, quæ reperitur in præcipuis et apostolicis Ecclesiis, in quibus interrupta non fuit Episcoporum successio. Hanc regulam tradit Tertull. [1] his verbis : *Quid Apostoli prædicaverint, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas Apostoli condiderunt, ipsis eis prædicando, tam viva voce, quam per Epistolas postea.* Sed quia talis est nunc sola Romana, ideo usus istius regulæ non nisi in illa locum habet.

CAPUT III.

* DE MEDIIS QUIBUS TRANSMISSA EST PRIMITIVA DOGMATICA TRADITIO, QUIBUSQUE TUTO COGNOSCI POTEST.

Nota. Sane distinguendum est inter traditionem ipsam dogmaticam, seu potius traditionis objectum, a mediis per quæ illud ad nos pervenit, aut quibus pervenisse nobis innotescit. Hæc autem media duplicis sunt classis : alia sunt

[1] Lib. *de Præscript.*

generalia, alia vero particularia. Agemus 1° de mediis generalibus; 2° de mediis particularibus, duplici quæstione.

* QUÆSTIO I.

DE MEDIIS GENERALIBUS QUIBUS TRANSMISSA EST PRIMITIVA DOGMATICA TRADITIO, QUIBUSQUE TUTO COGNOSCI POTEST.

Nota. Media quæ generalia nuncupavimus, sunt 1° publicum ac perenne Ecclesiæ magisterium; 2° acta Conciliorum, præsertim œcumenicorum, et SS. Pontificum; 3° acta martyrum; 4° sacra Liturgia et Ecclesiæ praxis in Sacramentorum administratione et in cultu religioso; 5° scripta SS. Patrum; 6° Scholasticorum Theologorum doctrina, et etiam hæreticorum ratio naturalis, philosophorum placita, et historia humana, præsertim ecclesiastica; quæ tot in articulis breviter discutiemus.

* ARTICULUS I.

DE ECCLESIÆ MAGISTERIO.

Christus Dominus antequam ad Patrem ascenderet, ut probe jam notavimus, integrum fidei depositum contulit Ecclesiæ, ac magisterium verbi aut magisterium publicum in Apostolis suis eorumque successoribus, sub Petri ejusque successorum primatu, mandavit, ut omnes gentes tum conversas tum ad fidem convertendas docerent.

Apostolos injunctum sibi munus magna cum sollicitudine peregisse omnis testatur historia. Propterea Christus Ecclesiam perpetuam instituit, quæ a vera fide nunquam deficere potest, cum sit *firmamentum columnaque* veritatis, pollicitus est se cum discipulis suis seu Ecclesia sua unica in hoc ministerio esse usque ad consummationem sæculi. Ex illo sane tempore nunquam Ecclesia destitit ab hoc ministerio obeundo, sive apud gentes fideles, sive apud po-

pulos ad fidem adducendos. At licet quædam Ecclesiæ membra, data occasione et Spiritus afflatu, sicut suo loco notavimus, aliquam partem doctrinæ Christi quam viva voce hactenus prædicarant litteris mandaverint, omnia tamen scriptis non consignarunt, ut supra diximus, et ideo concludimus traditionem esse necessariam ad integrum doctrinæ Christi depositum, verum nec propter illa scripta cessavit Ecclesiæ prædicatio, et magisterium suum ex illis nullum cepit detrimentum. Adde quod illa scripta traditione indiguerunt Ecclesiæ, ut canonica haberentur, et ut eorum sensus genuinus determinaretur. Unde sequitur :

1° Hæc instrumenta vim non habere nisi in Ecclesia a Christo instituta, seu Ecclesia catholica. Hæretici quidem potuerunt furari litteram quæ occidit, spiritum vero Scripturarum qui vivificat habere non possunt, cum perenne ac legitimum magisterium non habeant.

2° Traditionem dogmaticam cum Ecclesiæ Christi doctrina identificari, unde etiamsi deficerent Scripturæ, magisterium Ecclesiæ idem ac perenne adhuc permaneret integerrimum.

3° Non Scripturas qualescumque,sed ipsum Ecclesiæ magisterium esse adæquatam et proximam fidei regulam.

4° Consequenter Ecclesiam nunquam cum novatoribus disputare, sed illis se ipsissimam solum ostendere, eorum pervicaciam confringere [1].

5° Theologum jure optimo omnibus novatoribus semper posse vigentem Ecclesiæ doctrinam opponere, cum Ecclesia cum suo magisterio sit sibi semper simillima.

[1] L'Église catholique n'est point augmentatrice de sa nature..... Mais si l'on vient à contester quelque dogme, elle sort de son état naturel; étrangère à toute idée contentieuse, elle cherche les fondements du dogme mis en problème; elle interroge l'antiquité; elle crée des mots surtout, dont sa bonne foi n'avait pas besoin, mais qui sont devenus nécessaires pour caractériser le dogme et mettre entre les novateurs et nous une barrière éternelle. (De Maistre. *Du Pape*, liv. 1. chap. 1).

* ARTICULUS II.

DE CONCILIORUM PRÆSERTIM GENERALIUM ACTIS.

Circa Concilia quatuor tantum adnotanda sunt :

1° Cum ex supra dictis ubi de Ecclesia, Concilia œcumenica universam representent Ecclesiam, inferendum est illorum acta, sanctiones maxime dogmaticas, totidem esse solemnia et publica testimonia fidei quam Ecclesia profitebatur quando unumquodque eorum celebratum fuit. Siquidem Pastores constituti sunt vigiles Christi, doctrinæ custodes et vindices, unde quum illi in fidei quæstionibus communi testimonio ex omnis terræ partibus congregati sunt, necessarium est Ecclesiam integram non posse a vera fide deficere, propter quod solemne est in Concilio magis insistere traditioni, seu vigenti Ecclesiæ doctrinæ, quam Scripturis quas Hæretici pervertunt et ad suum trahunt privatum sensum.

2° Caute præterea distinguenda sunt ea quæ in rerum discussione dicuntur ab eis quæ in conciliorum actibus inseruntur. Antequam enim in Conciliis deveniatur ad definitionem edendam, sunt disquisitiones et disputationes, unde potest accidere ut quædam a Patribus qui cæteroquin tum ut privati doctores loquuntur, proferantur quæ minime probanda sunt; decreta autem nomine totius Concilii, ac proinde Ecclesiæ, eduntur.

3° Item non est confundendum objectum definitionis cum motivo; in primo Patres, quatenus fidei et controversiarum judices, infallibilitate gaudent; non in secundo. Idem dicendum de quæstionibus incidentibus et aliis ejusmodi.

4° Quod diximus de Conciliorum œcumenicorum decretis doctrinalibus, idem omnino dicendum de Rom. Pontificum constitutionibus dogmaticis. Qui enim sunt et semper fuerunt præcipuum organum traditionis divinæ ejusque testes publici et irrefragabiles, eamque universali Ecclesiæ

cum summa potestate indigitant; illos igitur habeat theologus ut tutum ac legitimum a Christo doctrinæ traditæ organum. Eadem autem distinctio fieri debet in Rom. Pontificum constitutionibus dogmaticis, inter *objectum* traditionis et ejusdem *motivum*, ac in decretis Conciliorum œcumenicorum.

5° Magni etiam momenti facere debet theologus Concilia particularia, sive provincialia, sive nationalia, rite coacta, siquidem non semel inservierunt ad debellandas aut penitus præfocandas hæreses quæ in istis provinciis et regnis surrexerunt. Illorum igitur acta totidem sunt harum ecclesiarum traditionis testes, quæ si ab universali recipiuntur Ecclesia, ejus quoque universalis consensus irrefragabilia fiunt testimonia.

* ARTICULUS III.

DE ACTIS MARTYRUM.

De martyrum actis sequentia sunt notanda :

1° Acta martyrum, prout hic intelligimus, sunt illa dicta vel facta quæ martyres, tempore sui supremi et gloriosi triumphi, nobis reliquerunt, quæque scriptis consignata fuerunt.

2° In confesso apud omnes esse debet hujusmodi antiqua sanctorum martyrum acta nobis exhibere traditionis dogmaticæ certissima documenta ex quibus innotescit quid circa plures dogmaticas veritates, postea Hæreticorum perversitate inficiatas, Ecclesia crediderit. Ratio hujus est, quia martyres, in confessione fidei, respondebant tyrannis ea quæ a Pastoribus Ecclesiæ didicerant, quæque in suis temporibus profitebatur Ecclesia.

3° Imo vere majus inest illis actis pondus quam sanctorum Patrum scriptis, quia vera Patrum mens, vel propter loquendi formam, vel propter terminologiam, vel ob aliam causam singularem, quandoque difficile assequitur. Ipsi

martyres, quorum plures aut feminæ, aut vulgares rudesque homines fuerunt ex laicorum cœtu, candide, simpliciter, et absque fuco, exponebant ac profitebantur quæ in domesticis ac publicis Ecclesiæ cœtibus, præsulis inspectantibus didicerant. [1]

* ARTICULUS IV.

DE SACRA LITURGIA.

1° Sacræ Liturgiæ summa est auctoritas, eamque habere debemus uti testem omni exceptione majorem traditionis et Ecclesiæ fidei, quia per illam omnium Ecclesiarum exhibetur vox ac solemne testimonium, atque Episcoporum, presbyterorum et omnium fidelium suffragia, leges, ritus, effata, dogmata, etc... Est sacra liturgia quasi armamentarium Ecclesiæ, in quo omnia armorum genera prostant ad Hæreticos omnium sæculorum profligandos. Hinc S. Augustinus [2] ad profligandos Pelagianos et Semip., ad sacram

[1] Quia patres (inquit R. P. Peronne, *de Loc.*, 2, 2, part. 2. sect. 2. cap. 2. de med. gen. Trad. nota 3ª) veritates revelatas seu Christianæ fidei dogmata, quoad modum ea exponendi subjiciebant, ut ita dicam, subjectivis suis conceptibus juxta philosophiam quam profitebantur, hinc receptæ quædam loquendi formæ cum de mysteriis dissererent, quæ obscuritatem ingerunt ac difficultatem facescunt minus in illorum philosophandi ratione peritis.....

[2] Epist. 214, al. 107, *ad Vitalem*, nº 2 : « Extere, inquit, contra orationes Ecclesiæ, disputationes tuas, et *quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei*, orare pro incredulis ut eos Deus convertat ad fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt, ejus munere perseverent, subsanna pias voces. » Et in lib. 2, *de Dono persev.*, cap. 23, n. 65 : « Utinam, inquit, tardi corde et infirmi qui non possunt vel nondum possunt Scripturas, vel eorum expositiones intelligere, sic audirent, vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas quas semper habuit et habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc sæculum; » et vide passim. Vide etiam S. Hyeron., *De vocatione gentium*, et alios.

liturgiam recurrit, tanquam ad argumentum validissimum ad confringendos illorum conatus. Modus enim orandi est regula credendi. Hinc sectariorum hoc proprium fuit, ut cum a fide deficerent, libros quoque *liturgicos*, vel suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent. Hinc Patres orthodoxi ritus illibatos custodire semper conati sunt.

2° Si quid igitur omnium liturgiarum consensu firmatum deprehenditur, tanquam Ecclesiæ ipsius testimonium habetur. Quoad vero liturgias seorsim sumptas, plus minusve habent auctoritatis relativæ; unde semper ea præferenda est liturgia quæ nobilioris in Ecclesiæ usu recepta est, Ecclesiæ scilicet Romanæ. Hinc factum est ut ne, in re tanti momenti, a veritatis semitæ aberrarent, omnes fere occidentales regiones Romanæ Ecclesiæ adhæserunt, in qua, ut ait S. Augustinus (ep. 162), semper viguit apostolicæ Cathedræ principatus.

3° Cavendum tamen est a liturgiis particularibus et eas caute legere oportet, illas maxime quæ ab Hæreticis aut in fide suspectis reformatæ fuerunt, aut de novo impressæ, aut penitus exaratæ, in quibus virus suum distillasse certe non omiserunt [1].

4° Quæ de sacra liturgia diximus, de praxi Ecclesiæ in publico ac solemni et cultu religioso dicendum est, siquidem sunt partes integrales sacræ liturgiæ, quamvis ab ea stricte loquendo secernantur. Nam liturgia proprie ad ritum spectat quo Deo cultus publicus exhibetur, maxime per sacrosancti sacrificii oblationem : administratio vero solemnis ac publica sacramentorum, illos ritus complectitur quibus, numerus, natura, species, effectus sacramentorum comprobatur : cultus vero religionis nobis innotescere facit, quid de sanctis, de eorum festis, invocatione sentire debemus, ex iis quæ ab antiquitus in

[1] Conf. Card. Bona, *de Reb. liturg.*, lib. 1, cap. 1, n. 2 et seqq.

Ecclesiæ fuerunt usitatæ [1]. Patet igitur praxim Ecclesiæ in solemni ac publica sacramentorum administratione, et in suo cultu publico, si ejusdem gaudeat universalitatis nota, tum in orientalibus tum in occidentalibus partibus, esse pariter ac liturgia irrefragabile testimonium traditionis.

ARTICULUS V.

DE SS. PATRIBUS TRADITIONIS TESTIBUS.

Nota. Agemus hic 1. De notione Patrum Ecclesiæ. 2. De eorum authoritate. 3. De cautione et discretione in legendis sanctorum Patrum scriptis.

§ I.

De notione Patrum Ecclesiæ.

QUÆRES : *Quinam nomine Patrum Ecclesiæ intelliguntur ?*

RESP. Intelliguntur ii soli, qui primis Ecclesiæ temporibus sanctitate et doctrina ab Ecclesia recepta et approbata illustres, Christo filios genuerunt, genitos nutrierunt, ac in fide et communione catholica perstiterunt.

Ex hac descriptione clarum est, quatuor requiri conditiones essentiales, ut quidam Ecclesiæ Patres referantur.

Prima, est *scientia eminens, atque ab Ecclesia recepta et approbata.* Nam eatenus Patres et Doctores dicuntur, quatenus illos admittit Ecclesia, ut ab eis recte vivendi instituta et doctrinam in fide et moribus reliqui fideles accipiant.

Secunda, est *eximia vitæ sanctitas :* quia Pater Ecclesiæ, non solum verbo, sed et exemplo, cæteris prælucere debet.

[1] Sic ordinantur liturgiæ ex P. Perronne, loco cit. 1° Liturgia romana ; 2° Gallicana (antiqua utique) ; 3° Hispanica, vulgo mozarabica nuncupata. Inter orientales, primum locum tenet liturgia S. Jacobi omnium antiquissima, secundum locum, quæ SS. Cyrilli, Basilii et Chrysostomi nomen habent ; tertium locum, liturgia armena.

Tertia, est *perseverantia in fide et communione catholica.* Quomodo enim fideles dici poterunt in fide geniti ab iis qui a fide defecerunt aliquando? Quare, si quis Patrum fide descivit, nec resipuit aut pœnitentiam egit post talem defectionem, ejus auctoritas non attenditur, nisi forte tanquam antiquæ traditionis testimonium: talis fuit Tertullianus, quem ideo Ecclesia præcise pro Patre non agnoscit: e contra pro Patribus recipit D. Cyprianum, licet circa rebaptizandos Hæreticos erraverit, et SS. Justinum, Irænеum, etc., licet in errore Millenariorum sint versati, quia ut primum illæ quæstiones ab Ecclesia fuerunt definitæ, resipuerunt, et usque in finem in fide ac communione catholica perstiterunt.

Quarta, est *antiquitas notabilis:* quia Patres Ecclesiæ sunt, qui operum sanctitate et doctrina ad Ecclesiam in esse perfecto formandam laboraverunt, qui ideo Patrum majorumque nostrorum nomine honorantur; atqui non potuerunt Ecclesiam efformare, nec Patres et majores nostri dici possunt, qui antiqui non sunt. Ergo, etc. Hinc Alphonsus Baptista Ordinis Prædicatorum, *in Defensione apologetica pro auctoritate SS. Patrum*, concludit: *Solus ille vere ac proprie Pater est Ecclesiæ, qui cum sanctitate et doctrina competentem habet antiquitatem.*

* Ex quarta conditione et usu Ecclesiæ, series sanctorum *Patrum* in sancto Bernardo desiit. Nam etsi omnipotentis Dei providentia factum sit, ut vi et virtute sanctorum quorumdam Ecclesiæ in sæculo sequenti Doctorum doctrinæ, multæ quæ deinceps exortæ sunt Hæreses, confusæ et convictæ dissiparentur, et eorum meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberetur, ut de S. Thoma ait Pius V (Bulla *Mirabilis Deus*) et Sixtus V de S. Bonaventura (Bulla *Triumphantis*); licetque plurimos in Christo filios genuerint, sanctitate eximia splenduerint, vel etiam certa quadam antiquitate decorentur, quia tamen ad

Ecclesiam in esse perfecto formandam non laboraverunt, ideo *Patrum* majorumque nostrorum titulo non honorantur *

§II.

De auctoritate Patrum Ecclesiæ.

Nota 1. Non est hic quæstio de auctoritate Patrum in quæstionibus pure philosophicis, quæ ad fidem et mores non spectant: constat enim apud omnes in ejus generis argumentis non plus valere auctoritatem Patrum, quam valet ratio qua nituntur; dati enim non sunt ad Philosophos, sed ad fideles in fide et moribus instruendos: unde si eorum ratio sit probabilis, et argumentum remanet probabile.

Nota 2. Hic spectari potest, 1. Auctoritas unius aut alterius Patris, cæteris tacentibus. 2. Auctoritas plurium Patrum in unum dogma consentientium, aliis ex altera parte, licet paucioribus, reclamantibus. 3. Auctoritas Patrum in unum dogma unanimiter consentientium. His notatis.

CONCLUSIO 1.

Unius aut alterius Patris de rebus divinis sententia, aliis tacentibus, firmum argumentum non ministrat.

Prob. Eorum auctoritas firmum argumentum non ministrat, quorum sententiam improbare ac rejicere licet; atqui unius aut alterius Patris, aliis tacentibus, sententiam improbare ac rejicere licet, juxta illud Aug. [1]: *Neque enim quorumlibet disputationes velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia quæ illis debetur*

hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint, quam veritas habet divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. Ratio est, quia nullus de se est infallibilis, unde errare potuerunt, et de facto aliqui, etiam ex gravioribus, erraverunt, etiam in illis quæ postea deprehensa fuerunt pertinere ad fidem.

Nota. Tamen, nos ab uno aut altero Patrum non debere dissentire, nisi salva reverentia quam filii debent parentibus, et post contrariam veritatem compertam, tum ratione probabili, tum communi plurium Ecclesiasticorum sensu.

CONCLUSIO II.

Plurium Patrum sententia, aliis ex altera parte, licet paucioribus, reclamantibus, multum quidem probabile, sed non omnino certum præstare potest argumentum.

PROB. PRIMA PARS : Quia probabilitas alicujus facti extrinseca ex numero testium eruitur; ergo ubi circa aliquod factum plures sunt testes, ibi est magna probabilitas quod veritatem fuerint assecuti, licet alii, numero pauciores, reclament.

PROB. SECUNDA PARS : Ex auctoritate Patrum non potest deduci argumentum omnino certum, cum non certo constat utra pars veritatem asserat; atqui cum plures Patres unum factum affirmant, aliis, licet numero paucioribus, reclamantibus, non certo constat utra pars veritatem asserat, fieri enim potest ut qui ex altera parte reclamant, (præsertim si sanctitate et doctrina fuerint insignes) assecuti fuerint germanum aut Scripturæ, aut traditionis sensum. Ergo, etc.

Dices: Thomas Waldensis[1] docet, *quod major pars Patrum senserit, id esse Ecclesiæ catholicæ fidem.* Idem tradit Vincent. Lirin[2]. Ergo,

[1] In procœmio doctrinali fidei antiquæ. — [2] Lib. adversus profanas novationes.

Resp. *dist. ant.* Cum Cano [1]: illud est Ecclesiæ catholicæ fides, etc., quando paucorum sententiam oppositam Ecclesia damnavit, ut illorum qui putarunt ab Hæreticis venientes esse rebaptizandos, et illorum etiam qui Melchisedech non hominem quempiam, sed Spiritum Sanctum esse dixerunt, *conc. ant.* Utrumque enim horum Ecclesia post ea tempora semper abhorruit. Quando oppositam sententiam Ecclesia non damnavit, *nego ant.* Tunc enim plurimorum auctoritas nihil certum, firmumque conficit. Ita Canus.

CONCLUSIO III.

Unanimis SS. Patrum in aliquod dogma consensus, certissimum et infallibile argumentum præstat, estque fidei regula. Est, tum contra Hæreticos, tum contra Cajetanum in initio commentariorum in Genesim.

Prob. 1. Ex D. August. l. 1 contra Julian. *Hoc probavimus*, inquit, *Catholicorum auctoritate Sanctorum, ac per hoc non est consequens ut falsum sit. Tales quippe ac tanti viri secundum Catholicam fidem hoc verum esse confirmant, ut vestra fragilis et argutula novitas sola auctoritate conteratur illorum : præter quam quod ea dicunt, ut se per eos loqui veritas ipsa testetur.* Et in fine libri : *Qui Sanctos rejicit, eos universam Christi Ecclesiam rejicere testatur.* Unde in Conc. Nicæno II, actione prima, anathematismo 7, dicitur : *Qui doctrinas SS. Patrum, et traditionem Catholicæ Ecclesiæ contemnunt, execratio.* Ex quo sic concludit Canus [2]: *Hæc igitur duo ita sunt connexa atque conjuncta, ut divelli ac dissociari non possint, doctrina SS. Patrum, et Ecclesiæ traditio. Quisquis unum istorum tentarit labefactare, alterius quoque fidem concutiat necesse est.*

Prob. 2. Ex Vincent. Lirin. in commentario : *Necesse est*, inquit, *omnibus Catholicis, qui sese Ecclesiæ legitimos filios probare student, ut SS. Patrum fidei inhæreant, agglutinentur,*

[1] L. 7, *de Locis*, cap. 3, conclus. 3. — [2] L. 7, *de Locis*, cap. 3.

immorantur, profanas vero novitates detestentur, horrescant, persequantur; Concilio enim Ephesino placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata sibi consentiens SS. Patrum tenuisset antiquitas. Nec Ephes. solum ita sensit, sed et Chalcedonense sic clamans : *Hæc est fides Patrum, omnes ita credimus.* Et Constantinop. III. Act. 12 dixit : *Omnino necesse est, non solum secundum sensum sequi SS. Patrum dogmata, sed iisdem uti vocibus cum illis, nihilque penitus innovari.* Et infra : *Sanctorum Patrum dogmata tanquam legem sanctæ Dei suscipiunt Ecclesiæ.* Et Nicænum II pro decretorum robore addit : *Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum.* Hinc Concil. Trid. sess. 4, districte prohibet : *Ne quis Scripturam, contra unanimem SS. Patrum sensum, audeat interpretari* Ergo supponit Ecclesia unanimem SS. Patrum consensionem errare non posse.

Prob. 3. *ratione.* Unanimis SS. Patrum in unum dogma consensio, certissimum est divinæ traditionis testimonium; luculenter enim certoque per Patres, qui singulis sæculis floruere, Ecclesia potest scire quid Apostoli tradiderint; atqui certissimum divinæ traditionis testimonium certissimum et irrefragabile subministrat argumentum, cum traditio non minus sit verbum Dei quam Scriptura Sacra. Ergo, etc. Unde D. Hieronymus ait[1] : *Doctores Ecclesiæ, non tam ipsi docent, quam in ipsis Deus.*

Confirm. Quia si simul contingeret omnes simul Patres errare in rebus fidei, sequeretur Ecclesiam ipsam errare posse, et quidem Deo jubente : jubet enim Deus ut sequamur Doctores, quos ipse in Ecclesia posuit : *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate et facite.*

Objectiones.

Objiciunt 1. *Heterodoxi:* Omnium Patrum in unum dogma consensus non est infallibilis; ergo non ministrat argumentum irrefragabile.

[1] In cap. 1 ad Galat.

Prob. ant. Singuli Patres sunt fallibiles, ergo et consensus Patrum.

Resp. *nego conseq.* Etsi enim singuli labi possint, quia homines, omnes tamen simul errare non permittit Deus, quia unanimis omnium consensus est sensus Ecclesiæ ideoque et Spiritus Sancti Ecclesiam per Patres docentis.

Prob. conseq. Testimonium SS. Patrum simul sumptorum est humanum; ergo est fallibile.

Resp. *nego ant.* Nam quando unanimi consensu conveniunt SS. Patres ad res fidei confirmandas, non humano modo, sed ex Spiritu Sancto loquuntur, cum constet talem consensum esse Ecclesiæ, atque ideo Spiritus Sancti sensum.

Inst. 1. Si in libris Canonicis una quælibet falsitas inveniretur, tota eorum certitudo periret; sed in libris Patrum inveniri potest una, aut altera falsitas; ergo tota eorum perit certitudo.

Resp. *dist. min.* In libris Patrum disjunctive sumptorum, *conc. min.* in libris Patrum collective sumptorum, unam veritatem dogmaticam unanimiter proponentium, *nego min. et conseq.* Nam a suppositione disjunctiva ad collectivam non valet argumentatio.

Inst. 2. *Erasmus:* atqui in aliquibus ad fidem spectantibus inveniuntur Patres unanimes errasse. Ergo. *Resp. nego ant.*

Prob. ant. Patres unanimi consensu B. Virginem in peccato originali conceptam asseverarunt, cujus tamen contrarium hodie tenet Ecclesia. Ergo, etc. En argumentum Erasmi achilleum; quod ego dico impudentem Erasmi in Patres calumniam.

Resp. *nego ant.* Nam plerique Patres hanc quæstionem non attigerunt, multi alii Immaculatam Conceptionem propugnarunt, ut suo loco videbitur.

Objicit 2. Cajetanus : *Non alligavit Deus expositionem Scripturæ Sacræ priscorum Doctorum sensibus.* Ergo, etc.

Resp. *nego ant.* Imo alligavit, si omnes in eamdem sententiam consenserint; tenentur enim omnes Catholici sensum Ecclesiæ sequi; atqui sensus Patrum est sensus Ecclesiæ. Ergo, etc.

Inst. Si quis pertinaciter negaret veritatem dogmaticam unanimiter a SS. Patribus assertam, sed ab Ecclesia nondum definitam, is non esset hæreticus; ergo non tenemur sequi sententiam Patrum tanquam regulam fidei.

Resp. *Dist. seq. maj.* Is non esset hæreticus formaliter, *conc.;* sic nec esset formaliter hæreticus, qui negaret veritatem Scripturæ, quæ ut authentica nondum proposita est ab Ecclesia. Materialiter, *nego seq. maj.;* negaret enim veritatem, quæ de se est fidei veritas.

Objicies 3. Vix fieri potest ut, etiam sublimioribus doctoribus, unanimis pateat in aliquod dogma consensus; ergo frustranea est regula fidei a nobis proposita. Ita argumentatur Dallæus.

Resp. *Nego ant.* Neque enim unanimem Patrum consensum sumimus *mathematice,* ita ut nullus desit, et omnes ad unum legere oporteat; sed *moraliter,* ita ut sit consensus ferme omnium, quod optime exponit Peronius in respons. ad regem Angliæ. *Tunc unanimis Patrum consensus cumulate probatus æstimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiunt, ita ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus, semper orthodoxis adhæsit, dissentiat.*

Inst. 1. *Dallæus :* Patres, qui post IV sæculum scripserunt, a doctrina Apostolorum recedunt; ergo nulla debet reputari eorum authoritas.

Resp. *Nego ant.* Cujus falsitas demonstratur tum ex consensione illorum doctrinæ, cum doctrina Patrum priorum sæculorum; tum ex eo quod non potuissent novam tradere doctrinam, quin statim tota commota Ecclesia reclamasset, uti factum videmus quando Arius, Pelagius, Eutiches, etc., novas doctrinas invehere tentaverunt.

Inst. 2. Inter scripta sub nomine Patrum vulgata, alia

sunt supposita, alia quidem genuina, verum in multis interpolata; ergo certum ex eis non potest deduci argumentum.

Resp. 1. Licet quædam opera Patribus attributa sint supposita, multo plura sunt genuina, nec communem Ecclesiæ fidem requirimus ex libris Patrum suppositis, quos a genuinis facile secernunt eruditi : illa enim solum opera attribuuntur alicui Patri, quæ a coævis scriptoribus illi tribuuntur, quæ in antiquioribus et emendatioribus manuscriptis eidem inscribuntur, et tandem quæ dogmata continent et stylum referunt perfecte congruentia cum aliis indubitatis ejusdem Patris operibus.

Resp. 2. Quod spectat loca quæ in scriptis SS. Patrum dicuntur interpolata, ea sunt paucissima ac levioris momenti, quæ etiam ope criticæ, ex veterum manuscriptorum et variarum editionum ad invicem collatione, resarciuntur.

Resp. 3. Ex objectione a Dallæo nobis proposita, sequeretur nulla opera in toto orbe esse indubia, et sic scripta Ciceronis, Virgilii, et aliorum de quorum veritate et sinceritate nullus dubitat, essent incerta, et consequenter nullius auctoritatis; quod consectarium ab omnibus eruditis exsibilatur.

§ III.

De cautione, et discretione in legendis SS. Patrum scriptis.

Quæres : *Quænam sunt consideranda, ut sine erroris periculo legantur scripta SS. Patrum?*

Resp. 1. Considerandum est *quo* scripserint *modo;* namque 1. si modo theologico scripserunt, strictius : si vero modo oratorio, benignius et minus stricte eorum verba sunt accipienda; nam inter concionandum multa ex zelo hyperbolice dixerunt. 2. Si ex professo aliquam quæstionem tractaverint, accuratius locuti sunt; si vero obiter et per accidens, tunc minus accurate, et ideo quæ protulerunt, benigne sunt interpretanda; atque eorum sententia eruenda

est ex eis quæ dixerunt, dum quæstionem ex professo tractarunt.

2. Considerandum est *quo tempore* scripserint; namque 1. Si ante exortas hæreses et materiæ discussionem, minus accurate quam postea scripserunt. 2. Si ante Ecclesiæ definitionem, potuerunt absque hæreseos nota scribere quæ postea ab Ecclesia fuere damnata; ideo nec D. Cyprianus nec alii Africani, rebaptizantium errorem propugnantes, fuerunt Hæretici.

3. Considerandum est *qua ætate* scripserint : quia ætate juniori multa scribuntur, quæ ætate senili maturius examinata, vel gravius tractantur, vel omnino retractatur, ut constat ex D. Aug. qui plures libros Retractationum suarum scripsit.

4. Considerandum est *qua occasione* scripserint; sæpius namque contigit, ut SS. Patres in refellendis quibusdam hæresibus, usi sint terminis, qui in specie quidem, oppositis erroribus faverint, sed reipsa, et secundum sensum, ab illis omnino differrent. *Hoc est Augustino peculiare,* ait Cornelius Mussus [1], *ut cum aliquem errorem expugnat, tanta vehementia exaggeret, ut opposito causam præbere videatur; cum Sabellium, Ario; cum Pelagium, Manichæis; cum Manichæos, Pelagio.*

5. Cum agitur de aliquo dogmate, olim ab hæreticis impugnato, illi Patres præ cæteris sunt consulendi et sequendi, quos ad has hæreses debellandas Deus Ecclesiæ suæ, singulari beneficio, concessit; quis enim dubitet quin eorum mentem abundantiori luce collustraverit, quos ad Ecclesiam suam contra ejus inimicos defendendam suscitavit? Itaque ubi agitur de Christi Divinitate, S. *Athanasius;* ubi de Incarnatione, S. *Cyrillus;* ubi de prædestinatione et gratia, S. *Augustinus* cæteris omnibus sunt præferendi; quia S. Athanasius Verbi divini consubstantialitatem cum Patre contra Arianos; S. Cyrillus Verbi Incarnationem contra

[1] In cap. 5, epist. ad Rom.

Nestorianos; S. Augustinus prædestinationem et gratiam adversus Pelagianos propugnarunt.

ARTICULUS VI.

DE SCHOLASTICIS THEOLOGICIS, RATIONE HUMANA, PHILOSOPHORUM PLACITIS ET HISTORIA HUMANA.

§ I.

De Doctorum Scholasticorum auctoritate.

* Quæres 1°. *Quænam deprehenditur differentia inter theologos et SS. Patres?*

Resp. 1°. Quanquam *theologi* merito appellari possint et debeant veteres Ecclesiæ Patres, usus tamen invaluit ut eo nomine donarentur scriptores qui post medium sæculum XII, quo desiit in sancto Bernardo *Patrum* appellatio, de sacra doctrina disseruerunt. Hoc unum præcipuum inter Patres et theologos scholasticos videtur esse discrimen, quod scholastici, ut plurimum, omnes theologiæ partes in unum corpus collegerunt, et cum certa methodo eorumque dicendi genere et artis syllogisticæ tractaverunt. Patres vero hanc vel alteram tantum theologiæ partem exposuerunt pro data occasione et necessitate. Primum invenerunt methodum scholasticam Joannes Damascenus inter Græcos, et J. Anselmus Cantuariensis inter Latinos; eam deinde excoluerunt atque ad perfectionem duxerunt Petrus Lombardus, Magister Sententiarum dictus, S. Thomas Aquinas ac S. Bonaventura, quos deinceps innumeri pene subsecuti sunt.

Resp. 2°. Scholastici Theologi, sicut sancti Patres, sub duplici respectu considerari debent, nempe : ut traditionis testes et traduces; spectati sub utroque respectu, magni faciendos existimamus, quia quæ fidei morumque doctrinam spectant, ex Sacris Scripturis, traditione, Patribus, Conciliis, Pontificum decretis, aliisque scriptoribus ecclesiasticis colligunt, et collecta certo disponunt ordine, facili

methodo pertractant, omnis generis argumentis confirmant et al. hæreticorum sophismatibus vindicant. Unde sanctorum Ecclesiæ Patrum, in re de qua agimus, vicem exceperunt. Igitur cum aliquid miro plane consensu tradiderunt, dubium non est quin hoc a majoribus acceperint, cumque illos approbaverit Ecclesia, patet testimonium ineluctabile esse hac in parte illorum auctoritatem.

Resp. 3°. Sicut in sanctis Patribus, ita caute distinguendum est in scholasticis objectum a motivo, seu a rationum et argumentorum momentis quibus veritatem adstruunt et propugnant. Item discernendum est quæ proponunt ut fidei et Ecclesiæ doctrinam, a singulorum vel plurium placitis et sententiis; in istis enim non ex solo auctorum numero, verum ex argumentorum pondere, æstimanda est veritas, et *plurium auctoritas*, inquit Canus [1], *obruere Theologum non debet : sed si paucos veros secum habeat, poterit sane adversus plurimos stare; non enim numero hæc judicantur, sed pondere.*

Notandum 1°. Junioribus præsertim canditatis duo sunt pari cura vitanda : sunt enim qui ita scholasticam methodum extollunt, ut si quod opus theologicum non redolet peripatheticam philosophiam, cum formis Aristotelicis, illud parvipendant et tanquam Theologo indignum despiciunt; alii autem in politiori litteratura sane edocti, imo doctrinarum copia pene vacui, scholasticos parvipendunt Theologiamque scholasticam insectantur ut inutilem, imo periculosam; ita maxime Pseudo-reformati, eam nunquam reprehensuri, si potuisset ipsorum novitatibus sese accommodare.

Notandum quoque est 2° Theologum sua argumenta *ad hominem* depromere posse ex Hæreticorum scholis, cum, ita Deo disponente, sicut Judæi licet inviti sunt testes in causam christianæ religionis, sic et Hæretici in causam catholicæ veritatis.

[1] Lib. 8, cap. 4, n. 1.

Quæres : *Quanta sit Doctorum Scholasticorum auctoritas ad faciendam fidem?*

Resp. 1. *Ubi Doctorum Scholasticorum variæ sunt, eoque discrepantes sententiæ, major numerus non est certum veritatis argumentum.*

Prob. Quia, ut ait Canus, in Scholæ dissidiis non solo authorum numero, sed potissimum pondere rationum quærenda est veritas : atqui opinio minoris Doctorum numeri potest fulciri rationibus æque gravibus ac quandoque gravioribus opinione majoris numeri; ergo major numerus non est certum veritatis argumentum. Unde expendendæ sunt, et ponderandæ rationes quibus utuntur, atque iis adhærendum, qui suam opinionem gravioribus rationibus fulciunt.

Hinc merito reprehendendi sunt Scholastici nonnulli, qui ex opinionum, quas in Schola acceperunt, præjudiciis ipsis ita adhærent, ut statim oppositas absque sufficientibus rationibus damnent, et quandoque notis gravioribus inurant.

Resp. 2. *Communis Theologorum sententia in re aliqua gravi argumentum subministrat ita probabile, ut nisi manifesta sit obluctandi ratio, notam temeritatis mereatur is qui refragari ausus sit.*

Prob. Quia in qualibet arte peritis credendum esse ratio demonstrat; ergo temerarius est qui in rebus Theologicis et Ecclesiasticis dogmatibus, Scholæ magistris unum communiter sentientibus, non adhæret. Hinc Concil. Viennense docet : *Opinionem illam quæ dicit tam pueris quam adultis conferri in Baptismo gratiam informantem et virtutes, tanquam probabiliorem et Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam et concordem, fore a Catholicis eligendam.*

Dixi : *Nisi manifesta sit obluctandi ratio;* quia opinio communis est ea quam communiter tenent Theologi, licet aliqui pauci dissentiant : ergo si illi pauci, qui contra communem sentiunt, tam efficaces suæ opinionis rationes

afferant, ut communis sententiæ argumentis æquivaleant, tunc sine temeritate potest quis a communi recedere.

Resp. 3. *Concors et constans omnium Theologorum, in aliquo fidei et morum dogmate tradendo, sententia, tantæ est auctoritatis, ut ei contradicere, si non erroneum, saltem errori proximum sit.*

Prob. Quia nunquam omnes scholastici uno ore aliquod dogma constanter asseruere, *quod vel ex sacris literis, vel ex Apostolorum traditione, vel Pontificum aut Conciliorum definitionibus, non habeat certum originem*, ait Canus [1]; atqui quod ab illis fontibus ducit originem, tantæ est auctoritatis, ut ei contradicere, si non erroneum, saltem errori proximum sit. Ergo. Hinc nullum invenitur dogma, quod omnes scholastici constanter asseruerent esse fidei, cui Ecclesia contradixerit.

§ II.

De ratione naturali.

Quæres 1. *An ratio naturalis certa Theologo possit suppeditare argumenta?*

Resp. Ratio naturalis certa, per demonstrationem, Theologo potest subministrare argumenta; sic ex hoc principio : *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, ratio naturalis certo concludit: ergo *non furandum, non occidendum* [2], etc.; sed non potest suppeditare argumenta proprie Theologica, quandoquidem conclusio Theologica ex una saltem propositione revelata deduci debet.

Quæres 2. *An ratio naturalis Theologo sit utilis?*

Resp. Non solum est utilis sed et necessaria : nam Theologus non solum debet esse *potens exhortari in doctrina sana, sed et eos qui contradicunt arguere*, ait Apostolus [3]; atqui non potest eos, qui contradicunt, arguere, sine ratione naturali, sine qua *fidelis quidem esse poterit, sed fidelium doctor esse non poterit*, ait Canus [4].

[1] *De Locis*, l. 8, c. 4, concl. 3.
[2] Clem. unica de Sum. Trin. — [3] Tit. 1, v. 9 — [4] L. 1, *de Locis*, c. 3

Quæres 3. *An ratio naturalis sit revelationi subjicienda?*

Resp. Est revelationi subjicienda velut ancilla, quam in suum obsequium asciscit. *Oportet*, ait D. Thomas [1], *quod naturalis ratio subserviat fidei.* Ab hac regula deficientes Sociniani, atque ad rationis normam Christianæ religionis mysteria commensurantes, quidquid rationis captum superat, ut sunt mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, peccati originalis, etc., impudenter rejecerunt.

§ III.

De Philosophorum placitis.

Quæres. 1. *An Philosophorum placita Theologo sint utilia?*

Resp. Sunt maxime utilia ad fidem Christianam adversus Gentiles obfirmandam, ut, veluti ex propriis Prophetarum suorum oraculis convicti, divinæ veritati facilius præbeant assensum : sic D. Paulus in medio Areopagi non dedignatus est proferre Philosophorum sententias, ut Areopagitas de idolorum vanitate facilius convinceret.

Quæres 2. *An placita Philosophorum certa Theologo argumenta sufficere possint?*

Resp. Non posse, nisi firma ac demonstrativa ratione fulciantur; Theologo enim indignum est ab aliquo Philosopho, tanquam ab oraculo, pendere, cum habeat *firmiorem propheticum sermonem.*

§ IV.

De historia humana.

Quæres 1. *An historia humana Theologo sit utilis?*

Resp. Historia humana, præsertim Ecclesiastica, adeo utilis est, ut eruditus non possit esse Theologus, qui historiam veterem ignorat.

Prob. Quia Theologus ex historia addiscit quid antiquum, quidve novum; quæ dogmata fidei et morum sint in Conciliis definita; quæ disciplinæ præcepta sint tradita; qu

[1] 1 p. q. 1, art. 8, ad 1.

occasione nonnulla in Conciliis sint statuta ; quam ob causam aliqua a Patribus scripta fuerint, ac proinde quinam sit germanus Conciliorum et Patrum sensus : atqui, sine illorum notitia, eruditus non potest esse Theologus. Ergo.

QUÆRES 2. *An historia humana certa Theologo possit administrare argumenta ?*

RESP. 1. *Factum historicum, a pluribus viris gravibus et fide dignis relatum, probabile argumentum suppeditat.*

Ratio est, quia probabile ac verisimile est evenisse factum, quod a pluribus historicis probatis ac fide dignis asseritur. *Si namque*, ait Canus [1], *in ore duorum, vel trium, stat omne verbum, cur adversus hanc legem, pluribus testibus rem eamdem olim gestam contestantibus, fidem Theologus abrogabit ?* Imprudenter certe se gereret.

RESP. 2. *Factum historicum ab omnibus gravibus et fide dignis, nullo contradicente, narratum, Theologo certum ad Theologiæ dogmata constituenda, argumentum suppeditat.*

PROB. Id certum Theologo argumentum suppeditat, de quo nemo, nisi insipiens sit, dubitare potest : atqui de facto, quod ab omnibus probatis ac fide dignis historicis, nullo contradicente, refertur, nemo, nisi insipiens sit, dubitare potest. Ergo. Quis, v. g., nisi desipiat, dubitare potest D. Petrum Romæ collocasse sedem, ibique martyrii gloria coronatum fuisse ? Concilium Nicænum a S. Sylvestro vero Ecclesiæ Pontifice, tempore Constantini Magni, coactum fuisse? Certe eo argumenti genere probamus quædam Concilia esse œcumenica, ac proinde fide divina credenda ea quæ in eis definita fuerunt.

QUÆRES 3. *Quænam conditiones requirantur, ut historicus censeatur fide dignus ?*

RESP. Tres requiruntur : *Prima*, ut sit rei, quam enarrat, coætaneus; neque enim tantam fidem meretur si multo post tempore vixerit.

[1] L. 1 *de Locis*, c. 4, concl. 2.

Secunda, ut nunquam, in rebus non multum intricatis, fuerit deceptus.

Tertia, ut ipsius non intersit, quod facta sic extiterint, quomodo ab eo referuntur. Hujus conditionis defectu, Eusebii Cæsariensis fides, in rebus quæ Arianismum spectant, dubia est : quia, teste D. Hieronymo [1], *Ecclesiasticam pulchre Eusebius historiam texit, sed impietatis Arii apertissimus propugnator est.* Sic etiam Socratis et Sozomeni fides est dubia in rebus quæ ad Novatianos pertinent, quia Novatii schismate infectos fuisse perhibetur, etc.

Non omnes utique sunt historici æque graves, ac veritatis sectatores, sed alii oscitantes, alii præjudiciis obcæcati, alii alio pravo motivo ducti scripserunt, facta et eventus infideli narratione exposuerunt, et a moribus populorum et temporum quos describebant prorsus alieni fuerunt; propterea legentibus historiam magna sagacitate et arte critica opus est.

* QUÆSTIO II.

DE MEDIIS SINGULARIBUS QUIBUS ANTIQUA TRADITIO TRANSMISSA EST ATQUE COGNOSCITUR.

Nota. Ad media generalia traditionis transmittendæ et dignoscendæ singularia accedunt media, quibus magis ac magis deprehenditur catholicæ fidei veritas ope monumentorum propagata. Inter hæc præcipua sunt epigraphia, numismatica, picturæ, sculpturæ, sepulcreta vulgo catacumbæ dictæ, sacræ ædes : quæ Theologus minime negligere debet.

ARTICULUS PRIMUS.

DE EPIGRAPHIA.

1° Hic agitur de epigraphia, seu inscriptione lapidibus aut quid simili insculpta. Quam magni facienda sit vete-

[1] Epist. ad Pammachium.

rum Christianorum auctoritas, ex eo facile colligitur quod antiquì fideles maxime solliciti fuerint ad perpetuam memoriam lapidibus fidem suam commendare. Sunt ergo hujusmodi inscriptiones traditionis ac fidei tunc receptæ authentica testimonia, eoque pretiosiora quo deinceps adulterari non poterant, et pauciora scripta horum temporum habemus.

2° Ut utilior et fructuosior evadat inscriptionum usus, has sequentes regulas tradit R. P. Perronne, post Zacchariam in suo Thesauro Theologiæ : (Dissertatio de veterum inscriptionum christianarum in rebus Theol. usu, cap. 2). 1° Lapidum quorum testimonium adhibetur, ætas constare debet; 2° inscriptiones quam accuratissime legi oportet; 3° sensus earum genuinus maxime et accurate intelligi debet; 4° cavendum ne phrases quædam perperam accipiantur; 5° cum aliis ejusdem ætatis certissimis conferendæ sunt; 6° una cum alia comparari debet; 7° tandem, non inscriptiones tantum, sed earum quoque ornamenta studiose pendenda sunt.

ARTICULUS II.

DE RELIQUIS VETERUM CHRISTIANORUM MONUMENTIS.

Numismata et sepulcreta, ædes sacræ, altaria, item picturæ atque sculpturæ ad quas revocari possunt vitreæ opera tessellata, gemmæ, lucernæ, sarcophaga, et id genus artificium et fabrorum labores, qui injuria temporis superata, ad nos usque pervenerunt, totidem sunt rivuli traditionis dogmaticæ, per quos ad nos dimanavit primitivæ Ecclesiæ fides, et certissime invicteque probant nos easdem ac veteres Christiani profiteri dogmaticas veritates. Jam vero ex istis variis monumentis ineluctabilia depromuntur argumenta adversus omnis generis Hæreticorum errores, siquidem, v. g., aliquando ex navicula Ecclesiæ symbolum referente, discernitur in Petro supremam ac infallibile gubernium in Ecclesia, dum Petrus solus in puppi sedens et

clavem tenens representatur (Conf. Mamachium, *Antiq. Christ.* tom. V). Aliquando Ecclesiæ Romanæ fides circa libros, quos Deuteronomios vocamus aperte constat. (Conf. Ciampinium, *Vetera monumenta*, et alios archeologistas ubi tractant de cæmeteriis, basilicis); aliquando imagines Christi, sanctorum Apostolorum ac martyrum cruces ibi depictæ eorum invocationem, altaria erecta, in quibus sunt ossa sacra martyrum, sacrificii missæ celebrationem et Christianorum venerationem in sanctos testificantur; et ne longius protrahamur, hæc et alia monumenta sunt veluti Ecclesiæ testes immortales. Hinc quod de priscis Romanorum monumentis aiebat Tullius, et hoc de monumentis religiosis usurpare possumus : *Exempla ex vetere memoria et monumentis ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis, hæc plurimum solent et auctoritatis habere ad probandum et jucunditatis ad audiendum* (*in Verrem*, act. 2, lib. 3, cap. 90, Conf. R. P. Perronne, *de Loc. Theol.* part. 2, sect. 2, cap. 3, qui multos citat hac in re peritos). Siquidem per illa manifestum est nunquam in rebus ad fidem pertinentibus Ecclesiam innovasse, sed heterodoxos plane ab antiqua doctrina deflexisse.

APPENDIX I.

Series legitimæ ac continuæ successionis SS. Pontificum, a D. Petro ad Pium IX, juxta Bullarii magni Chronologiam, quæ exactior mihi visa est.

SÆCULUM I.

1. S. Petrus, Jonæ filius, natione Galilæus, patria Bethsaida, postquam Anthiochiæ septem annis sedisset, Romam venit, anno Domini 44, Claudii vero Imperatoris anno 2, juxta D. Hieron., *de Viris illustribus*, in Petro; ibique fixit Sedem Apostolicam, quam rexit annis 24, mensibus 3, diebus 12. Martyr occubuit anno Christi 68, Neronis vero Imperatoris anno 13, die 29 junii. Non vacavit per ejus obitum Sedes Romana.

2. S. Linus, provincia Tuscus, patria Volaterranus, creatus anno 68, die 29 junii, sedit annis 11, mensibus 2, diebus 23; obiit anno 79, die 23 septembris, martyr sub Vespasiano. Non vacavit sedes.

3. S. Cletus, patria Romanus, creatus anno 79, die 23 ptembris, sedit annis 11, mensibus 7, diebus 2; obiit no 91, die 26 aprilis, martyr sub Domitiano. Vacavit des diebus 20.

4. S. Clemens I, Romanus, creatus anno 91, die 21 mai

sedit annis 9, mensibus 6, diebus 4; obiit martyr sub Trajano anno 100, die 23 novembris. Vacavit sedes diebus 22.

SÆCULUM II.

5. S. Anacletus, Atheniensis, Græcus, creatus anno 100, die 15 décemb.; sedit annis 9, mensibus 2, diebus 28; obiit anno 110, die 13 julii, martyr sub Trajano. Vacavit sedes diebus 13.

6. S. Evaristus, Bethlehemites, Syrus, creatus anno 110, die 27 julii; sedit annis 8, mense uno, diebus 28; sub Adriano martyr occubuit, anno 118, die 26 octob. Vacavit sedes diebus 19.

7. S. Alexander I, Romanus, creatus an. 118, die 12 nov.; sedit annis 10, mensibus 5, diebus 21; sub Adriano martyr coronatus est, anno 129, die 3 maii. Vacavit sedes diebus 35.

8. S. Sixtus I, Romanus creatus, anno 129, die 7 junii; sedit annis 9, mensibus 10; obiit martyr sub Antonino, anno 139, die 6 april. Vacavit sedes diebus 2.

9. S. Thelesphorus, patria Thuriensis, hodie Terra Nova in Calabria, creatus anno 139, die 9 april., sedit annis 10, mensibus 8, diebus 27; obiit martyr sub Antonino, anno 150, die 5 januarii. Vacavit sedes diebus 7.

10. S. Hyginus, Atheniensis, Græcus, creatus anno 150, die 31 januarii, sedit annis 3, mensibus 11, diebus 28; martyr occubuit sub Antonino anno 154, die 11 januarii. Vacavit sedes diebus 3.

11. S. Pius I, Aquileiensis, creatus anno 154, die 15 januarii, sedit annis 11, mensibus 5, diebus 27; sub Antonino juxta Martyrologium Romanum, vel sub M. Aurelio juxta lib. de Rom. Pontificibus martyr occubuit, anno 165, die 11 julii. Vacavit sedes diebus 13.

12. S. Anicetus I, Syrus, creatus anno 165, die 25 julii, sedit annis 9, mensibus 8, diebus 24; martyr sub M. Aurelio obiit anno 175, die 17 Apr. Vacavit sedes diebus 17.

13. S. SOTER, ex Fondi in Campania, creatus anno 175, die 5 maii, sedit annis 7, mensibus 11, diebus 17; obiit martyr sub M. Aurelio anno 182, die 22 aprilis. Vacavit sedes diebus 21.

14. S. ELEUTHERIUS, Neapolitanus, creatus anno 182, die 14 maii, sedit annis 13, diebus 13; obiit martyr sub Commodo, anno 195, die 26 maii. Vacavit sedes diebus 5.

15. S. VICTOR I, Afer, creatus anno 195, die 31 maii, sedit annis 9, mense 1, diebus 26; obiit martyr sub Severo Imperatore, anno 203, die 28 julii. Vacavit sedes diebus 11.

SÆCULUM III.

16. S. ZEPHYRINUS, Romanus, creatus anno 203, die 17 augusti, sedit annis 18, diebus 18; obiit anno 221, die 25 julii. Vacavit sedes diebus 6.

17. S. CALIXTUS, Romanus, creatus anno 221, die 2 septemb., sedit annis 5, mense 1, diebus 12; obiit martyr sub Severo, anno 227, die 26 septemb. Vacavit sedes diebus 4.

18. S. URBANUS I, Romanus, creatus anno 227, die 1 octobris, sedit annis 6, mensibus 7, diebus 4; obiit martyr, anno 233, die 25 maii. Vacavit sedes diebus 30.

19. S. PONTIANUS, Romanus, creatus anno 233, die 24 junii, sedit annis 5, diebus 2, sub Severo exul in Sardinia; martyrium consummavit sub Maximino, anno 237, die 19 novemb. Vacavit sedes die uno.

20. S. ANTERUS, Græcus, ex Petilia urbe, creatus anno 237, die 21 novemb., sedit mense 1, diebus 12; obiit martyr sub Maximino, anno 238, die 3 januarii. Vacavit sedes diebus 13.

21. S. FABIANUS, Romanus, creatus anno 238, die 17 januarii, sedit annis 15, diebus 4; obiit martyr sub Decio, anno 253, die 20 januarii. Vacavit sedes anno uno, mensibus 3, diebus 10.

22. S. CORNELIUS, Romanus, creatus anno 254, die 30 aprilis, sedit annis 2, mensibus 4, diebus 14; martyr obiit

anno 256, die 14 septemb. Vacavit sedes mense 1, diebus 5.

SCHISMA I,

In Ecclesia Romana inter S. Cornelium et Novatianum Antipapam.

Novatianus, Romanus, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Pseudo-Pontifex, sedit contra Cornelium, aliosque post eum Romanos Pontifices, annis circiter 6. Hic, schismati hæresim adjungens, docebat non esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata; unde exorta est secta Novatianorum.

23. S. Lucius, Romanus, creatus anno 256, die 20 novemb., sedit annis 2, mensibus 3, diebus 13; martyr obiit anno 258, die 4 martii. Vacavit sedes mense uno, die uno.

24. S. Stephanus I, Romanus, creatus anno 258, die 6 aprilis, sedit annis 3, mensibus 3, diebus 26; in propria sede jussu Valeriani decollatus est, anno 260, die 2 augusti. Vacavit sedes diebus 22.

Hic S. Cypriano, hæresim rebaptizantium propugnanti, vivide restitit.

25. S. Sixtus II, Græcus Atheniensis, creatus anno 260 die 24 augusti, sedit mensibus 11, diebus 13; sub Valeriano martyr obiit anno 261, die 6 augusti. Vacavit sedes mense 1, diebus 3.

26. S. Dionysius, Græcus, Anachoreta, creatus anno 261, die 10 septembris, sedit an. 11, mensibus 3, diebus 14; obiit anno 272, die 26 decembris. Vacavit sedes diebus 5.

27. S. Felix I, Romanus, creatus anno 272, die 31 decembris, sedit an. 2, mensibus 4, diebus 29; obiit martyr anno 275, die 30 maii. Vacavit sedes diebus 5.

28. S. Eutychianus, Tuscus, patria Lunensis, creatus anno 275, die 4 junii, sedit annis 8, mensibus 6, diebus 4; obiit martyr sub Numeriano anno 283, die 8 decembris. Vacavit sedes diebus 8.

29. S. Caius, Dalmata, patria Salonitanus, creatus anno 283, die 17 decembris, sedit annis 12, mensibus 4, diebus 6; miseriis oppressus, persecutionem Diocletiani ejus consanguinei fugiens, obiit anno 296, die 22 aprilis. Vacavit sedes mensibus 2, diebus 9.

30. S. Marcellinus, Romanus, creatus anno 296, die 1 julii, sedit annis 7, mensibus 9, diebus 27; sub Maximiano martyr obiit anno 304, die 26 apr. Vacavit sedes mens. 6, diebus 25.

SÆCULUM IV.

31. S. Marcellus I, Romanus, creatus anno 304, die 21 novemb., sedit annis 5, mens. 6, diebus 21. Hic damnatus ad stabula Diocletiani, miseriis oppressus, obiit anno 310, die 16 januar. Vacavit sedes diebus 20.

32. S. Eusebius, Græcus, creatus anno 310, die 5 februar., sedit anno 1, mens. 7, diebus 21; obiit sub Maxentio, anno 312, die 26 septemb. Vacavit sedes diebus 15.

33. S. Melchiades, Afer, creatus anno 312, die 12 octob., sedit annis 2, mens. 2, diebus 21; obiit anno 314, die 10 decemb. Vacavit sedes diebus 16.

34. S. Sylvester, Romanus, creatus anno 314, die 27 decemb., sedit annis 21, diebus 4; obiit anno 335, die 31 decemb. Hic Constantinum Magnum baptizavit.

35. S. Marcus, Romanus, creatus anno 336, die 16 januar., sedit mens. 8, diebus 21; obiit eodem anno, die 7 octob. Vacavit sedes diebus 20.

36. S. Julius I, Romanus, creatus anno 336, die 27 octob., sedit annis 15, mens. 5, diebus 17; obiit anno 352, die 12 april. Vacavit sedes diebus 25.

37. S. Liberius, Romanus, creatus anno 352, die 8 maii. Post aliquot Pontificatus annos, in exilium missus est a Constantio Imperatore. Unde :

SCHISMA II,

In Ecclesia Romana inter Liberium Papam, et Felicem Antipapam.

Felix, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Constantii opera Sedem Apostolicam, vivente Liberio, occupavit; sed Antipapa semper habitus est a Romanis, donec, cognita Liberii Arianis communicatione, ac ejus subscriptione tum condemnationi D. Athanasii, tum formulæ ambiguæ, in Pontificem elegerunt eumdem Felicem; ideo:

38. FELIX II, Romanus, Pontificatum tenuit anno uno, mens. 3, diebus 2. Deinde a Constantio, propter excommunicationem in eum latam, martyrio coronatus est. Post ejus martyrium, *Liberius* iterum cathedram S. Petri ascendit, in qua simul cum Felice sedit annis 15, mensib. 4, diebus 17; obiit anno 367, die 9 septemb. Sedes vacavit diebus quinque.

39. S. DAMASUS, Hispanus, creatus anno 367, die 15 septemb., sedit annis 17, mensib. 2, diebus 26; obiit anno 384, die 11 decemb. Vacavit sedes diebus 31.

SCHISMA III,

Inter Damasum Papam et Ursicinum Antipapam.

Ursicinus, S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ægre ferens Damasi electionem, collecta seditiosorum hominum manu Romanum Pontificem se fieri extorquet, et tandem, cædibus utrinque perpretatis, Ursicinus ab urbe ejicitur, Romæ Damaso pacifico Pontifice remanente.

40. SIRICIUS, Romanus, creatus anno 385, die 12 januarii, sedit annis 13, mense 1, diebus 9; obiit anno 398, die 22 februarii. Vacavit sedes diebus 20.

41. S. ANASTASIUS I, Romanus, creatus anno 398, die 14 martii, sedit annis 4, mense 1, diebus 13; obiit anno 402, die 17 aprilis. Vacavit sedes diebus 20.

SÆCULUM V.

42. S. Innocentius I, Albanus, creatus anno 402, die 8 maii, sedit annis 15, mens. 2, diebus 10; obiit anno 417, die 27 julii. Vacavit sedes diebus 22.

43. S. Zosimus, Græcus, creatus anno 417, die 20 augusti, sedit anno uno, mens. 5, diebus 7; obiit anno 418, die 26 decemb. Vacavit sedes die 1.

44. S. Bonifacius I, Romanus, creatus anno 418, die 28 decemb., sedit annis 4, mens. 9, diebus 26; obiit anno 423, die 25 octob. Vacavit sedes diebus 10.

SCHISMA IV,

Inter Bonifacium Papam et Eulalium Antipapam.

Eulalius, S. Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, post electum Bonifacium, in basilica Lateranensi eligitur. Synodus autem Ravennæ, jussu Honorii Imperatoris coacta, Eulalium deposuit, qui, ita coactus, post mens. 3, dies 15, abdicavit, die 15 april., et Bonifacius Pontifex remansit.

45. S. Cœlestinus I, Romanus, creatus anno 423, die 5 novemb., sedit annis 8, mens. 5, diebus 3; obiit anno 432, die 6 april. Vacavit sedes diebus 21.

46. S. Sixtus III, Romanus, creatus anno 432, die 28 april., sedit annis 7, mens. 11; obiit anno 440, die 28 martii. Vacavit sedes mense 1, diebus 14.

47. S. Leo Magnus, Tuscus, creatus anno 440, die 12 maii, sedit annis 20, mens. 10, diebus 28; obiit anno 461, die 16 april. Vacavit sedes diebus 17.

48. S. Hilarius, Sardus, creatus anno 461, die 29 april., sedit annis 4, mens. 4, diebus 10; obiit anno 467, die 10 septemb. Vacavit sedes diebus 9.

49. S. Simplicius, Tiburtinus, creatus anno 467, die 20 septemb., sedit annis 15, mens. 5, diebus 12; obiit anno 483, die 2 martii. Vacavit sedes diebus 5.

50. S. Felix III, Romanus, creatus anno 483, die 8 mar

tii, sedit annis 8, mens. 11, diebus 18; obiit anno 492, die 25 februar. Vacavit sedes diebus 4.

51. S. Gelasius I, Africanus, creatus anno 492, die 2 martii, sedit annis 4, mens. 8, diebus 19; obiit anno 496, die 21 novemb. Vacavit sedes diebus 5.

52. S. Anastasius II, Romanus, creatus anno 496, die 27 novemb., sedit anno uno, mens. 11, diebus 23; obiit anno 498, die 19 novemb. Vacavit sedes diebus 3.

53. S. Symmachus, Sardus, creatus anno 498, die 23 novemb., sedit annis 15, mens. 7, diebus 27; obiit anno 514, die 9 julii. Vacavit sedes diebus 6.

SCHISMA V,

Inter Symmachum et Cœlium Laurentium Spurium, qui in Concilio Romano fuit damnatus.

SÆCULUM VI.

54. S. Hormisdas, Campanus, creatus anno 514, die 26 julii, sedit annis 9, diebus 10; obiit anno 523, die 6 augusti. Vacavit sedes diebus 5.

55. S. Joannes I, Tuscus, creatus anno 523, die 12 august., sedit annis 2, mens. 9, diebus 16; obiit anno 526, die 27 maii. Vacavit sedes mense 1, diebus 28.

56. S. Felix IV, Beneventanus, creatus anno 526, die 25 julii, sedit annis 4, mens. 2, diebus 18; obiit anno 530, die 12 octob. Vacavit sedes diebus 3.

57. Bonifacius II, Romanus, creatus anno 530, die 16 octob. sedit anno uno; obiit anno 531, die 16 octob. Vacavit sedes mens. 3, diebus 4.

SCHISMA VI,

Inter Bonifacium II Papam et Dioscorum Diaconum, quem Bonifacius excommunicavit.

58. Joannes II, Romanus, creatus anno 531, die 22 Ja-

nuev., sedit annis 2, mensibus 4; obiit anno 534, die 22 maii. Vacavit sedes diebus 12.

59. S. Agapetus, Romanus, creatus anno 534, die 4 junii, sedit mens. 11, diebus 19; obiit Constantinopoli, anno 536, die 22 april. : illius translationis solemnitas celebratur die 20 septemb. Vacavit sedes mens. 2, diebus 27.

60. S. Sylverius, Campanus, S. Hormisdæ ex legitimo thoro filius, creatus anno 536, die 20 julii, sedit annis 3, mens. 11; obiit martyr in insula Pontia anno 540, die 20 junii. Vacavit sedes diebus 5.

SCHISMA VII.

Inter Sylverium Papam et Vigilium Antipapam.

Cum *Sylverius* Antimum Episcopum Constantinopolitanum, ab Agapeto depositum, restituere noluisset, a Belisario, jussu Theodoræ imperatricis, Justiniani sponsæ; fuit in exilium missus : interim *Vigilius*, S. R. E. Archidiaconus, qui Theodoræ promiserat se Antimum sedi Constantinopolitanæ redditurum, si Pontifex instituteretur, in locum Sylverii, opera Theodoræ, fuit intrusus anno 538, et schisma fecit usque ad Sylverii mortem, quæ contigit anno 540, die 20 junii.

61. Vigilius, Romanus, post mortem Sylverii, legitima electione confirmatus anno 540, die 26 junii, Antimum restituere detrectavit, imo illum cum Theodora excommunicavit, et ideo exul factus est. Sedit annis 18, mens. 6, diebus 13; obiit anno 556, die 10 januarii. Vacavit sedes mensibus 2, diebus 5.

62. Pelagius I, Romanus, creatus anno 556, die 15 april. sedit annis 3, mens. 10, diebus 18; obiit anno 560, die 2 martii. Vacavit sedes mens. 2, diebus 27.

63. Joannes III, Romanus, creatus anno 560, die 29 maii, consecratus die 17 julii. sedit annis 13, mense uno diebus 15; obiit anno 573, die 13 julii. Vacavit sedes mensibus 10, diebus 3.

64. Benedictus I, Romanus, Benedictinus, creatus anno 574, die 17 martii, sedit annis 5, mens. 2, diebus 15: obiit anno 579, die 31 august. Vacavit sedes mens. 2, diebus 10.

65. Pelagius II, Romanus, Benedictinus, creatus anno 579, die 11 novemb., sedit annis 10, mens. 2, diebus 27; obiit anno 590, die 8 februar. Vacavit sedes mens. 6, diebus 22.

66. S. Gregorius Magnus, Romanus, Benedictinus, ex antiquissima Aniciorum familia, creatus anno 590, die 3 septemb., sedit annis 13, mens. 6, diebus 9; obiit anno 604, die 22 martii. Vacavit sedes mens. 5, diebus 19.

SÆCULUM VII.

67. Sabinianus, Tuscus, creatus anno 604, die 1 septemb., sedit mens. 5, diebus 19; obiit anno 605, die 19 februar. Vacavit sedes die uno.

68. Bonifacius III, Romanus, Benedictinus, creatus anno 605, die 22 februar., sedit mensibus 8, diebus 22; obiit die 12 novemb. Vacavit sedes mens. 9, diebus 15.

69. Bonifacius IV, Romanus, Benedictinus, creatus anno 606, die 28 august., sedit annis 6, mens. 8, diebus 12; obiit anno 612, die 8 maii. Vacavit sedes mens. 5, diebus 12.

70. S. Deodatus, Romanus, Benedictinus, creatus anno 612, die 21 octob., sedit annis 4, diebus 17; obiit anno 616, die 8 novemb. Vacavit sedes mense 1, diebus 15.

71. Bonifacius V, Neapolitanus, creatus anno 616, die 24 decemb., sedit annis 5, mens. 10; obiit anno 622, die 24 octob. Vacavit sedes diebus 13.

72. Honorius I, Campanus, creatus anno 622, die 7 novemb., sedit annis 12, mens. 11, diebus 7; obiit anno 635. die 13 octob. Vacavit sedes anno 1, mens. 7, diebus 18.

73. Severinus. Romanus, creatus anno 637, die 1 junii,

sedit anno 1, mens. 2, diebus 13; obiit anno 638, die 1 august. Vacavit sedes mens. 4, diebus 22.

74. JOANNES IV, Dalmata, creatus anno 638, die 25 decemb., sedit anno 1, mens. 9, diebus 18; obiit anno 640, die 12 octob. Vacavit sedes mense 1, diebus 5.

75. THEODORUS I, Jerosolymitanus, Græcus, creatus anno 640, die 26 novemb., sedit annis 6, mens. 5, diebus 19; obiit anno 647, die 13 maii. Vacavit sedes mense 1, diebus 21.

76. MARTINUS I, Tuscus, creatus anno 647, die 4 julii, sedit annis 6, mens. 4, diebus 7; obiit anno 653, die 12 novemb. Vacavit sedes mens. 9.

77. S. EUGENIUS I, Romanus, creatus anno 654, die 10 august., sedit annis 2, mens. 9, diebus 24; obiit anno 657, die 2 junii. Vacavit sedes mense 1, diebus 29.

78. VITALIANUS I, Campanus, creatus anno 657, die 1 august., sedit annis 14, mens. 5, diebus 2; obiit anno 672, die 2 januar. Vacavit sedes mens. 3, diebus 8.

79. DEODATUS II, Romanus, Benedictinus, creatus anno 672, die 11 april., sedit annis 4, mens. 2, diebus 14; obiit anno 676, die 26 junii. Vacavit sedes mens. 4, diebus 6.

80. DONUS, Romanus, creatus anno 676, die 2 novembris, sedit annis 2, mensibus 5, diebus 8; obiit anno 679, die 11 aprilis. Vacavit sedes mense 1, diebus 26.

81. S. AGATHO, Siculus, Monachus ordinis Sancti Equirii, creatus anno 679, die 7 junii, sedit annis 2, mensibus 2; obiit anno 682, die 10 januar. Vacavit sedes mensibus 7.

82. S. LEO II, Siculus, Canonicus Regularis, creatus anno 682, die 11 augusti, sedit mensibus 10, diebus 16; obiit anno 683, die 18 junii. Vacavit sedes mensibus 11, diebus 21.

83. S. BENEDICTUS II, Romanus, Canonicus Regularis Lateranensis, creatus anno 684, die 19 junii, sedit mensibus 10, diebus 27; obiit anno 685, die 7 maii. Vacavit sedes mensibus 2, diebus 17.

84. JOANNES V, Syrus, Antiochenus, creatus anno 685, die 25 junii, sedit anno uno, diebus 7; obiit anno 686, die 2 augusti. Vacavit sedes mensibus 2, diebus 18.

85. CONON, Trax, creatus anno 686, die 21 octobris, sedit mensibus 11; obiit anno 687, die 21 septembris. Vacavit sedes mensibus 2, diebus 3.

SCHISMA VIII,

Inter Cononem Papam et Theodorum ac Petrum, Presbyteros Romanos.

Illud Schisma per mortem Cononis non fuit extinctum : nam numerus electorum in tres partes fuit divisus : ab una parte fuit electus idem *Theodorus* Presbyter; ab altera *Paschalis* Archidiaconus; et a tertia, eaque saniori parte *Sergius*, qui tandem unanimiter legitimus Pontifex fuit proclamatus.

86. SERGIUS I, Syrus, Antiochenus, creatus anno 687, die 25 decembris, sedit annis 13, mens. 8, diebus 13; obiit anno 701, die 8 septemb. Vacavit sedes mense 1, diebus 20.

SÆCULUM VIII.

87. JOANNES VI, Græcus, creatus anno 701, die 28 octob., sedit annis 3, mens. 2, diebus 8; obiit anno 705, die 7 januar. Vacavit sedes mense uno, diebus 21.

88. JOANNES VII, Græcus, creatus anno 705, die 1 martii, sedit annis 2, mens. 7, diebus 17; obiit anno 707, die 18 octob. Non vacavit sedes.

89. SISINUS, Syrus, creatus anno 707, die 18 octob., sedit diebus 20, obiit die 6 novemb. Vacavit sedes mense 1, diebus 16.

90. CONSTANTINUS, Syrus, creatus anno 707, die 23 decemb., sedit annis 8, mense 1, diebus 18; obiit anno 716, die 11 febr. Vacavit sedes mense 1, diebus 10.

91. GREGORIUS II, Romanus, Benedictinus, creatus anno

716, die 21 martii, sedit annis 15. mens. 10, diebus 20; obiit anno 731, die 12 febr. Vacavit sedes diebus 21.

92. Gregorius III, Syrus, creatus anno 731, die 18 martii, sedit annis 10, mens. 8, diebus 22; obiit anno 741, die 28 novemb. Vacavit sedes diebus 2.

93. Zacharia, Græcus, Canonicus Regularis, deinde Benedictinus, creatus anno 741, die 1 decemb., sedit annis 10, mens. 3, diebus 13; obiit anno 752, die 15 martii. Vacavit sedes diebus 9.

94. Stephanus II, Romanus, creatus anno 752, die 25 martii, sedit diebus 4; obiit die 28, martii, quare a pluribus non adnumeratur. Non vacavit sedes.

95. Stephanus III, dictus II, Romanus, Canonicus Regularis, creatus anno 752, die 29 martii, sedit annis 5, diebus 28; obiit anno 757, die 26 april. Vacavit sedes mense 1, diebus 2.

96. S. Paulus I, Romanus, Stephani III frater germanus, creatus anno 757, die 29 martii, sedit annis 10, mense 1; obiit anno 767, die 29 junii. Vacavit sedes anno 1, mense 1, diebus 6.

SCHISMA IX,

Inter Paulum I et Theophylactum Antipapam, qui paulo post legitimo Pontifici se submisit.

Post mortem Pauli I, *Constantinus* adhuc laicus, vi et armis supremum arripuit Pontificatum, quem cum administrasset 13 mensibus, Clerus Romanus ad legitimam electionem processit, in qua pars electorum, quæ *Desiderio* Regi Longobardorum adhærebat, elegit *Philippum* Abbatem Longobardorum, qui statim fuit ejectus ab alia majori, eaque saniori parte Cleri, quæ canonice elegit Stephanum IV.

97. Stephanus IV, dictus III, Siculus, Canonicus Regularis, postea Benedictinus, creatus anno 768, die 5 aug., sedit annis 3, mens. 5, diebus 25; obiit anno 772, die 24 jan. Vacavit sedes diebus 8.

98. Adrianus I, Romanus, creatus anno 772, die 9 februar., sedit annis 23, mens. 10, diebus 17; obiit anno 795, die 26 decemb. Non vacavit sedes.

99. Leo III, Romanus, ex Canonico Regulari factus Benedictinus, creatus anno 795, die 27 decemb., sedit annis 20, mens. 5, diebus 15; obiit anno 816, die 12 junii. Vacavit sedes diebus 20.

SÆCULUM IX.

100. Stephanus V, dictus IV, Romanus, creatus anno 816, die 3 julii, sedit mens. 6, diebus 22; obiit anno 817, die 25 januar. Vacavit sedes diebus 2.

101. S. Paschalis I, Romanus, Benedictinus, creatus anno 817, die 28 januar., sedit annis 7, mens. 3, diebus 17; obiit anno 824, die 14 maii. Vacavit sedes diebus 4.

102. Eugenius II, Romanus, creatus anno 824, die 19 maii, sedit annis 3, mens. 6, diebus 22; obiit anno 827, die 12 decemb. Vacavit sedes die uno.

SCHISMA X,

Inter Eugenium II et Zinzinnum Antipapam.

103. Valentinus, Romanus, creatus anno 827, die 14 decemb., sedit diebus 40; obiit anno 828, die 23 Januar. Vacavit sedes diebus 2.

104. Gregorius IV, Romanus, Benedictinus, creatus anno 828, die 26 januar., sedit annis 16; obiit anno 844, die 25 januar. Vacavit sedes diebus 15.

Tempore quo Clerus convenerat ad novi Pontificis creationem, *Joannes* Diaconus vi occupavit Palatium Lateranense, a quo intra horæ spatium fuit expulsus, et *Sergius* electus. De quo :

105. Sergius II, Romanus, creatus anno 844, die 10 febr. sedit annis 3, mens. 2, diebus 2; obiit anno 848, die 12 april. Non vacavit sedes.

106. S. Leo IV, Romanus, ex Canonico Regulari factus

Benedictinus, creatus anno 848, die 12 april., sedit annis 7, mens. 3, diebus 14; obiit anno 855, die 17 julii. Vacavit sedes diebus 6.

107. Benedictus III, Canonicus Regularis, Romanus, creatus in schismate anni 855, die 24 julii; consecratus die 29 septemb., sedit ab electione annis 2, mens. 8, diebus 16, a consecratione annis 2, mens. 6, diebus 10; obiit anno 858, die 8 april. Vacavit sedes diebus 15.

SCHISMA XI,

Fecit Anastasius Presbyter, qui, auxilio Ludovici II Imperatoris, Benedictum spoliavit Pontificatu, qui postea ei restitutus est.

108. Nicolaus I, cognomento *Magnus*, Romanus, creatus anno 858, die 24 april., sedit annis 9, mens. 6, diebus 20; obiit anno 867, die 13 novemb. Vacavit sedes diebus 7.

109. Adrianus II, Romanus, creatus anno 867, die 21 novemb., sedit annis 4, mens. 11, die 1; obiit anno 872, die 1 novemb. Vacavit sedes mens. 1, diebus 12.

110. Joannes VIII, Romanus, creatus anno 872, die 14 decemb., sedit annis 9, mens. 11, die 1; obiit anno 882, die 15 decemb. Vacavit sedes diebus 4.

Nota. Hic Pontifex fuit occasio fabulæ, quæ ab hæreticis de Papissa Joanna circumfertur, cum enim pusillanimitate feminea invasionem sedis Constantinopolitanæ a Photio eunucho factam tolerasset, irrisorie apud vulgus dictum est sedem Romanam non a viro, sed a femina occupatam esse; hanc fabulam cum omnibus mendaciis, quibus illam in sedis Apostolicæ opprobrium ornant hæretici, referre ac refellere omnino puduit.

111. Marinus I, ex Monte Fiascone, creatus anno 882, die 19 decemb., sedit anno 1, mens. 1; obiit anno 884, die 18 januar. Vacavit sedes diebus 2.

112. Adrianus III, Romanus, creatus anno 884, die 21

januar., sedit anno 1, mens. 3, diebus 19; obiit anno 885, die 9 maii. Vacavit sedes diebus 3.

113. Stephanus VI, Romanus, creatus anno 885, die 13 maii, sedit annis 6, diebus 7; obiit anno 891, die 21 maii. Vacavit sedes diebus 5.

114. Formosus, Portuensis, Canonicus Regularis, creatus anno 891, die 27 maii, sedit annis 4, mens. 6, diebus 16; obiit anno 895, die 14 decemb. Vacavit sedes diebus 2.

SCHISMA XII,

Fecit Sergius Diaconus contra Formosum.

115. Bonifacius VI, Romanus, ex Tuscia oriundus, creatus eodem mense, die 17, sedit dieb. 15 *tantum;* obiit enim die 31 decemb., et ideo a multis non adnumeratur. Vacavit sedes diebus 5.

116. Stephanus VII, Romanus, creatus anno 896, die 6 januar., sedit anno 1, mens. 2, diebus 17; obiit anno 897, die 24 martii. Vacavit sedes diebus 3.

SCHISMA XIII,

Fecit Bonifacius Antipapa, VI dictus, qui postquam sedisset diebus 15, a Stephano VII fuit expulsus.

117. Romanus, Marini Papæ nepos, ex urbe quæ hodie Monte Fiascone appellatur, creatus anno 897, die 28 mart. sedit mens. 4, diebus 21; obiit anno 897, die 19 augusti. Non vacavit sedes.

118. Theodorus II, Romanus, creatus anno 897, die 20 augusti, sedit diebus 20; obiit die 8 sept. Non vacavit sedes.

119. Joannes IX, Tiburtinus, Benedictinus, creatus anno 897, die 9 septemb., sedit annis 2, diebus 13; obiit anno 899, die 23 septemb. Non vacavit sedes.

120. Benedictus IV, Romanus, Canonicus Regularis Lateranensis, creatus anno 899, die 24 septemb., sedit annis 3, mens. 6, diebus 14; obiit anno 903, die 8 april. Vacavit sedes diebus 6.

SÆCULUM X.

121. Leo V, e villa Priapi, agri Ardeatini, in Latio, Benedictinus, creatus anno 903, die 15 apr., sedit mense uno, diebus 9; coactus abdicavit die 24 maii, et vitam regularem repetiit, et non multo post interiit. Non vacavit sedes.

122. Christophorus, Romanus, comprehenso Leone V, Pontificem se fecit, eodem anno, die 24 maii, sedit mens. 7, nam die 25 decemb. ejusdem anni, *a Sergio*, authoritate *Marociæ*, conjugis Ducis Tusciæ, fuit ejectus. Non vacavit sedes.

123. Sergius III, Romanus ex Comitibus Tusculanis, creatus anno 903, die 25 decemb., sedit annis 7, mens. 3, diebus 15; obiit anno 911, die 14 april. Non vacavit sedes.

SCHISMA XIV,

Inter Leonem V, Christophorum et Sergium III, anno 903.

124. Anastasius III, Romanus, creatus anno 911, die 15 april., sedit annis 2, mense 1, diebus 19; obiit anno 913, die 4 junii. Vacavit sedes diebus 2.

125. Landus, Sabinus, Canon. Regul. Lateranensis, creatus anno 913, die 7 junii, sedit mens. 6, diebus 20; obiit anno 913, die 18 decemb. Vacavit sedes diebus 26.

126. Joannes X, Romanus, de familia Cinnia, creatus anno 914, die 24 januar., sedit annis 14, mens. 2, diebus 12; obiit anno 928, die 6 april. Vacavit sedes diebus 4.

127. Leo VI, Romanus, creatus anno 928, die 11 april., sedit mens. 6, diebus 11; obiit anno 928, die 23 octob. Non vacavit sedes.

128. Stephanus VIII, Romanus, creatus anno 928, die 24 octob., sedit annis 2, mense 1, diebus 13; obiit anno 930, die 8 decemb. Vacavit sedes diebus 2.

129. Joannes XI, Romanus,ex Comitibus Tusculanis, qui postea dicti sunt *de Comitibus*, creatus anno 930, die 11 decemb., sedit annis 4, mens. 10, diebus 13; obiit anno 935, die 25 octob. Vacavit sedes die 1.

130. Leo VII, Romanus, creatus anno 935, die 27 octob., sedit annis 3, mens. 6, diebus 9; obiit anno 939, die 6 maii. Vacavit sedes mense 1.

131. Stephanus IX, Romanus, creatus anno 939, die 7 junii, sedit annis 3, mens. 4, diebus 13; obiit anno 942, die 21 octob. Vacavit sedes diebus 10.

132. Marinus II, Romanus, creatus anno 942, die 1 novemb., sedit annis 3, mens. 6, diebus 12; obiit anno 946, die 14 maii. Vacavit sedes diebus 3.

133. Agapetus II, Romanus, creatus anno 946, die 18 maii, sedit annis 9, mens. 7, diebus 8; obiit anno 955, die 27 decemb. Vacavit sedes diebus 12.

134. Joannes XII, Romanus, ex familia de Comitibus, creatus anno 956, die 9 januar., sedit annis 8, mens. 4, diebus 5; obiit anno 964, die 14 maii. Non vacavit sedes.

135. Benedictus V, Romanus, defuncto Joanne XII, statim in ejus loco a Populo et Clero Romano eligitur; sedit mense uno, diebus aliquot. Per vim remotus, et ad *Hambourg* relegatus, ibidem moritur die 3 julii, anno 965.

SCHISMA XV,

Fecit Leo, Antipapa, dictus VIII, qui authoritate Othonis I Imperatoris, fuit intrusus contra Joannem XII et Benedictum V, contra quos sedit anno uno, mens. 3, diebus 11.

136. Joannes XIII, Rom., creatus anno 965, die 6 octob.; sedit an. 6, mens. 11; obiit anno 972, die 6 septemb. Vacavit sedes diebus 13.

137. Donus II, Rom., creatus anno 972, die 20 septemb., sedit mens. 3; obiit eodem anno, die 19 decemb. Non vacavit sedes.

138. Benedictus VI, Romanus, creatus anno 972, die 20 decemb., sedit anno 1, mens. 3, coactus abdicavit anno 974, die 19 martii, et non multo post in Adriani mole strangulatus fuit. Vacavit sedes diebus 10.

139. Bonifacius VII, *Franco* antea dictus, creatus anno

974, die 30 martii, sedit anno 1, mense 1, diebus 11. Coactus abdicavit, ex urbe pulsus, anno 975, die 11 maii; Deinde, Benedicto VI mortuo, reversus, Pontificatum iterum vi tenuit, mens. 4, diebus 8, postea fuit a Benedicto VII expulsus, et excommunicatus in Concil. Rom. Obiit anno 985, die 21 julii, anno fere uno post Benedictum VII.

140. BENEDICTUS VII, Romanus ex Comitibus Tusculan, creatus anno 975, die 29 Maii, sedit annis 9, mense 1, diebus 10; obiit anno 984, die 10 julii. Vacavit sedes diebus 5.

141. JOANNES XIV, Papiensis, creatus anno 984, die 16 julii, sedit mens. 8. Pontificatu spoliatus a Bonifacio VII in Urbem reverso, obiit anno 985, die 16 martii. Vacavit sedes mens. 4, diebus 15... Hic canonizavit Udalricum Episcopum Augustanum.

SCHISMA XVI,

Inter Bonifacium VII, Benedictum VII et Joannem XIV.

142. JOANNES XV, Romanus, creatus anno 985, die 1 augusti, sedit annis 9, mens. 6, diebus 9; obiit anno 995, die 9 febr. Vacavit sedes die 1.

143. JOANNES XVI, creatus anno 995, die 11 febr., sedit mens. 4; obiit anno 995, die 9 junii. Vacavit sedes diebus 6.

144. GREGORIUS V, Saxo, Germanus, Othonis Saxoniæ et Sueviæ Ducis filius, creatus anno 995, die 16 junii; sedit annis 2, mens. 8, diebus 8; obiit anno 998, die 18 febr. Vacavit sedes mens. 8, diebus 10.

SCHISMA XVII,

Inter Gregorium V et Joannem Episcopum Placentinum, qui, ope Crescentii Romæ Præfecti, Pontificatum usurpavit, assumpto nomine Joannis XVII; quem Gregorius V excommunicavit in Concilio Papiæ habito, et cui, jussu Imperatoris, nares et aures abcissæ fuerunt atque oculi eruti.

145. SYLVESTER II, Aquitanus, Gallus, Benedictinus, crea-

tus anno 998, die 1 novemb., sedit annis4, mens. 6, diebus 12; obiit anno 1003. Vacavit sedes diebus 25.

SÆCULUM XI.

146. JOANNES XVII, Romanus, creatus anno 1003, die 7 junii, sedit mens. 4, diebus 24; obiit anno 1003, die 31 octob. Vacavit sedes diebus 19.

147. JOANNES XVIII, Romanus, creatus anno 1003, die 20 novemb., sedit annis 5, mens. 7, diebus 17; obiit anno 1009 die 18 julii. Vacavit sedes mense 1.

148. SERGIUS IV, Romanus, Benedictinus, creatus anno 1009, die 18 augusti, sedit annis 2, mens. 9, diebus 10; obiit anno 1012, die 28 maii. Vacavit sedes diebus 2.

149. BENEDICTUS VIII, Romanus ex Comitibus Tuscul., creatus anno 1012, die 30 maii; sedit annis 11, mens. 8, diebus 27; obiit anno 1024, die 27 februar. Non vacavit sedes.

SCHISMA XVIII,

Fecit Gregorius, *a Romanis intrusus, a S. Henrico Imperatore expulsus.*

150. JOANNES XIX, Romanus, Benedicti VIII frater germanus, creatus anno 1024, die 28 februar. sedit annis 8, mens. 9, diebus 7; obiit anno 1032, die 8 novemb. Vacavit sedes diebus 2.

151. BENEDICTUS IX, Romanus, ex Comitibus Tusculanis, creatus anno 1032, die 11 novemb. sedit annis 12, mens. 5, diebus 19; abdicavit anno 1045, die 1 maii. Non vacavit sedes.

SCHISMA XIX,

Fecit Joannes. Laurentii filius, Romanus Sylvester III dictus Interim., cum Benedict. IX esset Romanis invisus, alicui Joanni. qui dictus est Joannes XX, postea Benedictus, Sylvestro expulso. iterum sedit mense uno. diebus 21. Erant ergo tres Pontifices,

quorum primus sedebat apud Lateranum ; secundus, apud S. Petrum in Vaticano, tertius, apud S. Mariam Majorem, quo calamitatis tempore electus fuit Gregorius VI.

152. Gregorius VI, Romanus, creatus anno 1045, die 1 maii, sedit anno uno, mens. 7, diebus 20; in Concilio Sutrii, pro tollendo schismate, coactus abdicavit anno 1046, die 20 decemb. Non vacavit sedes.

153. Clemens II, Germanus, Saxo, creatus anno 1046, die 21 decemb., sedit mens. 9, diebus 24; obiit anno 1047, die 15 octob.

Post mortem Clementis II, *Benedictus IX*, iterum sedem Pontificiam occupavit mens. 9.

154. Damasus II, Bavarus, creatus anno 1048, die 7 julii, sedit diebus 23; obiit die 8 augusti. Vacavit sedes mens. 6, diebus 3.

Post mortem Damasi, Benedictus IX, quarta vice sedem occupavit ac tenuit mens. 5.

155. S. Leo IX, Bruno antea vocatus, Comes d'Aspurg, Hugonis filius, Episcopus Tullensis in Lotharingia, et S. Deodati præpositus, creatus anno 1049, die 12 februar. sedit annis 5, mens. 2, diebus 6; obiit anno 1054, die 17 maii. Vacavit sedes mens. 10, diebus 26.

Nota. In hac serie non numeratur Leo VIII, quia fuit Antipapa.

156. Victor II, Germanus, ex Comitibus Calbensibus in Suevia, creatus anno 1055, die 13 april., sedit annis 2, mens. 3, diebus 16; obiit anno 1057, die 28 julii. Vacavit sedes diebus 4.

157. Stephanus X, Lotharingus, Fridericus antea vocatus *Gozzelonis* Ducis filius, et *Gothifridi IV* Ducis frater, Abbas Cassinensis, creatus anno 1057, die 2 augusti, sedit mens. 7, diebus 28; obiit anno 1058, die 29 martii. Vacavit sedes mens. 9, diebus 4.

158. Nicolaus II, Gerardus Allobrox, cognomento Burgundio, Episcopus Florentinus, creatus anno 1059, die 3

januar., sedit annis 2, mens. 6; obiit anno 1061, die 3 ju lii. Vacavit sedes, propter subsecutum schisma, mens. 7 diebus 27.

SCHISMA XX,

Fecit *Mincius*, ex Comitibus Tusculanis, Antipapa, Bene dictus X appellatus, qui a Nicolao II fuit excommunicatu et expulsus, in Concil. Sutrii habito.

159. Alexander II, Mediolanensis, Canonicus Reg., crea tus anno 1061, die 30 septemb., sedit annis 11, mens. 6 diebus 22; obiit anno 1073, die 22 april. Non vacavit se des... Hic approbavit Congregationem Monachorum Ca maldulensium Ordinis S. Benedicti.

SCHISMA XXI.

Fecit *Cadolaus Pallavicinus*, dictus *Honorius II*, qui a Alexandr. II fuit damnatus in Concilio Mantuano.

160. S. Gregorius VII, Hildebrandus antea vocatus, na tione Tuscus, patria Soanensis, Monachus Cluniacensis creatus anno 1073, die 22 april., sedit annis 12, mense 1 diebus 2; obiit anno 1085, die 25 maii. Vacavit sede anno 1.

SCHISMA XXII.

Fecit *Gilbertus* de Corrigia, Parmensis, Archiepiscopu Ravennatensis, *Clemens III* dictus, in Conciliabulo Brescia contra Gregorium VII, electus ab Episcopis Henrico IV adhærentibus. Sedit contra Gregorium VII, Victorem III Urbanum II, et Paschalem II annis 21, diebus aliquot Obiit Romæ, in Arce S. Angeli, anno 1001, mens. septemb

161. Victor III, Beneventanus, Abbas Cassinensis, creatu anno 1086, die 24 maii, sedit anno 1, mens. 3, diebus 3 obiit anno 1087, die 16 septemb. Vacavit sedes menss. 5 diebus 26.

162. Urbanus II, Gallus, Monachus Cluniacensis, creatu

anno 1088, die 12 martii, sedit annis 11, mens. 4, diebus 17; obiit anno 1099, die 29 junii. Vacavit sedes diebus 14. Approbavit Congregationem Monachorum Vallis Umbrosæ, Ordinis S. Benedicti.

163. Paschalis II, Tuscus, Monachus Cluniacensis, creatus anno 1099, die 13 augusti, sedit annis 19, mens. 5, diebus 8; obiit anno 1119, die 21 januar. Vacavit sedes diebus 3... Suscepit sub Sedis Apostolicæ protectione Monasterium Cisterciense, unde emanavit Ordo Cisterciensis.

SCHISMA XXIII,

Fecit contra Paschalem II *Aginulphus*, qui fuit electus in locum Clementis III, Antipapæ, ac *Sylvester III* nuncupatus.

SÆCULUM XII.

164. Gelasius II, Neapolitanus, Benedictinus, creatus anno 1119, die 25 januar.; sedit anno 1, diebus 3; obii anno 1120, die 29 januar. Vacavit sedes diebus 2.

SCHISMA XXIV,

Fecit contra Gelasium *Mauritius Burtin*, dictus *Gregorius VIII*, electus ab Episcopis, *Henrico V* filio Henrici IV adhærentibus.

165. Calixtus II, Burgundus, Monachus Cluniacensis, creatus anno 1120, die 1 februar., sedit annis 5, mens. 9, diebus 17; obiit anno 1125, die 19 decemb. Vacavit sedes die 1.

166. Honorius II, Bononiensis, *Lambertus de Fagnanis* antea dictus, creatus anno 1125, die 21 decemb., sedit annis 4, mense uno, diebus 25; obiit anno 1130, die 16 februar. Non vacavit sedes.

167. Innocentius II, Romanus, *Gregorius de Papareschis* creatus anno 1130, die 17 februar., sedit annis 13, mens. 7, diebus 8; obiit anno 1143, die 24 septemb.

SCHISMA XXV,

Fecit contra Innocentium Cardinalis *Petrus* Leonis filius *Anacletus II* dictus, creatus anno 1130; obiit anno 1138, et in ejus locum creatus est *Victor IV*, qui duobus postea mens. cum dimidio Innocentio II, se submittens finem schismati fecit.

168. Cœlestinus II, Tuscus, *Guido de Castello*, creatus anno 1143, die 24 septemb., sedit mens. 5, diebus 13; obiit anno 1144, die 9 martii. Non vacavit sedes.

169. Lucius II, Bononiensis Canonic. Regular. creatus anno 1144, die 9 martii, sedit mens. 11, diebus 16; obiit anno 1145, die 25 februar.

170. Eugenius III, Tuscus, ex oppido Montis Magni, Diœceses. Pisanæ, Monachus Cisterciensis, creatus anno 1145, die 27 martii, sedit annis 8, mens. 3, diebus 13; obiit anno 1153, die 9 julii. Non vacavit sedes... Canonizavit S. Henricum Imperatorem.

171. Anastasius IV, Rom., Canon. Regul., creatus anno 1153, die 10 julii, sedit anno 1, mens. 4, diebus 22; obiit anno 1154, die 2 decemb. Non vacavit sedes.

172. Adrianus IV, Anglus, creatus anno 1154, die 3 decemb., sedit annis 4, mens. 8, diebus 28; obiit anno 1159, die 1 septemb. Vacavit sedes diebus 2.

173. Alexander III, Tuscus, Senensis, Canonic. Regul., creatus anno 1159, die 5 septemb., sedit annis 21, mens. 11, diebus 23; obiit anno 1181, die 27 august. Vacavit sedes die 1... Canonizavit Eduardum Regem Angliæ, Bernardum Abbatem Claravallensem, et Thomam Cantuariensem Archiepiscopum. Approbavit Ordinem militarem S. Jacobi de Sparta in regno Hispaniæ, Ordinem Monachorum S. Basilii Magni et Ordinem Carthusianorum.

SCHISMA XXVI,

Contra Alexand. III fecit *Octavianus* Antipapa, Victor IV appellatus, cui mortuo successit *Paschalis III*, cui similiter

defuncto successit *Calixtus III*, qui se Alexandro III subjiciens, anno 1178, finem schismati imposuit.

174. Lucius III, Lucensis, creatus anno 1181, die 29 augusti; sedit annis 4, mens. 2, diebus 27; obiit anno 1185, die 25 novemb. Non vacavit sedes.

175. Urbanus III, Mediolanensis, creatus anno 1185, die 25 novemb., sedit anno uno, mens. 6, diebus 23; obiit anno 1187, die 19 octob. Non vacavit sedes... Approbavit Ordinem Cruciferorum.

176. Gregorius VIII, Beneventanus, Benedictin., creatus anno 1187, die 20 octob., sedit mens. 1, diebus 25; obiit anno 1187, die 15 decemb. Vacavit sedes diebus 20.

177. Clemens III, Romanus, creatus anno 1188, die 6 januar., sedit annis 3, mens. 3, diebus 20; obiit anno 1191, die 25 martii. Vacavit sedes diebus 3.

178. Cœlestinus III, Romanus, creatus anno 1191, die 29 martii, sedit annis 6, mensib. 9, dieb. 11; obiit anno 1198, die 8, januar. Non vacavit sedes. Canonizavit SS. Ubaldum Episcopum Eugubinum et Joannem Gualbertum, Institutorem Congregationis Vallis Umbrosæ.

179. Innocentius III, ex civitate Anagniæ, Canonicus Regul., creatus anno 1198, die 8 januar., sedit annis 18, mensib. 6, dieb. 9; obiit anno 1216, die 26 julii. Vacavit sedes die 1.... Canonizavit S. Homobonum Cremonensem. Confirmavit Ordinem SS. Trinitatis.

SÆCULUM XIII.

Nota. Hoc sæculum, Dei gratia, fuit ab omni schismate exemptum.

180. Honorius III, Romanus, creatus anno 1216, die 28 julii, sedit annis 10, mensib. 8; obiit anno 1227, die 8 martii. Vacavit sedes die 1. ... Regulam S. Francisci ab Innoc. III, approbatam confirmavit. Approbavit Ordinem S. Dominici sub Regula Div. August. ac Regulam Ordinis Carmelitarum. Canonizavit S. Laurentium Archiepiscop. Dublinensem.

181. Gregorius IX, ex civitate Anagniæ, *Ugolinus* antea dictus, creatus anno 1227, die 20 martii; sedit annis 14, mensib. 5, diebus 2; obiit anno 1241, die 22 august. Vacavit sedes mense uno. Canonizavit S. Franciscum de Assisio, S. Antonium de Padua, S. Dominicum, S. Elisabeth Hungariæ.

182. Cœlestinus IV, Mediolanensis, creatus anno 1241, die 23 septemb.; sedit dieb. 16, obiit die 8 octob. Vacavit sedes anno 1, mensib. 8, dieb. 5.

183. Innocentius IV, Genuensis, creatus anno 1243, die 24 Junii, sedit annis 11, mensib. 5, dieb. 14; obiit anno 1254, die 9 decemb. Vacavit sedes dieb. 12. Canonizavit S. Petrum Veronensem, martyrem, S. Stanislaum Episcopum Cracoviensem in Polonia. Approbavit Regulam sanctæ Claræ a B. Francisco traditam.

184. Alexander IV, ex civitate Anagniæ, creatus anno 1254, die 22 decemb, sedit annis 6, mensib. 5, diebus 2; obiit anno 1261, die 25 maii. Vacavit sedes mensib. 3, dieb 3.... Canonizavit S. Claram de Assisio.

185. Urbanus IV, Gallus, ex civitate Trecensi in Campania, Ordinis Cisterciensis, creatus anno 1261, die 29 Aug., sedit annis 3, mense uno, dieb. 2; obiit anno 1264, die 8 octob.. Vacavit sedes mensib. 2, dieb. 2. Instituit festum SS. Corporis Christi, mitigavit primam regulam S. Claræ, canonizavit S. Richardum Episcopum Cisterciensem in Anglia.

186. Clemens IV, Gallus, creatus anno 1265, die 5 febr., sedit annis 3, mensib. 9, dieb. 25; obiit anno 1268, die 29 novembris. Vacavit sedes annis 2, mensib. 9, dieb. 2...., Canonizavit S. Hedwigem Ducissam Poloniæ.

187 Gregorius X, Placentinus, creatus anno 1271, die 11 septemb., sedit annis 4, mensib. 4, dieb. 10; obiit anno 1276, die 11 januar. Vacavit sedes dieb. 8.

188. Innocentius V, Burgundus, Dominicanus, creatus anno 1276, die 20 januar., sedit mensib. 5, dieb. 2; obiit die 22 junii. Vacavit sedes dieb. 19.

189. Adrianus V, Genuensis, creatus anno 1276, die 42 julii, sedit dieb. 39; obiit die 21 august. Vacavit sedes dieb. 22.

190. Joannes XXI, Lusitanus, Ulyssiponensis, creatus anno 1276, die 13 septemb., sedit mensib. 8, dieb. 8; obiit anno 1277. die 20 maii. Vacavit sedes mensib. 6, dieb. 5.

191. Nicolaus III, Roman., Ursinus, creatus anno 1277, die 25 novemb. sedit annis 2, mensib. 8, dieb. 29; obiit anno 1280, die 22 august. Vacavit sedes mensib. 6.

192. Martinus IV, Gallus, creatus anno 1281, die 22 februar., sedit annis 4, mense uno, dieb. 8; obiit an. 1285, die 28 martii. Vacavit sedes dieb. 3.

193. Honorius IV, Romanus, creatus anno 1285, die 2 april., sedit annis 2, dieb. 2; obiit anno 1287, die 3 april. Vacavit sedes mensibus 10, dieb. 18.

194. Nicolaus IV, Asculanus, Franciscanus, creatus anno 1288, die 22 februar.; sedit annis 4, mense uno, diebus 14; obiit anno 1292, die 4 april. Vacavit sedes annis 2, mens. 3, dieb. 2.

195. Cœlestinus V, Italus, Eremita, Petrus de Morone antea dictus, creatus anno 1294, die 7 julii. Postquam sedisset mensib. 5, dieb. 5; abdicavit anno 1294, die 13 decemb.: suum Ordinem instituit, in quo obiit anno 1296, die 19 maii. Ipsi in pontificatu suffectus est Cardinalis Cajetanus, qui sequitur.

196. Bonifacius VIII, ex civitate Anagniæ, creatus anno 1294, die 24 decemb., sedit annis 8, mensib. 9, dieb. 18; obiit anno 1303, die 11 octob. Vacavit sedes dieb. 9. Canonizavit S. Ludovicum Regem Galliæ.

SÆCULUM XIV.

197. Benedictus XI, ex Tarvisio in Longobardia, Dominicanus, creatus anno 1303, die 21 octob., sedit mens. 8, dieb. 17; obiit anno 1304, die 7 julii. Vacavit sedes anno

uno. Confirmavit Ordinem Servorum B. Mariæ V. sub Regula D. Augustini.

198. Clemens V, Provinciæ Aquitaniæ, Gallus, creatus anno 1305, die 7 julii, sedit annis 9, mensib. 9, dieb. 14, obiit anno 1314, die 20 april. Vacavit sedes annis 2, mensibus 3, dieb. 16. Damnavit milites Templarios. Canonizavit S. Cœlestinum V. Sedem fixit Avenione.

199. Joannes XXII, Jacobus de Ossa antea dictus Gallus, creatus anno 1316, die 6 august., sedit annis 18, mens. 3, dieb. 28; obiit anno 1334, die 4 decemb. Vacavit sedes diebus 19.

Canonizavit S. Ludovicum Episcopum Tolosanum, S. Thomam Episcopum Herlodiensem in Anglia, S. Thomam de Aquino. Approbavit Congregationem Monachorum B. Mariæ Montis Oliveti, Ordinis Sancti Benedicti.

SCHISMA XXVII,

Fecit *Petrus de Corbario*, Franciscanus, dictus *Nicolaus V*, qui, authoritate Ludovici Bavari Imperatoris, Sedem Apostolicam invasit anno 1328, seditque contra Joannem XXII, annis 3, mensib. 3, dieb. 4. Tandem anno 1330, die 25 august., inserto ad collum laqueo, ad pedes veri Pontificis veniam deprecando abdicavit.

200. Benedictus XII, Gallus, ex provincia Tolosana, Ordinis Cisterciensis, creatus anno 1334, die 20 decemb., sedit annis 7, mensib. 4, dieb. 6; obiit anno 1342, die 25 april. Vacavit sedes diebus 11.

201. Clemens VI, Gallus Lemovicensis diœcesis, Benedict., creatus anno 1342, die 7 maii, sedit annis 10, mensib. 7; obiit anno 1352, die 6 decemb. Vacavit sedes dieb. 11. Canonizavit S. Ivonem Presbyterum.

202. Innocentius VI, Gallus, creatus anno 1352, die 18 decemb., sedit annis 9, mensib. 8, diebus 26; obiit anno 1362, die 4 septemb. Vacavit sedes mense 1, dieb. 24.

203. Urbanus V, Gallus, Abbas Massiliensis, creatus

anno 1362, die 28 octob., sedit annis 8, mense 1, dieb. 22; obiit anno 1370, die 19 decemb. Vacavit sedes dieb. 9.

204. Gregorius XI, Gallus, creatus anno 1370, die 29 decemb., sedit annis 7, mensib. 2, dieb. 29 (hic Pontifex, SS. Birgittæ et Catharinæ Senensis concilio, Romam rediit anno 1376, die 13 januar., post transmigrationem septuaginta annorum, quam Clemens V incœperat); obiit anno 1378, die 27 martii. Vacavit sedes dieb. 11.

205. Urbanus VI, Neapolitanus, creatus anno 1378, die 8 april., sedit annis 11, mens. 6, dieb. 6; obiit anno 1389, die 13 octobr. Vacavit sedes diebus 18.

SCHISMA XXVIII,

Fecerunt Cardinales, qui ab Urbano V., propter nimiam ejus crudelitatem, deficientes, elegerunt Robertum Comitem Genevæ, qui Clemens VII dictus est, ac Avenione contra Urbanum VI et Bonifacium IX sedit annis 15, mensib. 11, dieb. 28; obiit Avenione, die 16 octob., anno 1394, eique successit Petrus a Luna, Aragonensis, dictus Benedictus XIII, de quo infra.

206. Bonifacius IX, Neapolitanus, creatus anno 1389, die 2 novemb., sedit annis 14, mens. 11; obiit anno 1404, die 1 octob. Vacavit sedes dieb. 15... Instituit festum Visitationis B. M. V. Canonizavit S. Birgittam.

SÆCULUM XV.

207. Innocentius VII, Italus, Sulmonensis, de familia Meliorata, creatus anno 1404, die 17 octob., sedit annis 2, dieb. 20; obiit anno 1406, die 6 novemb. Vacavit sedes diebus 23.

208. Gregorius XII, Venetus, Angelus Corarius antea voratus, creatus anno 1406, die 30 novemb., sedit annis 2, mensib. 6, dieb. 3, pro bono pacis, schismateque tollendo, sponte abdicavit in Concil. Pisano an. 1409, die 4 junii.

Postea creatus est Episcopus Cardinalis Tusculanus, et Collegii Decanus. Vacavit sedes dieb. 4.

209. Alexander V, Franciscanus, Bononiensis, creatus anno 1409 in Concilio Pisano, sedit mensib. 10, dieb. 8; obiit anno 1410, die 3 maii. Vacavit sedes dieb. 13.

210. Joannes XXIII, Neapolitanus, Balthasar Cossa ante vocatus, creatus anno 1410, die 17 maii, sedit annis 5, dieb. 15, in Concilio Basileensi, pro bono pacis abdicavit anno 1415, die 31 maii. Vacavit sedes annis 2, mensib. 5, dieb. 10.

Anno 1416, *Petrus a Luna*, dictus *Benedict. XIII*, Pseudo-Pontifex, fuit depositus; obiit anno 1424, mense septemb.

211. Martinus V, Otho Columna, Romanus, creatus a Concil. Constantiensi anno 1417, die 11 novemb., sedit annis 13, mensib. 3; obiit anno 1431, die 12 feb. Vacavit sedes diebus 18. Approbavit Congregationem Jesuatorum S. Hieronymi.

SCHISMA XXIX,

Fecit contra Martinum V *Ægidius Munon*, dictus *Clemens VIII*, qui ope Alphonsi Regis Aragoniæ sedem invasit anno 1424, sed obedientiæ Martini V se submisit, an. 1428.

212. Eugenius IV, Venetus, Canonicus Regularis, creatus anno 1431, die 3 martii, sedit annis 14, mensibus 11, dieb. 21; obiit anno 1447, die 23 februar. Vacavit sedes diebus 8. Canonizavit S. Nicolaum de Tolentino.

SCHISMA XXX,

Fecit *Amadeus* Dux Sabaudiæ, Vulgo *Felix V* dictus, contra *Eugenium IV*, electus in Concilio Basileensi, anno 1439, die 5 novemb. Sponte abdicavit in Concilio Lugduni Labito.

213. Nicolaus V, Sarzanensis, Thomas Lucanus antea vocatus, creatus anno 1447, die 4 martii, sedit annis 8, dieb. 19; obiit anno 1455, die 24 martii. Vacavit sedes diebus 14.

Iniit concordatum cum *Friderico* Imperatore et aliis Principibus Germaniæ, super reservatione et collatione Ecclesiarum et Beneficiorum Ecclesiasticorum. Canonizavit S. Bernardinum Senensem.

214. Calixtus III, Hispanus, Alphonsus Borgia antea vocatus, creatus anno 1455, die 8 april., sedit annis 3, diens. 28; obiit anno 1458, die 6 august. Vacavit sedes mebus 12.

215. Pius II, Senensis, Æneas Sylvius Piccolomineus antea dictus, creatus anno 1458, die 19 august., sedit anno 1, mensib. 11, dieb. 27; obiit anno 1464, die 16 august Vacavit sedes dieb. 14. Canonizavit S. Vincentium Ferrerium et S. Catharinam Senensem.

216. Paulus II, Venetus, Eugenii IV nepos, creatus anno 1464, die 31 august., sedit annis 6, mensib. 10, diebus 26; obiit anno 1471, die 28 julii. Vacavit sedes diebus 11. Reduxit SS. Jubilæum ad annos 25.

217. Sixtus IV, Savonensis, Franciscanus, creatus anno 1471, die 9 august., sedit annis 13, dieb. 4; obiit an. 1484, die 12 august. Vacavit sedes dieb. 16. Canonizavit S. Bonaventuram.

218. Innocentius VIII, Genuensis, creatus anno 1484, die 29 august., sedit annis 7, mensib. 10, dieb. 26; obiit anno 1492, die 25 julii. Vacavit sedes dieb. 15. Canonizavit S. Leopoldum Austriæ Principem.

219. Alexander VI, Hispanus, creatus anno 1492, die 10 august., sedit annis 11, diebus 8; obiit anno 1503, die 18 august. Vacavit sedes diebus 45.

SÆCULUM XVI.

220. Pius III, Senensis, Franciscus Piccolomineus, creatus anno 1503, die 22 septemb., sedit diebus 26; obiit anno 1503, die 18 octob. Vacavit sedes diebus 3.

221. Julius II, Savonensis, creatus anno 1503, die 1 novemb., sedit annis 9, mensib. 3, dieb. 21: obiit anno 1513.

die 1 februar.. Vacavit sedes dieb. 21. Approbavit Ordinem Minimorum S. Francisci de Paula.

222. Leo X, Florentinus, ex familia Medicea, creatus anno 1513, die 15 martii, sedit annis 8, mensib. 8, dieb. 15; obiit anno 1521, die 1 decemb. Vacavit sedes mense 1, diebus 8.

Damnavit Pragmaticam Sanctionem, et concordatum inivit cum *Francisco I*, Rege Galliæ, circa provisiones Beneficiorum Ecclesiasticorum. Canonizavit S. Franciscum de Paula.

223. Adrianus VI, Belga ex urbe Trajecto, creatus anno 1522, die 9 jan., sedit anno uno, mensibus 8, diebus 14; obiit anno 1523, die 24 septembr. Vacavit sedes diebus 25. Canonizavit Sanctum Bennonem Misnensem.

224. Clemens VII, Florentinus, de familia Medicea, creatus anno 1523, die 19 novemb., sedit annis 10, mens. 10, diebus 7; obiit anno 1534, die 26 septemb. Vacavit sedes diebus 36. Canonizavit S. Antoninum, Archiepiscopum Florentinum. Approbavit Congregationem Theatinorum et Cappuccinorum.

225. Paulus III, Romanus, Alexander Farnesius, creatus anno 1534, die 13 octob. sedit annis 15, diebue 28; obiit anno 1549, die 19 novemb.. Vacavit sedes mensibus 2, diebus 28. Approbavit institutum seu Religionem Societatis Jesu.

226. Julius III, de Monte S. Sabini, qui est in agro Aretino, creatus anno 1550, die 8 Februar., sedit annis 5, mense 1, diebus 16; obiit anno 1555,die 23 martii. Vacavit sedes diebus 16.

227. Marcellus II, Italus, creatus anno 1555, die 9 april., sedit diebus 22; obiit die 1 maii. Vacavit sedes diebus 23.

228. Paulus IV, Neapolitanus, Petrus Carafa antea dictus, creatus anno 1555, die 23 maii, sedit annis 4, mensib. 2, dieb. 27; obiit anno 1559, die 18 Augusti. Vacavit sedes mens. 4, dieb. 7.

229. Pius IV, Mediolanensis, de familia Medicea, S. Caroli avunculus, creatus anno 1559, die 26 décemb., sedit annis 5, mens. 11, diebus 14; obiit anno 1565, die 9 décemb. Vacavit sedes diebus 28.

230. S. Pius V, Alexandrinus, ex familia de Ghysileriis, Dominicanus, creatus anno 1566, die 7 januar., sedit annis 6, mens. 3, diebus 24; obiit anno 1572, die 1 maii. Vacavit sedes diebus 11. Approbavit Congregationem Fratrum S. Joannis de Deo, ad regimen Hospitalium, sub regula S. Augustini.

231. Gregorius XIII, Bononiensis, ex familia Buoncompagni, creatus anno 1572, die 13 maii, sedit annis 12, mens. 10, diebus 28; obiit anno 1585, die 10 aprilis. Vacavit sedes diebus 13.

Instituit militiam S. Mauritii martyris, cui postea univit militiam S. Lazari Jerosolymitani, sub denominatione S. Mauritii et Lazari, sub regimine Ducis Sabaudiæ, magni Magistri perpetui Ordinis. Approbavit novum Kalendarium, veteri abolito. Instituit Collegium Maronitarum Romæ. Instituit Universitatem Mussipontanam.

232. Sixtus V, de Montealto, Picenus, Franciscanus, creatus anno 1585, die 24 april., sedit annis 5, mensibus 4, diebus 3; obiit anno 1590, die 27 august. Vacavit sedes diebus 18. Canonizavit S. Didacum Ordinis Minorum.

233. Urbanus VII, Romanus, de familia Castanea, creatus anno 1590, die 15 septembr.; obiit eodem mense. Vacavit sedes mensibus 2, diebus 8.

234. Gregorius XIV, Mediolanensis, Nicolaus Sfrondatus, creatus anno 1590, die 6 decemb., sedit mensibus 10, diebus 10; obiit anno 1591, die 15 oct. Vacavit sedes diebus 14.

Concessit Biretum Rubrum Cardinalibus ex Ordinibus Regularium assumptis.

235. Innocentius IX, Bononiensis, creatus anno 1591, die 29 octobris, sedit mensibus 2; obiit anno 1591, die 30 decembris. Vacavit sedes diebus 30.

236. Clemens VIII, Florentinus, Hippolytus Aldobrandinus, creatus anno 1592, die 30 januarii, sedit annis 13, mense 1, diebus 3; obiit anno 1605, die 3 martii. Vacavit sedes diebus 27. Canonizavit S. Hyacinthum Polonum, Ordinis S. Dominici professorem, et S. Raymundum de Pennafort. Damnavit opera Caroli Molinæi.

SÆCULUM XVII.

237. Leo XI, Florentinus, Alexander Mediceus, creatus anno 1605, die 1 aprilis; sedit diebus 27; obiit die 27 aprilis. Vacavit sedes diebus 17.

238. Paulus V, Camillus Borghesius Rom., creatus anno 1605, die 15 maii, sedit annis 15, mensibus 8, diebus 13; obiit anno 1621, die 28 januarii. Vacavit sedes diebus 10. Canonizavit S. Carolum Borromæum, beatificavit S. Paschalem Baylon, S. Thomam a Villanova, et S. Franciscum Xaverium... Approbavit Congregationem Sacerdotum Oratorii Jesu ab Henrico Parisiensi Episcopo, et Maria Galliæ regina institutam.

239. Gregorius XV, Bononiensis, Alexander de Ludovisiis, creatus anno 1621, die 8, Feb.; sedit annis 2, mensibus 5, die 1; obiit anno 1623, die 8 julii. Vacavit sedes diebus 29. Beatificavit S. Petrum de Alcantara Ordinis Minorum.

240. Urbanus VIII, Florentinus, Maphæus Barberinus, creatus anno 1623, die 6 augusti; sedit annis 20, mensibus 11, diebus 23; obiit anno 1644, die 29 julii. Vacavit sedes mense 1, diebus 16.

Canonizavit S. Philippum Nerium, S. Ignatium de Loyola, S. Xaverium. Beatificavit Jacobum a Marchia Franciscanum, Andream Avellini Theatinum, Felicem de Cantalicio Cappuccinum..... Suppressit prætensam Congregationem Jesuitissarum..... Decrevit quod non sit jejunandum in vigilia S. Joannis Baptistæ, quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi. Cardinales *eminentissimos* vocari jussit, qui antea *illustrissimi* vocabantur.

241. Innocentius X, Joann. Baptista Pamphilius, creatus anno 1644, die 15 septembris, sedit annis 11, mensibus 3, diebus 22; obiit anno 1655, die 7 januar. Vacavit sedes mensibus 3.

242. Alexander VII, Senensis, Fabius Chisius, creatus anno 1655, die 7 april., sedit annis 12, mense 1, diebus 16; obiit anno 1667, die 22 maii. Vacavit sedes diebus 29. Canonizavit S. Thomam a Villanova et S. Franciscum Salesium.

243. Clemens IX, Tuscus, Pistoriensis, Julius Rospigliosus antea dictus, creatus anno 1667, die 20 junii, sedit annis 2, mensibus 5, diebus 20; obiit anno 1669, die 9 decembris. Vacavit sedes mensibus 4.

244. Clemens X, Roman., Æmilius de Alteriis, creatus anno 1670, die 29 april., sedit annis 6, mensibus 2, diebus 24; obiit anno 1676, die 22 julii. Vacavit sedes mensibus 2. Canonizavit S. Petrum de Alcantara, et S. Rosam de Lima.

245. Innocentius XI, Novicomensis, antea Benedictus Odeschalchus, creatus anno 1676, die 21 septemb., sedit annis 12, mensibus 10, diebus 22; obiit anno 1689, 12 augusti. Vacavit sedes mense 1, diebus 25.

Christianorum Principum arma contra Turcas ingenti pecuniarum summa juvit, quibus ante Viennam devictis, in rei memoriam Festum SS. Nominis Mariæ quotannis celebrari jussit.

246. Alexander VIII, antea Petrus Ottobonus, Venetus creatus anno 1689, die 6 octobris, sedit anno 1, mens. 3, diebus 18; obiit anno 1691, die 1, febr. Vacavit sedes mensibus 5, diebus 12.

247. Innocentius XII, Neapolitanus, antea Antonius Pignatellus, creatus anno 1691, die 12 julii, sedit annis 9, mensibus 2, diebus 18; obiit anno 1700, die 27 septembr. Vacavit sedes mense 1, diebus 26,

248. Clemens XI, Urbinas, Joannes Franciscus Albanus

antea dictus, creatus anno 1700, die 23 novemb., sedit annis 20, mens. 3, diebus 26; obiit anno 1721, die 19 martii. Vacavit sedes mense 1, diebus 19.

Quamplures in Sinarum regnum, et alias orbis plagas, misit Evangelii Præcones et Pastores, quorum piis laboribus multi ab ethnica superstitione ad CHRISTUM adducti, vel a schismate ad S. R. Ecclesiam revocati sunt... Duos Germaniæ Principes, scilicet Antonium Ulricum Ducem Brunswicensem ac Luneburgensem, et Fridericum Augustum Electoralem Saxoniæ Principem, a Lutheranis erroribus abduxit... Canonizavit Pium V P. M, Andream Avellini, Felicem de Cantalicio, et Catharinam Bononiensem.

SÆCULUM XVIII.

249. INNOCENTIUS XIII, Romanus, Michael Archangelus *de Comitibus* antea dictus, creatus anno 1721, die 8 maii, sedit annis 2, mens. 10; obiit anno 1724, die 8 martii. Vacavit sedes mens. 2, diebus 22.

250. BENEDICTUS XIII, Romanus, Vincentius Maria Ursinus antea dictus, creatus anno 1724, die 29 maii, sedit annis 5, mens. 8, diebus 24. Vacavit sedes mens. 8, diebus 24. Canonizavit SS. Stanislaum Kotska et Aloysium Gonzaga Societatis Jesu, S. Joannem a Cruce Ordinis Carmelitarum, SS. Franciscum Solanum et Jacobum a Marchia, Ordinis Minorum, S. Agnetem a Monte Politiano in Tuscia, Joannem Nepomucenum et Margaritam a Cortona. Beatificavit Fidelem a Sigmaringa ac Vincentium a Paulo.

251. CLEMENS XII, Florentinus, Laurentius *Corsinus* antea dictus, creatus anno 1730, die 12 julii, sedit annis 9, mens. 6, diebus 25; obiit anno 1740, die 8 februar. Beatificavit Seraphinum de Asculo et Josephum a Leonissa Cappucinos.

252. BENEDICTUS XIV, Bononiensis, Prosper Lambertinus antea dictus, creatus anno 1740, die 17 august., sedit annis 18, mens. 9, diebus 17; obiit 3 maii 1758. De sacris

Litteris, de Republica Christiana, et de Ecclesia, quam scriptis illustravit, optime meritus.

253. Clemens XIII, Patricius Venetus, Carolus Rezzonico antea dictus, creatus 6 julii 1758; obiit 2 februar. 1769. Vacavit sedes mens. 3, diebus 17.

254. Clemens XIV, Riminensis, Laurentius Ganganelli, creatus 19 maii 1769; obiit 1775. Vacavit sedes fere 5 mensibus.

255. Pius VI, Cesænatensis, Joann. Angelus Braschius, creatus 15 februar. 1775. In captivitatem ductus obiit Valentiæ in Gallia, die 29 augusti 1799. Vacavit sedes men. 6, dieb. 12.

256. Pius VII, Cesænatensis, Gregorius Barnabas Claramontius antea dictus, creatus Venetiis anno 1800, pridie idus martii, obiit Romæ die 20 augusti 1823. Vacavit sedes diebus 38.

257. Leo XII, Spoletanus, Annibal de Genga antea dictus, creatus Romæ die 28 septemb. 1823; obiit Romæ die 10 februar. 1829. Vacavit sedes mens. 1, diebus 21.

258. Pius VIII, Cingulensis, Franciscus Xaverius Castiglioni antea dictus, creatus Romæ die 31 martii anno 1829; obiit Romæ die 30 novemb., anno 1830. Vacavit sedes mens. 2, die 1.

259. Gregorius XVI, Bellunensis, Maurus Cappellari antea dictus, creatus Romæ die 2 februar. 1831; obiit die 1 junii 1846. Vacavit sedes diebus 16.

260. Pius IX, Mastai Ferretti antea dictus, creatus die 17 junii 1846. Quem Deus servet incolumem!

N. B. *Seriem hanc Editor implevit.*

APPENDIX II.

De Conciliis in specie.

Claritatis causa agemus : 1. de Conciliis Apostolorum; 2. de Conciliis generalibus post tempora Apostolorum celebratis.

ARTICULUS I.

DE CONCILIIS APOSTOLORUM.

CONCLUSIO.

Sunt tria Apostolorum Concilia certa; nempe Jerosolymitanum I, post Christi ascensionem, congregatum ad eligendum aliquem in locum Judæ proditoris, cui, sorte divina, suffectus est Mathias. *Act.* 1.

Jerosolymitanum II, an. 1 post Christi mortem (ante conversionem Pauli, quæ eo anno contigit), convocatum est ad eligendos septem diaconos, ut satisfieret postulationi gentilium adversus Judæos, quod gentilium viduæ non honorarentur in ministerio distributionis eleemosynarum, et quod his non subveniretur ut viduis Hebræorum.

Jerosolymitanum III, an. post Christi mortem 14 [1], congregatum pro dirimenda controversia Antiochiæ suborta de circumcisione, aliisque legalibus cæremoniis servandis a gentilibus ad Christum conversis, in quo, post magnam disquisitionem, definitum est gentes ad Christum conver-

[1] Ut testatur Apost. ad Galat. 2

sas, nec ad circumcisionem, nec ad legis Mosaicæ cæremonias teneri. *Act.* 15.

Nota. Præter illa tria Concilia variæ numerantur Apostolorum congregationes, quarum quidem Sacra Scriptura non meminit expresse, sed quæ ex receptis colliguntur historiis.

1. Ea est, quæ fuit habita in obitu B. M. V., cui omnes Apostolos, licet per orbem dispersos, adfuisse probabile multi existimant, affirmatque Nicephorus.

2. Est ea quæ congregata est pro edendo fidei Symbolo, et designandis unicuique prædicantium regionibus, de qua congregatione sic loquitur Irenæus, l. 1, c. 2 : *In mundum universum dispergendi* (Apostoli), *in unum coacti antequam abirent, tesseram illam fidei unanimem et concordem fidelibus describere voluerunt.* In quo conventu, multi volunt Canones, qui Apostolorum dicuntur, fuisse conditos, de quibus :

Quæres : *An Canones, qui Apostolorum dicuntur, fuerint ab Apostolis conditi?*

Resp. Circa hanc quæstionem magna est inter eruditos controversia; alii negant: 1. Quia Gelasius, in Concil. Romano 70 Episcoporum, illos declarat apocryphos : *Liber Canonum Apostolorum apocryphus* [1]; supra quod glossa ait : *Liber dicitur apocryphus cujus auctor ignoratur.* 2. Quia neque D. Cyprian., neque Firmilianus in suis, de reiterando Baptismo Hæreticorum, controversiis, ullam fecerunt mentionem Canonum 46, 47 et 68, qui perspicue decernunt inane esse Baptismum et ordinationes ab Hæreticis collatas : quod certe non omisissent, maxime cum S. Stephanus S. P. contra eos urgeret traditionem Apostolorum eis adversantem : certe hos Canones non siluissent Africani. 3. Quia *Can.* Canones, *dist.* 16, dicitur : *Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recipit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab Hæreticis, sub nomine*

[1] Cap. sancta Rom., dist. 23.

Apostolorum, compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur; tamen ab auctoritate Canonica atque Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata.

Alii e contra affirmant 50 ex illis Canonibus fuisse ab Apostolis conditos, et probant,

1. Ex Concilio generali VII, *Can.* 1, in quo definitur : *Servanda esse quæ constituta sunt a tubis Spiritus Sancti, sanctissimis Apostolis, et ex SS. œcumenicis Conciliis.* Postea, *Can.* 5 *et* 12, citat ac refert duos Canones Apostolorum.

2. Ex Leone IX, *Can.* Clementis, *dist.* 16, dicente : *Canones Apostolorum numerant Patres inter apocrypha, exceptis* 50 *capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda.*

3. Ex Concil. Trid. *sess.* 25, *c.* 1 *de ref.*, dicente : *Cum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent.*

Respondent prioris sententiæ Patroni, illos 50 Canones, propter tam graves auctoritates, maxima et indubitata pollere auctoritate, atque orthodoxæ fidei esse adjungendos, non quatenus in illa Canonum serie continentur, sed quatenus ab Apostolis ejusmodi traditio in Ecclesias, præsertim Orientales dimanavit, hocque sensu citati sunt tum a Synodo VII, tum a Concilio Tridentino et SS. Pontificibus.

ARTICULUS II.

DE CONCILIIS GENERALIBUS POST MORTEM APOSTOLORUM CELEBRATIS.

Nota. De omnibus Conciliis generalibus, tum approbatis, tum reprobatis, tum etiam partim approbatis, partim reprobatis, juxta ordinem temporum quo celebrata sunt, agemus.

§ I.

De Concilio Nicæno I, œcumenico I.

Concilium Nicænum, cui adfuerunt 318 Patres, an. Christi 325, a *S. Sylvestro S. P.* sub *Constantino Magno* Im-

peratore, fuit convocatum et indictum Nicææ in Bythinia : 1. Contra Arium Presbyterum Alexandrinum, qui divinitatem Christi ejusque cum Patre consubstantialitatem negabat. 2. Contra Quartodecimanos, qui asserebant Pascha celebrari debere 14 luna mensis Martii, more Judæorum. 3. Contra Meletium, qui, ægre ferens quod, propter varia crimina, a S. Petro Alexandrino ab Episcopatu fuerit dejectus, multos per Ægyptum creans Episcopos, Presbyteros et Diaconos, Ecclesiam pessimo laceravit schismate. Huic Concil. præsedit S. Sylvester per suos Legatos.

Quæres 1. *Quænam peracta sint in hoc Concilio?*

Resp. 1. Ariana hæresis fuit damnata cum Ario et ejus sectatoribus, atque vox *consubstantialis* Symbolo fuit inserta, ut unico vocabulo omnium Arianorum cavillis obviam iretur. 2. Fuerunt damnati Quartodecimani, et determinata dies qua Pascha ubique terrarum celebrari deberet. 3. Statutum est ut Meletius, solo Episcopi nomine retento, omnibus functionibus privatus, in sua Nicopolitana civitate maneret, atque ut ab eo ordinati Alexandrino Episcopo subjacerent post alios Ecclesiæ ministros. 4. Editi sunt Canones 20, pro disciplina Ecclesiastica restauranda.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit perfecte œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam illius acta a S. Sylvestro fuerunt approbata et confirmata in Concilio Roman. 275 Episcoporum.

Quæres 3. *Nonne aliud Concil. generale in causa Ariana habitum est?*

Resp. Habitum est *Concilium Sardicense,* a Julio I, an. 347, tempore Constantii et Constantis Imperatorum, celebratum ad firmandam fidem Nicænam, et restituendum Athanasium in propriam sedem, a qua ab Arianis injuste dejectus fuerat, cui Concilio adfuerunt 341 Episcopi, quibus præsedit Julius per suos Legatos, Osium Cordubensem, Archidamum et Polixenum Presbyteros... Hoc Concilium, licet œcumenicum, tamen non recensetur in numero Conciliorum

œcumenicorum, ut Concilium speciale et ab aliis distinctum, quia nihil de novo in eo fuit constitutum, sed solum fides Nicæna confirmata, unde Concilio Nicæno I adjungitur, tanquam illius Appendix.

DICES : Canonistarum plerique rejiciunt Concil. Sardicense ut illegitimum et Arianum. Ergo.

RESP. *Dist. ant.* Rejiciunt Concilium Sardicense verum, *nego ant.* Omnes enim norunt illud a Nicolao I fuisse approbatum : *Sardicense Concilium*, inquit, *omnis Ecclesia recipit.* Rejiciunt Sardicense spurium, *conc. ant.*

Itaque Ariani ex Concilio, qui Sardicæ celebrabatur, fugientes atque *Philippopolim* (quæ interjectu montis a Sardica separata est) se transferentes, ibi Conciliabulum habuerunt, quod mendaciter nomine Concilii Sardicensis insigniri voluerunt, in quo fidem Nicænam damnarunt, atque in Julium Papam et alios Episcopos Catholicos sententiam excommunicationis procaciter intulerunt. Hoc Concilium Arianum ab omnibus rejicitur.

QUÆRES 4. *Quot Conciliabula in causa Ariana habita fuerunt ?*

RESP. Plura, tum generalia, tum particularia habita sunt; quorum præcipua sunt :

Antiochenum III, ann. 340, cui præsedit Eusebius Nicomediensis, in quo ab Arianis damnatus fuit S. Athanasius.

Mediolanense, 300 Episcoporum, ann. 355, a Liberio quidem convocatum, in Conciliabulum tandem factum est, cum Constantius Episcopos coegit ad subscribendum condemnationi D. Athanasii : cui iniquæ condemnationi cum plures subscribere constanter renuissent, inter quos erant Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis sedis Apostolicæ Legati, in exilium missi sunt cum ipsome Liberio S. P., qui exul translatus est in Thraciam.

Ariminense, a Constantio, ann. 359 congregatum, annuente S. P. Liberio, qui ad Concilium misit Vincentium Capuæ Episcop. legatum suum... Hoc concilium in duas

partes fuit divisum ab Imperatore, qui statuit ut Episcopi Occidentales numero 400, *Arimini*; Orientales vero 200, omnes fere Ariani, *Seleuciæ*, in Isauria convenirent. Pars *Seleuciæ* congregata, statim in Conciliabulum abiit, in quo Ariani damnati sunt a Semi-arianis; Patres vero *Arimini* congregati, quandiu fuerunt liberi, fuerunt Catholici, damnarunt formulam fidei, quæ Sirmii edita fuerat ab Arianis, fidem Nicænam confirmarunt, atque Valentem et Ursacium Arianorum antesignanos excommunicarunt... Interim dum hæc agerentur, Ariani in Conciliabulo Constantinopolitano novam fidei formulam, in specie Catholicam, condiderunt, atque Ariminum, jussu Imperatoris, subscribendam attulerunt, cui de facto Patres Ariminenses fere omnes subscripserunt, partim tædio diuturnioris moræ in civitate Ariminensi, in qua 7 mensibus jussu Imperatoris, detinebantur, partim fraudibus Valentis, Ursacii, aliorumque Arianorum delusi, qui fingebant se idem credere de Christo quod Catholici, solumque esse quæstionem de voce *Ousiæ*, abjicienda, quæ in Scripturis non reperiebatur, et infirmis scandalo erat. Hoc Concilium fuit reprobatum, 1. a Liberio Papa [1], 2. a Damaso in Concilio Romano.

§ II.

De Concilio Constantinopolitano I, œcumenico II.

Concilium Constantinopolitanum I, cui adfuerunt 150 Episcopi a Theodosio Seniore, annuente Damaso Papa, fuit congregatum, ann. 381, contra Macedonium Episcopum Constantinopolitanum, qui Spiritus Sancti divinitatem negabat.

Quæres 1. *Quænam in eo Concilio fuerunt peracta?*

Resp. 1. Macedonius fuit damnatus. 2. Addita sunt ad symbolum Nicænum ea quæ Spiritus Sancti divinitatem spectant: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adoran-*

[1] Ita testatur Damasus, Epist. ad Episcopos Illyricos.

dum, etc. 3. Canones 7 ad disciplinam spectantes editi fuere.

QUÆRES 2. *An hoc Concilium sit perfecte œcumenicum?*

RESP. Licet non fuerit generale tempore quo celebrabatur, quia nulli erant Occidentales, tamen evasit generale, œcumenicum, quando Damasus Papa illius decreta, ad se missa, approbavit, ac ei, cum suo Rom. Concilio cui personaliter præsedit, accessit; unde factum est, ut illa duo Concilia nationalia, in unum et idem Concilium œcumenicum coaluerint.

§ III.

De Concilio Ephesino, œcumenico III.

Concil. Ephesinum, cui adfuerunt 200 Episcopi, a Theodosio Juniore, annuente S. P. Cœlestino I, fuit congregatum, ann. 431, contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, dicentem duas esse in Christo personas, et B. V. M. non esse *Theotocon*, id est Deiparam, sed tantum *Christotocon*, id est Christiparam,

QUÆRES 1. *Quænam in hoc Concilio fuerunt peracta?*

RESP. 1. Definitum est unam tantum esse (Verbi nimirum) in Christo personam, Mariam proinde vere dici ac esse *Theotocon*. 2. Sententia excommunicationis ac depositionis adversus Nestorium lata est.

QUÆRES 2. *An Concilium Ephesinum sit perfecte œcumenicum?*

RESP. *affir.* Nam fuit convocatum de consensu Papæ, qui ei per legatos præsedit, illud approbavit, eique cum suo, quod Romæ tunc celebrabat, Concilio accessit.

QUÆRES 3. *Quodnam Concilium generale, post Concilium Ephesinum œcumenicum, fuit celebratum?*

RESP. Concil. Ephesinum II, a Theodosio Imperatore convocatum, inscio Leone I Papa, qui tamen citatus suos legatos misit, quibus denegata est præsidentia a Dioscoro, Patriarcha Alexandrino, qui eam usurparat. In hoc Conci-

lio, factione Dioscori occisus est S. Flavianus, Episcopus Constantinopolitanus, qui in Concilio 30 Episcoporum damnaverat Eutychem; legati Apostolicæ Sedis fuerunt fugati, Eutyches absolutus, et ejus hæresis confirmata, sancti Episcopi damnati. Hoc Concilium, quod vocatur *Prædatoria Synodus* et *Latrocinium Ephesinum*, fuit a sancto Leone, et a Concilio Chalcedonensi, in quo illius Acta inserta sunt, prorsus reprobatum.

§ IV.

De Concilio Chalcedonensi, œcumenico IV.

Concilium Chalcedonense, cui adfuerunt 636 Episcopi, anno 451, fuit convocatum a S. Leone, sub Marciano Imperatore, contra Eutychem, qui docebat in Christo unicam esse naturam.

Quæres 1. *Quænam peracta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Dioscorus, eo quod Concilio generali præsidere fuerit ausus (quod nunquam factum fuisse, et nunquam fieri licere clamaverunt Patres) fuit damnatus, et post trinam citationem depositus. 2. Latrocinii Ephesini Acta fuerunt reprobata. 3. Definitum est in eodem Christo duas naturas *inconfuse, incommunicabiliter, indivise, inseparabiliter, in unam personam atque subsistantiam concurrere*. 4. Theodoretus Cyrensis, et Ibas Edessenus, qui in Conciliabulo Ephesino a Dioscoro fuerant depositi, tanquam Nestoriani, fuerunt in suas sedes restituti, postquam coram universa Synodo dixerunt *anathema Nestorio*, et subscripserunt definitioni fidei, ac Epistolæ S. Leonis. 5. Varii Canones confirmati sunt pro reformatione morum.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit perfecte œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam fuit legitime convocatum, celebratum, atque a S. Leone approbatum, ut constat ex ejus Epistola 59 ad Synodum.

§ V.

De Concilio Constantinopolitano II. œcumenico V.

Concilium generale V, cui adfuerunt 165 Episcopi, anno, 553 a Justiniano Seniore, annuente Summo Pontifice Vigilio, fuit convocatum, 1. contra errores Origenis. 2. Pro trium Capitulorum lite dirimenda. Porro ista Capitula erant: 1. Opus a Theodoreto Episcopo Cyrensi conscriptum, in quo duodecim Ephesinæ fidei capitibus a sancto Cyrillo conscriptis, Anathematismos duodecim opposuerat.

2. Libri Theodori Mopsuesteni, in quibus unam in Christo personam, et Mariam matrem Dei aperte negabat.

3. Epistola Ibæ Edesseni, in qua sancti Cyrilli capitula a Concilio Ephesino probata, insectatus fuerat.

Quæres 1. *Quænam peracta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Errores Origenis damnati sunt.

2. Damnatus est Theodorus et ejus scripta, atque anathema dictum est ei, *Qui non anathematizat eum, et impia ejus conscripta.*

3. Damnata et anathematizata sunt scripta Theodoreti, et Ibæ Epistola ad Marim Persam; sed personis eorum, quæ susceptæ erant a Concilio Chalcedonensi, nulla inusta est nota.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit vere œcumenicum?*

Resp. Licet pluribus displicuerit errore facti, quo putabant Epistolam Ibæ in eo damnatam, in Concilio Chalcedonensi fuisse probatam; nihilominus ab omnibus habetur œcumenicum, probatum non solum a Vigilio Papa, sed etiam a Leone II, Epist. ad Constantium Imperatorem, quæ exstat in VI Synodo [1], et a Gregorio Magno, qui [2] postquam dixit: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor;* subjungit: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur, etc.*

[1] Act. 8. — [2] Lib. 1, epist. 24.

§ VI.

De Concilio Constantinopolitano III, œcumenico VI.

Concilium VI, cui adfuerunt 289 Episcopi, anno 681, a Constantino Pogonato, annuente Summo Pontifice Agathone, qui per suos Legatos præsedit, fuit convocatum contra Monothelitas, docentes unam esse in Christo voluntatem, unamque operationem, divinam nimirum non autem humanam; pro cujus hæresis propugnatione Heraclius Imperator, a Cyro Alexandrino et Sergio Constantinopolitano deceptus, edictum promulgavit, quod *Ectesim,* hoc est fidei confessionem, vocavit. Aliud edictum simile huic edidit Constans Imperator, quod dictum fuit : *Typus Constantis.*

Quæres 1. *Quænam acta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Damnati sunt Monothelitæ cum sua hæresi.

2. Definitum est esse in Christo *duas naturales voluntates, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse... secundum doctrinam SS. Patrum.*

Quæres 2. *An Concilium VI sit perfecte œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Fuit enim approbatum non solum ab Agathone, sed et a Leone II, ut probat Sylvius ex Yvone.

Quæres 3. *Quænam Conciliabula fuerunt postea celebrata?*

Resp. Celebrata sunt tria : nimirum

Constantinopolitanum *quinisextum* in Trullo, anno 692, in quo soli Episcopi orientales, sub convocatione et præsidentia Justiniani Imperatoris convenerunt, atque condiderunt 102 Canones, Trullani dicti, de quibus supra egimus. Reprobatum est hoc Concilium a Sergio Papa, qui illud vocat *Synodum erraticam.*

Constantinopolitanum, a Leone Isaurico, inconsulto Gregorio II, anno 730, contra sacras imagines convocatum, cui sanctus Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus, interfuit quidem, sed quia Iconoclastis consentire noluit, sua sede pulsus est.

Constantinopolitanum, a Constantino Copronymo, tam-

pore Stephani III, Summi Pontificis, collectum, cui adfuerunt 754 Episcopi, sub præsidentia Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitani, qui damnarunt cultum Sacrarum Imaginum, et anathematizarunt sanctum Germanum Constantinopolitanum et S. Joannem Damascenum. Hoc Concilium vocatur ab Iconomachis *Synodus VII,* verum a Stephano III reprobatum fuit, *Act.* 6 Concilii Nicæni II, quod est *Synodus VII vera,* de qua sit :

§ VII.

De Concilio Nicæno II, œcumenico VII.

Concilium VII, cui adfuerunt 350 Episcopi, anno 787, de expresso Adriani I consensu, a Constantino et Irene ejus matre convocatum est contra *Iconomachos,* id est impugnatores imaginum. Hoc Concilium indictum prius erat Constantinopoli, verum tumultuantibus in ea urbe Ichonomachis, Nicææ in Bythinia celebratum fuit.

Quæres 1. *Quænam acta sunt in hoc Concilio ?*

Resp. Definitum est : 1. Sacras imagines retineri debere...; 2. iis imaginibus deberi *honorariam adorationem...;* 3. eam adorationem non esse latriam, quæ soli Deo debetur: *Non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam debet, impertiendam,* inquit act. 7...; 4. eam adorationem non terminari ad figuras, sed referri ad earum prototypa... 5. Editi sunt 22 Canones ad disciplinam spectantes.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam fuit approbatum ab Adriano Papa, ut testatur Binius, etc.

Concilium Francofordiense, quod aliqui generale, alii melius nationale dicunt, quia ei nullus adfuit Orientalium, qui nec convocati fuerunt, fuit celebrantum an. 794, sub Adriano I et Carolo Magno, Francorum Rege, qui eidem interfuit cum Legatis Papæ... Hoc Concilium est approbatum quatenus definivit Christum esse Filium Dei naturalem,

nec dicendum Filium Dei adoptivum ; sed est reprobatum in hoc, quod Patres illius Concilii, errore facti, damnarunt VII Synodum, rejeceruntque cultum sanctarum imaginum

§ VIII.

De Concilio Constantinopolitano IV, œcumenico VIII.

Concilium VIII et in Oriente ultimum, cui adfuerunt 102 Episcopi, an. 869, a Basilio Imperatore, de expresso consensu Adriani II, qui ei per Legatos præsedit, fuit convocatum occasione Photii, qui, expulso D. Ignatio a sede Constantinopolitana, illam sedem invaserat.

Quæres 1. *Quid actum sit in hoc Concilio?*

Resp. 1. Photius fuit depositus, et D. Ignatius restitutus. 2. Editi sunt varii Canones ad disciplinam spectantes.

Quæres. 2. *An hoc Concilium sit perfecte œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam omnes orbis Patriarchales Ecclesiæ ipsi subscripsere, æque ab Adriano S. P. fuit confirmatum, ut testatur Baronius et alii cum Binio.

§ IX.

De Concilio Lateranensi I, œcumenico IX.

Concilium IX Calixtus II, an. 1123, tempore Henrici IV Imperatoris, indixit Romæ in basilica Lateranensi, cui ipsemet interfuit cum 300 Episcopis, 1. Pro componenda lite, quæ jam diu inter Ecclesiam et Imperium erat accensa, ex usurpatis ab Imperatoribus beneficiorum investituris. Investiturarum autem nomine intelligitur jus eligendi Præsules, confirmandi electos, et mittendi eos in possessionem: quod jus Imperatores sibi sumpserant. 2. Pro recuperatione Terræ sanctæ.

Quæres. *Quænam in hoc Concilio fuerunt gesta?*

Resp. 1. Henricus IV dimisit Ecclesiæ omnem investituram per annulum et baculum tradendas; possessiones Ecclesiæ ablatas restituit, promisitque se electiones et conse-

crationes omnino liberas relicturum . . . 2. Calixtus II Henrico IV concessit ut se præsentem sisteret electionibus; atque ut electis *regalia*, hoc est fructuum beneficii percipiendorum potestatem daret per sceptri regii contactum; nunquam vero per baculum et annulum, quod per hoc designaretur potestas spiritualis emanere a potestate sæculari... Actum est de bello Saracenis indicendo pro recuperatione Terræ sanctæ... 4. Editi sunt varii Canones pro restauranda disciplina Ecclesiastica.

Œcumenicitas hujus Concilii certa est apud omnes.

§ X.

De Concilio Lateranensi II, œcumenico X.

Concilium X, cui ex omnibus orbis partibus mille Episcopi adfuerunt, an. 1139, tempore Lotharii Imperatoris, ab Innocent. II, qui ipsi præfuit, convocatum fuit : 1. Ad tollendum schisma in Ecclesia factum per Petrum Leonem Antipapam, *Anacletum II* appellatum, cui pauci Cardinales suffragati fuerant, quando a majori parte Cardinalium *Innocent. II* electus fuit...; 2. Ad varias hæreses damnandas et mores reformandos.

Quæres : *Quænam gesta sunt in hoc Concilio?*

Resp. Tria : 1. Enim Petri Leonis aliorumque schismaticorum acta sunt rescissa... 2. Damnati sunt Hæretici *Petrus de Bruis* et *Arnaldus de Brixia*, cum eorum hæresibus... 3. Ad pristinam disciplinam Ecclesiasticam restituendam varii constituti sunt Canones, inter quos ille præcipuus : *Si quis, suadente Diabolo, etc.*

Œcumenicitas hujus Concilii certa est apud omnes.

§ XI.

De Concilio Lateranensi III, œcumenico XI.

Concilium XI, cui adfuere 300 Episcopi, an. 1179, imperante Friderico I, ab Alexandro III, qui ipsi præfuit, convocatum est : 1. Ad tollendum schisma in Ecclesiam invec-

tum per Cardinalem *Octavianum* Antipapam, *Victorem IV* appellatum, a tribus tantum Cardinalibus electum, cui solus adhærebat Fridericus, contra Alexand. III, qui a 20 Cardinalibus electus fuerat et cui adhærebant tota Gallia, Hispania, Britannia, Polonia et major pars Italiæ... 2. Ad damnandos Waldensium et Albigensium errores... 3. Ad mores reformandos.

QUÆRES: *Quænam gesta sunt in hoc Concilio?*

RESP. Plura. 1. Enim ad vitanda in posterum schismata, definitum est nullam deinceps Papæ electionem fore canonicam, nisi duæ partes Cardinalium ad eam conspirent... 2. Ordinationes ab Antipapis celebratæ irritæ (quoad usum) declaratæ fuerunt, et collationes beneficiorum nullæ... 3. Damnati sunt hæretici Waldenses et Albigenses, qui etiam dicti sunt *Pauperes de Lugduno*, quia sub prætextu paupertatis evangelicæ, errores suos palliare nitebantur... 4. Canones circa disciplinam fuere conditi, maxime ad usuram et simoniam confodiendas.

Œcumenicitas hujusce Conc. certa est apud omnes.

§ XII.

De Concilio Lateranensi IV, œcumenico XII.

Concilium XII ab Innocent. III an. 1215, imperante Friderico II, fuit convocatum: 1. Pro Terræ sanctæ a Turcis occupatæ recuperatione... 2. Pro hæresum tunc exortarum eliminatione... 3. Pro morum reformatione.

In hoc Concilio, teste Vespergensi, qui eo tempore floruit: *Fuerunt Episcopi 412, inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Constantinop. et Jerosolymitanus. Antiochenus gravi languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se Vicarium Antheradensem Episcopum. Alexandrinus vero sub Saracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se Diaconum suum Germarium. Primates autem et Metropolitani 71. Cæterum Abbates et Priores ultra 800. Archiepiscoporum vero et Episcoporum, Abbatum, Priorum, et Capitulorum absentium*

certus numerus non fuit comprehensus. Legatorum vero Imperatoris Romanorum, Imperatoris Constantinopolitani, Regum Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Jerosolymorum, Cypri, Arragoniæ, necnon et aliorum Principum et Magnatum, Civitatum, etc., ingens fuit multitudo. Verba sunt Vespergensis.

QUÆRES : *Quænam gesta sunt in hoc Concilio ?*

RESP. 1. Damnatus est liber, quem Abbas Joachim scripsit contra Petrum Lombardum, qui in *Sententiis* asseruerat rem unam in Trinitate esse, essentiam nempe quæ nec generet nec generetur... 2. Damnata sunt impia et stulta dogmata *Almerici de Bena*, qui, inter alias insanias, docebat Corpus Christi non aliter esse in pane altaris, quam in alio pane et qualibet alia re, transubstantiationem denegans... 3. Statuta est expeditio pro recuperatione Terræ sanctæ... 4. Varii conditi sunt Canones, pro morum reformatione, inter quos celebris est ille, qui incipit : *Omnis utriusque sexus.*

Œcumenicitas illius Concilii ex sui splendore ac plenitudine ita est conspicua, ut in jure Can. quoties laudatur Concilium Lateran. sine addito, hoc intelligitur Conc. Lateran. IV.

§ XIII.

De Concilio Lugdunensi I, œcumenico XIII.

Concilium XIII, cui cum Summo Pontifice præsidente adfuerunt plures Cardinales, tres Patriarchæ, 140 Episcopi, Balduinus Constantinop. Imperator, oratores Regum Galliæ, Angliæ, Arragoniæ et aliorum Principum, imo et ipsius Friderici II, Imperatoris Germaniæ, anno 1245 ab Innocent. IV fuit convocatum : 1. Contra Fridericum Imperatorem erga Ecclesiam Romanam tyrannice se gerentem... 2. Pro Terræ sanctæ recuperatione.

QUÆRES : *Quænam peracta sunt in illo Concilio ?*

RESP. 1. Sententia excommunicationis et depositionis in Fridericum Imperatorem lata est ab Innoc. IV, Summo

Pontifice... 2. Renovatum est decretum pro expeditione contra Turcas facienda, atque Cruciatis concessa magna privilegia et immunitates... 3. Condita sunt varia decreta disciplinæ reformationem spectantia.

Œcumenicum fuit hoc Concilium, utpote legitime convocatum, celebratum et approbatum ab Innocentio IV, qui ei præfuit.

§ XIV.

De Concilio Lugdunensi II, œcumenico XIV.

Concilium XIV, cui cum Summo Pontifice adfuerunt mille Patres, inter quos Cardinales 15, Patriarchæ duo, Constantinopolitanus et Antiochenus, Archiepiscopi 70, Episcopi 500, an. 1274, imperante in Germania Rodulpho, fuit a Gregorio X convocatum : 1. Contra errores Græcorum; 2. Pro recuperatione Terræ sanctæ, et de aliis causis.

Quæres : *Quænam in hoc Concilio gesta sunt?*

Resp. 1. Definitum est Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, tanquam ex uno, non autem tanquam ex duobus principiis... 2. Damnati sunt qui, contra jus, *regalia* de novo usurpare conabantur, et qui hæc fieri procurabant... 3. Græcis promissa fuit decima pars bonorum Ecclesiasticorum pro Terræ sanctæ expeditione.

Œcumenicitas hujus Concilii apud omnes est indubia.

Ad hoc Concilium vocatus fuerat S. Thomas Aquinas, sed obiit in itinere; verum adfuit S. Bonaventura, quem Gregorius Lugduni S. R. E. Cardinalem et Episcopum Albanensem creavit.

§ XV.

De Concilio Viennensi, œcumenico XV.

Concilium XV, ann. 1311, tempore Henrici VIII Imperatoris, fuit a Clemente V convocatum : 1. Contra Templarios de pluribus, iisque gravissimis, criminibus accusatos...

2. Contra varios Hæreticos... 3. Pro Terræ sanctæ subsidio et morum reformatione. Ad hoc Concilium accesserunt Clemens V præses, duo Patriarchæ, Alexandrinus et Antiochenus, Episcopi 300, tres Reges, nempe Philippus Pulcher rex Galliæ, Eduardus II rex Angliæ, Jacobus II rex Arragoniæ.

QUÆRES : *Quænam gesta sunt in hoc Concilio ?*

RESP. 1. Templariorum ordo, qui annis 184 floruerat, fuit penitus extinctus, eorumque bona S. Joannis Jerosolymitani equitibus attributa fuere. 2. Damnati sunt Fraticelli, Dulcinistæ, Beguardi et Beguinæ. 3. Decreta est nova pro recuperatione Terræ sanctæ bellica expeditio. 4. Editæ sunt variæ constitutiones pro morum reformatione; quæ in jure *Clementinæ* dicuntur.

Œcumenicitas hujus Concilii apud omnes constat.

§ XVI.

De Concilio Pisano, generali XVI.

Nota. Cum *Angelus Corarius*, Gregorius XII nominatus, et *Petrus de Luna*, Benedictus XIII nuncupatus, diu de Papatu contenderent, neuterque pro pacis Ecclesiæ bono cedere vellet, licet uterque id, in sua electione promittendo, jurasset, nec alia superesset schismatis extinguendi via quam Concilium generale; Cardinales utriusque obedientiæ, a suo quique schismatico Papa recedentes, *Pisas* venere, ibique, ut finem schismati imponerent Ecclesiæque de vero ac indubitato capite providerent, generale hoc indixere Concilium, an. 1409, cui *præsedit Cardinalis Pictaviensis*, utriusque obedientiæ Decanus, cui interfuere 24 Cardinales, 3 Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus et Jerosolymitanus, 300 Episcopi, cum innumeris aliis monasteriorum Præpositis, Abbatibus, Doctoribus, ac variis Principum et Universitatum Legatis.

QUÆRES 1. *Quid factum sit in illo Concilio ?*

RESP. 1. Duo de Papatu contendentes, post trinam de

jure citationem non comparentes, neque per se, neque per procuratores, contumaces fuerunt declarati, atque ut schismatici, perjuri et hæretici damnati, ac e suo prætenso Pontificatu dejecti. 2. In utriusque locum suffectus est Cardinalis *Philaretus*, Græcus, Doctor Parisiensis, Ordinis S. Francisci, qui *Alexander V* dictus est, ac reliquo præsedit Concilio 23 sessionibus completo.

Quæres 2. *An illud Concilium fuerit œcumenicum?*

Ratio dubitandi est, quia sine ulla Romani Pontificis authoritate fuit indictum.

Resp. *affirm.* Nam: 1. A Cardinalibus, tempore schismatis, nulliusque veri et indubii Pontificis, pro pace Ecclesiæ procuranda, legitime fuit convocatum. 2. Fuit legitime celebratum præsidente sacri Collegii Decano. 3. Ad illud vocati sunt duo de Papatu contendentes, cæterique omnes ex universo orbe Prælati. 4. Decreta Concilii approbavit ac confirmavit Alexand. V his verbis: *Prædictam sententiam et omnia alia et singula, quæ per Concilium hujusmodi, pro tollendo schismate et reintegratione memorata facta fuerunt, utpote provide et tantorum venerandorum Patrum, imo universalis Ecclesiæ authoritate et concordia facta, rata habentes et grata, ea authoritate Apostolica ex scientia approbamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.*

§ XVII.

De Concilio Constantiensi, generali XVII.

Nota. Alexandro V, uno post sui electionem anno, Bononiæ mortuo, in ejus locum electus est *Balthassar Cossa*, dictus *Joannes XXIII*, sicque, cum *Gregorius XII* et *Benedictus XIII* non parerent decreto Synodi Pisanæ, tres nomine visi sunt Pontifices in Ecclesia, ideoque auctum schisma quod a 30 annis Ecclesiam dissecabat.

Anno itaque 1414, ad extinctionem tam nefandi schismatis, et damnationem grassantium tunc temporis variarum hæresum, *Joannes XXIII*, agentibus *Sigismundo* Imperatore,

et *Vinceslao* Bohæmiæ rege, Concilium Constantiæ coegit, cui adfuerunt Cardinales 29, Patriarchæ 4, Episcopi 300, et ingens numerus aliorum inferiorum Ecclesiæ Prælatorum.

QUÆRES 1. *Quinam huic Concilio præfuerunt ?*

RESP. Non unus fuit hujus Concilii Præses; namque

1. Sess. 1 et 2 præsedit *Joannes XXIII,* qui juramento promisit, pro bono pacis, se Pontificatui promptissime renunciaturum, si *Gregorius XII* et *Benedictus XIII* Antipapæ, idem facere non recusarent. Verum, ante 3 sessionem discessit Constantia, seque contulit *Schufusiam*, veritus ne Papatu cedere cogeretur.

2. Cardinalis *de Ursinis,* Episcopus Albanensis, præfuit 4 et 5 sessionibus, in quibus declaratum est auctoritatem Concilii œcumenici esse auctoritate Summi Pontificis superiorem his verbis : *Ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et membris.*

3. Cardinalis *Vivariensis,* Episcopus Ostiensis, præfuit a 6 usque ad 41 sessionem, in qua electus est in Summum Pontificem Cardinalis *Columna,* qui dictus est *Martinus V* qui per seipsum præfuit aliis quatuor sessionibus, quibus finis impositus est Concilio.

QUÆRES 2. *Quænam gesta sunt in hoc Concilio ?*

RESP. 1. Definitum est Concilium esse supra S. Pontificem. *Sess.* 4 et 5.

2. Damnati sunt 45 Articuli Joannis Wiclefi, jussumque est omnes ejus libros et ossa exhumata comburi. *Sess.* 8.

3. Pronuntiata est sententia depositionis in Joannem XXIII qui sententiæ acquievit, depositis Pontificalibus insigniis. *Sess.* 12.

4. Gregorius XII per procuratores Papatum resignavit, quæ resignatio admissa fuit a Synodo. *Sess.* 14.

5. Damnati sunt 31 Articuli Joannis Huss qui, nolens resipiscere, fuit cum suis libris crematus. *Sess.* 15.

6. Hieronymus de Praga, de hæresi convictus, suam ejuravit hæresim, in quam paulo post relapsus traditus est brachio sæculari, a quo vivens exustus est. *Sess.* 20 et 21.

7. Benedictus XIII Antipapa e Pontificatu fuit depositus, omnesque fideles ab ejus obedientia fuerunt absoluti. *Sess.* 37. Postea electus est Martinus V.

8. Sess. 45. Martinus V dixit : *Quod omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter tenere, et inviolabiliter observare volebat... ipsaque sic conciliariter facta approbat, et ratificat, et non aliter, nec alio modo.*

Quæres 3. *An Concilium Constantiense sit legitimum ?*

Resp. Circa hanc quæstionem duæ sunt opiniones.

Prima est eorum, qui docent Concilium Constantiense esse partim legitimum, partim illegitimum; est legitimum, inquiunt, in iis sess. in quibus damnati sunt errores Joann. Wiclefi, et Joan. Huss : fuit vero illegitimum in iis sess. in quibus definiit S. Pontificem esse Concilio inferiorem.

Quod si objicitur *Martinum V* approbasse omnia Concilii Constantiensis decreta,

Respondent Martinum V approbasse omnia decreta Concilii facta *conciliariter, et non aliter, nec alio modo*, id est, per modum aliorum Conciliorum legitimorum, in quibus nihil de fide determinari solet, nisi præsidente Summo Pontifice, nisi prævio diligenti examine, et nisi præsentibus omnibus aut plerisque Patribus, qui venturi exspectantur : illud autem quod, sess. 4 et 5 conclusum est, nec a Pontifice habebatur ut res ad fidem pertinens, sed ut res ad disciplinam tempore schismatis determinandam, nec *conciliariter* actum est; nam ab iis solis qui erant de obedientia Joannis XXII.

qui jam e Concilio recesserat, decretum illud emanavit, de quo *Joannes* amare conquestus est, et *cui aliæ duæ obedientiæ scilicet Greyorii XII et Benedicti XIII apertissima contradictione se opposuerunt, et eorum contradictio fuit acceptata,* ait Cardinalis de Turre-Cremata [1] qui Concilio adfuit.

Si objiciatur 2. Concilium Constantiense repræsentasse universam Ecclesiam, quando decretum de superioritate Concilii supra Papam edidit; ergo fuit factum *conciliariter.*

Respondent negando ant. Nam illud decretum editum est ab aliquibus Patribus obedientiæ Joannis XXIII, jam absentis; porro Concilium Constantiense non repræsentavit Ecclesiam universam, nisi quando Reges, Principes, et Prælati obedientiæ Benedicti XIII nova facta convocatione Concilii, per suos oratores se unierunt præfatæ congregationi ad pacem dandam universali Ecclesiæ, quod factum est sess. 37.

Si objiciatur 3. Martinum V approbasse omnia decreta fidei; atqui hæc quæstio, *Utrum Concilium sit supra Papam,* pertinet ad fidem. Ergo.

Resp. 1. *Dist. ant.* Probavit omnia decreta fidei, quæ spectant errorem Joannis Wiclefi et Huss, *conc.;* alia, *neg.* : unde quando *Martinus V* recenset Hæreticorum errores, quæstionis illius : *An Concil. sit supra Papam,* non meminit; quinimo contrarium satis significavit, quando asseruit istum articulum : *Papa legitime electus, est successor B. Petri habens supremam potestatem in Ecclesia Dei.*

Resp. 2. *Dist. min.* Hæc quæstio, *utrum Concilium sit supra Papam,* pertinet ad fidem quando consideratur ut dogma, *conc.;* quando consideratur ut reformatio disciplinæ, *neg.* Porro schismatis tempore sic consideratur.

Secunda sententia est eorum qui volunt Concilium Constantiense esse secundum omnes suas partes legitimum et œcumenicum; verum hi iterum circa superioritatem Concilii dividuntur in duas classes; namque

[1] *Summa de Eccles.*, l. 2, cap. 99.

Alii, maxime Galli, docent illud decretum, sess. 4 et 5 editum, spectare quamlibet Synodum generalem, atque absolute definire, *quemlibet cujuscumque dignitatis etiamsi Papalis existat, debere obedire Concilio.*

Alii e contra volunt Concilium locutum fuisse non *absolute*, sed *restricte*, de illa Synodo, quæ celebratur tempore schismatis, quando, scilicet, nullus est Papa indubius, vultque quemlibet, etiamsi Papali dignitate præfulgeat, Concilio isti obedire teneri *in his quæ ad fidem pertinent, et extirpationem præsentis schismatis;* contra quos

Qui *Galli*, Concilium Constantiense declarat : *Quod quicumque, cujuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis et præceptis hujus sacræ Synodi, et cujuscunque alterius Concilii generalis legitime congregati super præmissis, sive ad ea pertinentibus factis aut faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, etc., debite puniatur.* Ergo decretum Constantiense non restringitur ad Concilium tempore schismatis celebratum, sed omnia ad Concilia generalia se extendit.

Resp. *alii, neg. conseq.* Quia, inquiunt, licet hic fiat extensio ad omnia alia Concilia, tamen reperitur præmissa restrictio in verbis, *super præmissis* (id est, super auctoritate Conciliorum supra Pontifices tempore schismatis), *seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis;* quis enim hæc verba extra propositum particulare Pontificum dubiorum referat?

§ XVIII.

De Concilio Basilecnsi generali.

Nota. Martinus V, in Concilio Constantiensi, *Papiæ* aliud celebrandum indixerat, quod propter pestem *Papiam* vastantem, transtulit *Senas*, ubi habita est prima sessio, in qua Wiclefitarum et Hussitarum damnatio fuit confirmata; deinde, ob exiguum Prælatorum numerum, et ingruentes undique bellorum procellas, Concilium Senense dissolvit, et aliud septennio post, *Basileæ* celebrandum, indixit, qui

reipsa *Julianum Cæsarinum* S. Angeli Cardinalem misit, et præsidem constituit; mortuo interim *Martino*, ei suffectus est *Eugenius IV*, qui Concilii indictionem ratam habuit, et ut eodem *Juliano* præside celebraretur, edixit, an. 1431.

Quæres 1. *Quam ob causam coactum fuit Concilium Basileense?*

Resp. Triplici de causa: 1. Ad extirpationem hæresis Bohæmorum. 2. Ad pacem inter Principes Christianos conciliandam. 3. Ad Cleri reformationem.

Quæres 2. *Quænam gesta sunt in hoc Concilio, et quibus præsidentibus?*

Resp. 1. Sessio prima habita est præside Cardinali *Juliano*, legato *Eugenii IV*, qui videns quod Synodus, sub specie reformandæ Ecclesiæ, cogitaret de nonnullis, iisque præcipuis, abolendis Romanæ Ecclesiæ privilegiis, *Julianum* legatum revocavit, Concilium dissolvit, atque aliud post annum cum dimidio, *Bononiæ* celebrandum, indixit, ea potissimum de causa, quod ineundæ Græcorum cum Latinis unioni, *Bononia*, a Græcis electa, commodior videretur quam *Basilea*, seque illi cum Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adfuturum promisit.

2. Non obstante revocatione ab Eugenio facta, Patres Basileenses continuaverunt sessiones, in quibus *Ludovicus Alemanus* Cardinalis, et Arelatensis Episcopus, præsidentiam sine Pontificis facultate assumpsit.

3. Patres citarunt *Eugenium* sess. 12 atque orarunt, ut dissolutionem Concilii revocaret, decreta facta approbaret, legitime inchoatum et continuatum declararet, atque Concilio adhæreret; quæ si non faceret, contumax et ab omni administratione Papatus suspenderetur, omnesque subditi ab ejus obedientia, fidelitate, et juramento absolverentur; quibus postulatis Papa unitati Ecclesiæ consulens, satisfecit, sess. 16, dissolutionem Concilii irritam declaravit, Concilii continuationem approbavit, atque legatos iterum misit ad Concilium.

4. Concilium, sess. 18, iteravit decretum de Concilii supra Papam superioritate, quam ob causam legati Eugenii secundo discessere, ac Eugenius Concilium Basileense transtulit Ferrariam, anno 1437, quo major pars Præsulum Basileensium transiit cum Summo Pontifice Eugenio IV, qui propter pestem Ferrariæ grassantem, Concilium post 16 sessionem transtulit Florentiam, a quo loco Florentinum dictum est.

5. Pars Patrum, qui Basileæ remanserunt, Concilium continuaverunt, a sess. 25 ad sess. 45, in quibus irritaverunt Bullas translationis Concilii, definierunt superioritatem Concilii supra Papam esse veritatem fidei divinæ, atque deposuerunt Eugenium IV, in cujus locum elegerunt *Amadeum* Ducem Sabaudiæ, cui *Felicis V* nomen imposuerunt.

6. Concilium Basileæ transtulerunt Lausanam, ubi plures habitæ sunt sessiones, sed in quibus nihil aliud memorabile gestum, præterquam quod Felix Antipapa, ad pacem Ecclesiæ dandam, abdicavit.

Quæres 3. *An Concilium Basileense sit legitimum?*

Resp. 1. Conveniunt omnes illud non fuisse œcumenicum, sed degenerasse in merum Conciliabulum a sess. 25 usque ad ultimam, quia tunc Papa, qui secundo dissolvit Concilium, illudque transtulit Ferrariam, ipsi amplius non adhæsit, sicut nec sanior pars Concilii, quæ cum Summo Pontifice Ferrariam advenerat.

Resp. 2. Circa alias sessiones duplex est sententia.

Prima, quæ propugnatur in Italia, Hispania, Germania, etc., docet Concilium Basileense initio quidem fuisse legitimum; sed ubi primum Eugenius IV ei amplius non adhæsit (nempe post primam sessionem), illud factum fuisse illegitimum, nec a Nicolao V fuisse confirmatum, nisi in iis solis, quæ definita fuerant circa beneficia et censuras Ecclesiasticas; in aliis vero fuisse reprobatum ab Eugenio IV, ut testantur Patres Basileæ congregati, sess. 38, et a Con-

ciliis Florentino et Lateranensi V, in quo vocatur *Conciliabulum omni robore carens.*

Secunda sententia, quæ in Gallia propugnatur, docet illud fuisse legitimum et œcumenicum a prima sessione usque ad 25, quia: 1. A Summo Pontifice, qui ei per Julianum Cardinalem S. Angeli præsedit, fuit convocatum 2. Quia Eugenius IV, in Bullis pro revocatione translationis Concilii in civitatem Bononiensem, illud adhuc vocat Concilium generale. 3. Quia approbatum fuit a Nicoalo V et Pio II, Summis Pontificibus : verum

Resp. *ad 1 contrariæ sententiæ vindices:* Equidem Concilium Basileense fuisse legitime convocatum et inchoatum, et consequenter in hoc fuisse legitimum et œcumenicum; verum cum post primam sessionem Eugenius IV Concilium dissolvit, et legatum suum revocavit, evasisse illegitum.

Inst. *Galli :* Equidem Eugenius IV dissolvit Concilium, sed postea, nimirum sess. 16, Bullas et duas Litteras pro Concilii dissolutione et illius translatione in civitatem Bononiensem revocavit et annullavit, declaravitque illud Concilium a principio inchoationis suæ fuisse et esse legitime congregatum; ergo per dissolutionem quam Eugenius IV fecit Concilii, illud non cessavit esse generale et œcumenicum.

Resp. *alii,* ex irritatione Bullæ pro dissolutione Concilii editæ, hoc unice colligi posse, nimirum sessiones post talem revocationem legitime celebrandas fore, sed non sequitur sessiones, quæ habitæ sunt a die dissolutionis usque ad illius dissolutionis revocationem, fuisse legitimas.

Contra *instant Galli :* Eugenius IV in Bulla dissolutionis Concilii revocatoria, sic loquitur : *Decernimus et declaramus præfatum Concilium Basileense a tempore prædictæ inchoationis suæ legitime continuatum fuisse et esse.* Ergo sessiones, quæ habitæ sunt ante revocationem dissolutionis Concilii, fuerunt legitimæ.

Resp. *alii, neg. conseq.* Quia Eugenius IV illis verbis bene approbavit progressum Concilii, non vero ejus decreta : ita se explicavit Eugenius in disputatione publica, in qua respondebat Joann. de Turre Cremata : *Nos quidem,* inquit, *bene progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet ut incœperat, non tamen approbamus ejus decreta.* Ita testatur ipse Turre Cremata [1], et ipsimet Patres Basileæ congregati, sess. 38, fatentur Eugenium IV damnare et reprobare veritates de præeminentia Concilii, quas ipsi Basileenses, veritates fidei esse asserebant.

Ad secundam probationem respondent Itali : Eugenium IV in Bulla dissolutionis Concilii revocatoria, illud appellasse *generale* Concilium, non vero legitimum et œcumenicum, ad quod requiritur confirmatio et approbatio Pontificia, juxta illud sancti Damasi Papæ, Epistol. 2 ad Stephanum et Concilium Africanum : *Nulla unquam Concilia leguntur rata, quæ Apostolica auctoritate non sunt fulta.*

Ad tertiam probationem respondent, negando Nicolaum V approbasse Concilium Basileense quoad omnia; nam illud solum approbavit quoad ea decreta quæ spectant beneficia et censuras Ecclesiasticas, ut videre est in ejus Bulla, relata in summa Conciliorum, tom. 1, pag. 99, et asserit Duvallius Doctor Parisiensis [2], dicens : *Hoc Concilium* (Basileense) *pro beneficiorum pragmaticis tantum recipitur; nec unquam Pontificis calculo, qui ad Conciliorum firmitatem et valorem est necessarius, fuit confirmatum.*

Quoad Pium II respondent : Quod de facto approbaverit decreta Basileensia, ipsisque firmiter adhæserit cum esset junior et simplex Clericus; verum senior factus, inquiunt, et ab ipsa veritate convictus, mutavit sententiam, atque cum ad Pontificatum fuit evectus, scripsit Bullam retractationum Concilii Basileensis pro Eugenio IV, quæ exstat

[1] Libro 2, *de Ecclesia*, cap. 100. — [2] Elencho libelli *de Eccles. pot. contra Anonym.*

tom. 4 Conciliorum, in qua retractat quidquid contra primæ Sedis auctoritatem dixerat, vel scripserat, dicens : *Nos homines sumus, et ut homines erravimus; neque imus inficias multa quæ diximus, scripsimus, egimus, damnari posse. Verum... dilectiones vestras hortamur et in Domino commonemus, ne prioribus illis scriptis inhæreatis, aut fidem illam præstetis, quæ supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem quovis pacto elidunt, aut aliquid astruunt, quod sacrosancta non amplectitur Romana Ecclesia;... sequimini quæ nunc dicimus, et seni magis quam juveni credite, nec privatum hominem pluris facite quam Pontificem, Æneam rejicite, Pium recipite.* Postea addit : *Dicent fortasse aliqui cum Pontificatu hanc nobis opinionem advenisse, et cum dignitate mutatam esse sententiam, haud ita est, longe aliter actum.* Et post enumeratos homines et facta, quæ ipsum in errorem induxerant, enumerat eos, a quibus fuit in viam veritatis adductus : *Quibus consideratis,* ait, *caligo tandem ab oculis nostris cecidit. Recognovimus errorem nostrum, venimus Romam, Basileense dogma rejecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput submisimus, et reconciliati Ecclesiæ Romanæ doctrinam ejus imbuimus;... eramusque adhuc pene Laici quando ad Eugenii obedientiam redivimus. Ex Basilea, clericali tantum charactere insigniti, recessimus, nec unquam sacros imbuimus ordines, nisi post veritatem cognitam, Basileensi cæcitate relicta... Hæc est conversatio nostra, per hos gradus a tenebris aa lucem migravimus.*

Deinde probat ex Scripturis et traditione supremam Vicarii Christi auctoritatem ; sicque concludit : *Si quæ vel vobis, vel aliis conscripsimus aliquando quæ huic doctrinæ repugnet, illa tanquam erronea, et juvenilis animi parum pensata judicia revocamus, atque omnino respuimus.*

§ XIX.

De Concilio Florentino.

Nota. Concilium Florentinum illud est, quod cum Ferrariæ ab Eugenio IV et saniori parte Concilii Basileensis,

anno 1438 inchoatum esset, ob pestem quotidie gravius ingravescentem, Florentiam translatum est, ibique anno 1439 fuit absolutum, imperante in Occidente Alberto II. Indictum fuit ad unionem Græcorum cum Latinis; ipsi adfuere ex Occidentalibus Eugenius IV præses, 8 Cardinales, 51 Episcopi, et plures tum Abbates, tum Ordinum Generales et Doctores. Ex Orientalibus, Joannes Paleologus Imperator, Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, Basilius Patriarcha Jerosolymitanus, Vicarii Patriarcharum Alexandrini et Antiocheni, multique Archiepiscopi, et Episcopi.

QUÆRES 3. *Quænam gesta sunt in hoc Concilio?*

RESP. Editum est utriusque Ecclesiæ decretum, cui omnes, tum Græci, tum Latini subscripsere, in quo definitum est :

1. Quod Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedat, quodque particula *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, jure ac merito addita sit Symbolo. 2. Quod sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter conficitur, Sacerdotesque debere in alterutro ipsum Domini Corpus conficere, unumquemque scilicet juxta suæ sive Occidentalis, sive Orientalis Ecclesiæ morem. 3. Quod animæ in charitate decedentes, antequam dignis pœnitentiæ fructibus pro peccatis commissis satisfecerint, pœnis Purgatorii post mortem purgentur, eisque prosint vivorum suffragia. 4. Quod Romanus Pontifex in universum orbem teneat principatum, quod sit verus Petri successor et Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, etc.

QUÆRES 2. *An Concilium Florentinum sit œcumenicum?*

RESP. *affirm.* Nam : 1. Ab Eugenio IV fuit convocatum. 2. Eugenius ei præsedit per se. 3. Universalem repræsentabat Ecclesiam, ut patet; unde Eugenius IV declarat suum decretum editum fuisse, *sacro approbante œcumenico Concilio Florentino.*

§ XX.

De Concilio Lateranensi V.

Nota. Anno 1511 aliqui Cardinales adversus Julium II Conciliabulum Pisis convocarunt, eo videlicet prætextu, quod Julius non staret juramento in sua electione præstito, de generali convocando Concilio intra primum a sua consecratione biennium; quod cum Julius dolens cerneret, ad subito medendum nascentis schismatis malo, necnon ad reformandos Ecclesiæ mores, inter principes Christianos ineundam ac promovendam in Turcas expeditionem sanctam, convocavit Concilium Romæ apud Lateranum celebrandum, anno 1512, imperante Maximiliano. Ad hoc Concilium undique vocati sunt Prælati omnes, sed ei interfuere 114 duntaxat, inter quos numerabantur Cardinales 18, Patriarchæ Orientales duo, Antiochenus et Alexandrinus, cum pluribus aliis Doctoribus, et Ordinum generalibus, quibus præfuit ipse Julius II, ad 4 usque sessionem, et, ipso ad mortem ægrotante, quintæ præfuit Raphael Cardinalis Episcopus Ostiensis; cæteris vero præfuit Leo X recenter electus.

Quæres 1. *Quænam sunt gesta in illo Concilio?*

Resp. 1. Conciliabulum Pisanum fuit reprobatum. 2. Lecta fuit Bulla pro Pragmaticæ Sanctionis abrogatione. 3. Actum est de pace inter Principes Christianos componenda. 4. Montes Pietatis fuerunt approbati. 5. Publicata fuit Pragmaticæ Sanctionis abrogatio, et pacta inter Leonem X et Franciscum I regem Galliæ concordata, in locum Pragmaticæ substituta. 6. Tandem absolutum est Concilium sessione 12 et a Leone X speciali diplomate confirmatum.

Quæres 2. *An Concilium Lateranense sit œcumenicum?*

Resp. Revera est œcumenicum. Equidem senatus et academia Parisiensis, approbante Clero Gallicano, appellationem ab isto Concilio ad aliud futurum generale

interjecerunt propter abrogatam Pragmaticam Sanctionem, et substituta in illius locum concordata, quæ nuper Bononiæ inter Leonem X et Franciscum I inita erant; sed quam inepte, nemo non videt: œcumenicitas enim constat: 1. Ob convocationem, præsidentiam, et confirmationem Summi Pontificis. 2. Ob præsentiam Patriarcharum Orientalium. 3. Ob convocationem omnium Episcoporum, licet plures non adfuerint, maxime Episcopi Galli ob Concilium Pisanum, quod fovebat Rex Galliæ.

§ XXI.

De Concilio Tridentino, œcumenico ultimo.

Nota. Concilium Tridentinum a Paulo III, ad damnandos errores Lutheri, Calvini, et sequacium Novatorum, atque ad reformandam Ecclesiam fuit indictum, 1. *Mantuæ*, deinde *Vicentiæ*, postremo tandem *Tridenti*, ubi an. 1545, usque ad annum 1563 sub tribus Rom. Pontificibus, Paulo III, Julio III et Pio IV, celebratum est tempore Caroli V et Ferdinandi I, atque 25 sessionibus finitum.

Quæres 1. *Quænam sunt gesta in hoc Concilio?*

Resp. Multa in hoc Concilio circa fidem, mores et disciplinam fuerunt tractata et definita, quæ hic recensere vanum et fastidiosum foret, cum Concilium Trid. omnibus manibus teratur.

Quæres 2. *An Concilium Tridentinum sit œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam: 1. Fuit canonice convocatum a Summo Pontifice. 2. Habuit debitum præsidem, S. Pontificem, qui præsedit per suos legatos. 3. Ipsi adfuerunt ex præcipuis totius orbis Christ. provinciis Patres, numero 255, qui subscripserunt, nimirum 26 Cardinales, 3 Patriarchæ, 25 Archiepiscopi, 168 Episcopi, 36 absentium Procuratores, 7 Abbates, 8 Religiosorum Ordinum Generales, prætermissis aliis permultis magni nominis doctoribus, et insignibus viris. 4. In quæstionibus, sive fidei, sive morum, sive reformationis, nunquam definitio lata fuit sine præce-

denti maturo examine in congregationibus, tam particularibus, quam generalibus, ut refert Pallavicinus. 5. In sessionibus Episcopi aliique, quibus jus erat ferendi suffragium decisivum, suum de rebus propositis judicium liberrime ferebant per verbum *placeat*, ubi nihil in decreto mutandum esse censebant, ut asserit idem Pallavicinus. 6. A Pio IV confirmatum fuit Bulla singulari, qua illud recipi et ab omnibus observari mandatur. 7. Denique Concilii Tridentini decretis præcipuæ Christiani orbis Ecclesiæ adhæserunt, illaque tota animi submissione susceperunt, et constat ex variis omnium ditionum Conciliis, tum Nationalibus, tum Provincialibus.

Dices 1. Concilium Trid. non est receptum in Gallia; ergo a Gallis non habetur pro œcumenico.

Resp. *Dist. ant.* Non est receptum in Gallia quoad decreta fidei et morum, *nego ant.*; hæc enim lubenti animo amplexa est Ecclesia Gallicana, atque in multis Conciliis provincialibus [1] promulgavit. Quoad decreta spectantia disciplinam, *subdist.* quoad aliqua decreta, quæ regni juribus et consuetudinibus ex veterum Canonum præscripto servari solitis, adversantur, *conc. ant.*; quoad alia, *nego ant.*, nam quoad illa disciplinæ decreta fuit receptum, non solum in Conciliis provincialibus, sed maxime in Comitiis Cleri generalibus Lutetiæ Parisiorum habitis, an. 1615. Porro sicut Concilia Constantin. I, et Chalcedonense non desinunt esse œcumenica in Ecclesia Romana, quamvis nonnullos illorum Canones, sedem Constantinopolitanam spectantes, Romana non recipiat Ecclesia; ita Concilium Trid. non desinit esse œcumenicum in Gallia, quamvis aliqua disciplinæ decreta, juribus regni contraria, non recipiat Ecclesia Gallicana.

Dices 2. Prioribus Concilii sessionibus pauci adfuerunt

[1] Conc. Rhemense, an. 1564; Rothomag. an 1581; Burdigal. 1583; Turon. 1583; Bituric. 1584; Aquense, 1585; Tolosan. 1590, etc.

præsules; ergo in illis saltem session. Concilium non fuit œcumenicum.

Resp. *Nego conseq.* Nam ad Concilii œcumenicitatem non requiritur, ut omnes Patres, qui venturi expectantur, adsint omnibus sessionibus præsentes, sed requiritur et sufficit, ut omnes orbis Episcopi canonice ad Concilium vocentur, et ingens numerus eorum qui postremis sessionibus adsunt, suo judicio priores sessiones comprobent, quod factum est in Concilio Trident. ut constat ex hoc continuationis sess. 25 capitulo : *Quoniam diversis temporibus, tam sub felicis record. Paulo III, quam Julio III, multa in hoc sacro Concilio quoad dogmata et morum reformationem statuta et definita sunt, vult sancta Synodus, ut illa nunc recitentur et legantur.* Et infra recitata sunt.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX ANALYTICUS

Litteræ auctoris ad Benedictum XIV. v
Approbationes. XI *et seqq.*
Præfatio. XV
Animadversiones. in S. Theologiam. XIX

PROLEGOMENA.

DISSERTATIO 1. De essentia et divisione theologiæ. 1
Nota. (Theologia, quoad nomen, est sermo de Deo, *theos, logos*). 1
Quæres 1. Quid sit Theologia ? 2
(Est habitus mentis,— quo ex veritatibus revelatis — immediate vel mediate, — aut ex una saltem revelata, — de Deo, — rebusque divinis,— variæ conclusiones per discursum deducuntur.)
Quæres 2. Quotuplex sit Theologia ? 3
(Resp. 1° Ratione materiæ est vel *dogmatica*, vel *moralis*. 2° Ratione methodi, dogmatica est vel *positiva* vel *scholastica*.)
Colliges : (Divisio Theologiæ in positivam, scholasticam et dogmaticam, non est inter membra opposita). 3
DISSERTATIO 2. De existentia et necessitate Theologiæ. 3
Nota : (1° Theologia spectari potest vel *secundum substantiam*, vel *secundum methodum scholasticam*. 2° Aliquid potest necessarium esse vel *simpliciter* vel *secundum quid*. 3° Aliquid, etc., Ecclesiæ, non singulis, vel Ecclesiæ et singulis).
Conclusio 1. Theologia secundum substantiam sumpta, semper extitit :—spectata vero secundum methodum dialecticam, non semper extitit. 4
(Prima p. constat : ex V. T., nam Lucas : *Væ vobis...*; ex N. T., nam 1° Marc. : *Ipse ergo David.... : Ergo quod Deus...* 2° Paulus : *Ergo omnes mortui...* 3° Sic SS. Patres — confirm. ex eo quod semper fuerint scholæ Theologicæ — secund. p. constat ex historia.)

Conclusio 2. Theologia secundum substantiam spectata, simpliciter necessaria est toti Ecclesiæ, — non vero singulis fidelibus. 3
(Prim. p. constat: nam sic necessaria est ea disciplina, qua fides gignitur dispositive, nutritur, defenditur ac roboratur. — Secund. p. constat: nam Marc.: *Qui crediderit...*; Paulus: *Numquid omnes....*)
Objectiones. 7
Conclusio 3. Theologia scholastica Ecclesiæ non est absolute necessaria, — est tamen utilissima. 9
(Prim. p. constat: nam recens est scholastica. — Secund. p. constat: 1° ex Conc. Constantiensi: 2° nam scholastica addit Theologiæ tria maxime proficua: 1° stylum pressiorem ac dilucidiorem: 2° certam methodum: 3° dialecticam.)
Objectiones. 11
DISSERTATIO 3. De objecto Theologiæ. 14
Nota: 1° Objectum disciplinæ est vel *materiale*, vel *formale quo*, vel *formale quod*; 2° objectum materiale est vel *adæquatum communitatis*, vel *adæquatum attributionis*, vel *inadæquatum*. 3. Propositio potest dici revelata vel *immediate* et *explicite*, vel *virtualiter* et *mediate*.
Conclusio 1. Objectum Theologiæ *adæquatum communitatis* est Deus ipse, et res omnes quæ ad Deum aliquo modo referuntur, et ex revelatis deducuntur; objectum vero *adæquatum attributionis* est ipsemet Deus. 15
(Constat utraque pars ex definitione utriusque objecti.)
Objectiones. 15
Conclusio 2. Objectum formale *quod* Theologiæ est ipsa Divinitas. 16
(Constat ex definitione istius objecti.)
Objectiones. 16
Conclusio 3. Objectum formale *quo* Theologiæ est veracitas in revelando, quatenus per discursum theologicum applicatur. 17
(Constat ex definitione istius objecti.)
Objectiones. 18
DISSERTATIO 4. De Proprietatibus Theologiæ. 19
CAPUT 1. Qualis sit habitus mentis Theologiæ. 19
Nota: (Quinque sunt habitus mentis... certe Theologia non est intelligentia, prudentia vel ars: restat ergo expendendum:)
QUÆSTIO 1. An Theologia sit scientia? 19
Conclusio. Theologia est scientia vere ac proprie dicta, nam in ea reperiuntur evidentia et certitudo consequentiæ.
Hinc Jerem. *Dabo vobis Pastores....*
Objectiones.

Quæstio 2. Qualis scientia sit Theologia. 20
Articulus 1. Utrum Theologia sit scientia speculativa aut practica? 21
Nota : (Scientia est vel *speculativa*, vel *practica*, vel *mixta*.)
Conclusio. Theologia est speculativa et practica. 21
(Constat ex definitione verborum).
Objectiones. 21
Articulus 2. Utrum Theologia sit certior aliis scientiis naturalibus et æque certa ac fides. 22
Nota : (Certitudo est vel *objecti* vel *subjecti*).
Conclusio 1. Theologia omnibus aliis scientiis naturalibus certior est, certitudine tum objecti, — tum subjecti. 23
(Constat utraque pars ex definitione verborum)
Objectiones. 23
Conclusio 2. Conclusio Theologica non est æqualis cum fide certitudinis. 25
(Quia, Propter quod unumquodque est tale, et illud magis.)
Objectiones. 26
Articulus 3. Utrum Theologia nostra sit subalterna scientiæ beatorum? 27
Conclusio. Theologia nostra improprie quidem, — sed non proprie, est subalterna scientiæ beatorum. 27
(Prim. p. constat : nam ad hoc sufficit ut, 1. Subalternans sit superior subalterna; 2. subalterna ordinetur ad comparandam subalternantem — Secund. p. constat, nam ad propriam subalternationem requiritur : 1. ut subalternæ sit idem objectum ac subalternanti, sed contractum per rationem realem accidentalem a subalternante non consideratam. 2. Ut subalterna desumat principia a subalternante. 3. Ut utraque sit compatibilis in eodem subjecto.)
Objectiones. 28
Quæstio 3. An theologia sit sapientia? 28
(Affirm. : nam 1° sic Scriptura; Paulus : *Sapientiam loquimur...* Luc. : *Dabo vobis os, et...;* et sic Patres ; 2° sic ratio : etenim sapientia est cognitio rerum altissimarum per altissimas causas.)
Objectiones. 29
Caput II. Utrum theologia sit supernaturalis? 30
Nota : (Non agitur de theologia *præsuppositive*, sed *entitative* sumpta.)
Conclusio. Theologia est habitus mere naturalis. 30
(Nam illius ratio formalis specificativa est mere naturalis.)
Objectiones. 1

TRACTATUS DE REVELATIONE, SEU DE VERA RELIGIONE.

DISSERTATIO UNICA. 32

CAPUT I. De divinæ supernaturalis revelationis possibilitate. 33

Nota: (1° Religio, ut hic sumitur, est societas inter Deum et hominem, fundata in relationibus quæ necessario exstant inter creaturas rationales et Creatorem. Unde oritur a *religare*. — 2° Revelatio, ut hic sumitur, est alicujus veritatis vel plurium manifestatio a Deo hominibus facta: Quæ fit modo supernaturali, *divina* vocatur. — 3° Revelatio est: 1° Vel *particularis* vel *communis;* 2° vel *immediata* vel *mediata*. — 3° Ex iis quæ Deus revelare potest, alia *non superant,* alia, nempe mysteria, *superant* captum hominis.)

Conclusio 1. Possibilis est divina revelatio immediata. 34

(Nam repugnat ex parte, nec 1° Dei; nec 2° hominis; nec 3° rei revelatæ.)

Objectiones. 35

Conclusio 2. Possibilis est divina revelatio mediata. 36

(Nam: 1° homo potest communicare quæ audivit, alii ea recipere. 2° Illud admittendum est quod ubique et semper fuit admissum: 3° Est maxime utilis.)

Objectiones. 37

Conclusio 3. Possibilis est revelatio veritatum quæ rationis humanæ captum superant. 38

Nota: (Mysterium hic accipitur pro veritate cujus terminos cognoscentes, terminorum nexum non assequimur.)

Constat conclusio 1°: ex ignorantia multorum in qua versamur. 2° ex supremo Dei in creaturæ rationalis facultates dominio. 3° ex comparatione hominis ad cæcum. 4° ex ipsiusmet rationis postulatis et praxi.)

Objectiones. 40

CAPUT II. De revelationis necessitate. 45

Nota: (1° Revelatio divina est supernaturalis Dei operatio, etc. 2° Deistæ legem, quam vocant naturalem, perfectam putantes, nos arguunt quasi rationis humanæ viribus injuriam inferentes. 3° Objectum revelationis est vel veritas ordinis superioris, supra sive inventionem, sive captum hominis posita, vel veritas rationis limitibus et lege dicta naturali contenta.)

Conclusio 1. Nullus populus, divina revelatione destitutus accuratam Dei notitiam habuit: — nullus dignum Deo cultum exhibuit: — nullus qui in absurdos contra sanæ moralis principia errores delapsus non fuerit. Ergo necessaria etc. 46

(Tres partes constant ex historia.)

Objectiones.
Conclusio 2: Generis humani, in omnem errorem et pravitatem prolapsi, reformationi philosophia præsidere noluit, nec potuit. Ergo necessaria etc. 53
(*Prim. p.* constat: nam ad hoc illis deerant *zelus* veritatis, *fortitudo* animi, *charitas* proximi. *Secund. p.* constat: nam illis deerant *unitas, auctoritas* et *sanctio.*)
Objectiones. 56
Conclusio 3. Humana ratio ex se motiva sufficientia non præbet ad homines in officio continendos et a vitiis retrahendos. Ergo, etiam in his quæ rationis lumine cognosci possunt, necessaria, etc. 59
Nota: Lex omnis constat *præcepto* et *sanctione.* In lege perfecta utrumque debet esse perfectum. Ergo, etc.)
(Conclusio constat 1° Ex multorum inaptitudine; 2° ex passionum vehementia; 3° quia virtus sæpe quasi stultitia videtur; 4° quia qui in conflictu reperiuntur facile cedunt, seipsos decipiendo; 5° quia ratio nihil certi et positivi statuit de cultu, de præmiis, etc.)
Objectiones. 60
Conclusio 4. Plurima sunt humanæ rationi impervia quorum tamen notitia summopere hominis interest. Ergo necessaria, etc. 63
Nota: (Hactenus de rebus per rationem cognoscibilibus; nunc, etc.)
(Conclusio prob., nam: 1° Origo conflictus carnis et spiritus: 2° Cultus Deo debiti species: 3° Via gratiæ post peccatum: hæc tam gravia sunt humanæ rationi impervia.)
Corollaria. (1° Quando religio aliqua ut divinitus revelata propenitur, hominem non licet esse indifferentem. 2° Optima veræ revelationis indagandæ via est examen auctoritatis, non vero philosophica rerum et veritatum, quæ revelatæ dicuntur, disquisitio. 3° Eæ sunt rationis partes ad amplectendum religionem revelatam, ut motiva credibilitatis expendat.) 64
CAPUT III. De notis divinæ ac supernaturalis revelationis. 65
Nota: (1° Notæ sunt necessariæ—sunt aliæ *positivæ,* aliæ *negativæ.* 2° Revelata doctrina non potest pugnare cum ratione. 3° Revelatio revelationi non opponitur. 4° Suspicio gravis est doctrinam non esse revelatam, quæ gloriam Dei et veram hominis felicitatem non promovet. 5° Vix credibilis est *ordinarie* revelatio allata per præcones virtute non conspicuos. Hæc notæ negativæ. 6° Notæ positivæ sunt miracula et prophetiæ. 7° Miraculum et prophetiam respuunt Deistæ. Unde:
ARTICULUS 1. De miraculis. 67

Nota : (Alii possibilitatem, alii vim probantem negant. Unde :) § 1. De miraculi natura et definitione. 67
(Miraculum, a *mirando* dictum, definitur : 1° Non satis accurate a Lockio : *Operatio sensibilis, quæ excedens captum spectatoris et cursui naturæ contraria credita, ab eo divina prædicatur.* 2° Haud felicius a Clarckio : *Opus entis homini superioris, scilicet angeli, sive boni sive mali.* 3° Haud felicius ab Abbate de Houteville : *Effectus rarus et stupendus ex legum generalium concentu et harmonia dimanans.* 4° Recte : *Opus sensibile, stupendum, ordini Providentiæ consueto et naturæ legibus contrarium.*
Scholium. (Ergo miraculum dicitur, respectu ad nos, suspensio vel derogatio vel violatio legum quibus corpora reguntur, fitque *supra* vel *præter* vel *contra* naturam corporum. Miracula sunt vel *primi* vel *secundi ordinis*. Ad majorem claritatem, nota miracula, quoad effectum physicum, esse vel *transformationes*, vel *alterationes*, vel *meras translationes*.) 69
§ 2. De miraculorum possibilitate. 70
Conclusio : Possibilia sunt miracula. 70
(*Prob.* ex defectu repugnantiæ, sive ex parte materiæ, sive ex parte Dei, sive ex parte hominis. *Confirm.* ex populorum consensu.)
Objectiones. 71
§ 3. De causis et auctoribus miraculorum. 73
Nota : (Causa efficiens est ea quæ operatur effectum, estque vel *principalis*, vel *instrumentalis*, est etiam vel *sui juris* vel *ministerialis*. — Distingue inter virtutem naturalem *in potentia* et virtutem *expeditam*.)
Conclusio 1. Deus solus est causa efficiens et principalis miraculorum, saltem proprie dictorum. 73
(Constat ex miraculi definitione. — Ac Psalmista : *Benedictus Dominus... qui facit...*; et : *Quis Deus magnus... tu es qui facis...*, et : *Qui fecit mirabilia....*)
Conclusio 2. Homines etiam mali possunt esse causa instrumentalis miraculi, etiam proprie dicti. 73
(Quia non requiritur sanctitas. Hinc in Matth. : *Multi mihi dicent : Domine...* Certum est homini, sive bono sive malo, nullam esse virtutem nisi impetratoriam et instrumentalem ad miracula, etiam improprie dicta.)
Quæritur utrum Angeli, sive boni sive mali, virtute sua naturali possint miracula improprie dicta operari? 74
(Quatuor sunt sententiæ.)
§ 4. De vi probante miraculorum. 75

Conclusio : Miracula certissimam notam exhibent ad dignoscendam divinam ac supernaturalem revelationem. 75
(Nam: 1° Deus veritas: 2° Deus bonus est.)
Objectiones. 77
(Desumptæ ex ratione, — ex dæmonum efficacia, — ex historia, — ex defectu certitudinis, — ex intima hominis vi efficacia.)
Corollarium. (Ergo miraculum, in se et independenter a prophetia, vim habet probandi, quamvis novum splendorem ex prophetiis mutuetur.). 88
ARTICULUS 2. De Prophetiis. 88
Nota : Eædem erunt quæstiones ac pro miraculo, excepta quæstione de causis; nam prophetia est miraculum. Ergo ...)
§ 1. De natura et definitione prophetiæ.
(Prophetia est : *prædictio futuri, quod a libera hominis aut etiam ipsius Dei voluntate pendet.* — Prophetia est genus miraculi, sed præ miraculo hoc habet quod probationem suam sibi suppeditat, ratione *prænuntiationis* et *verificationis actualis.* — Non tamen semper expectanda verificatio actualis, saltem *explicita.*)
§ 2. De Prophetiæ possibilitate. 90
Nota : (Hanc negarunt Colophornius... Spinosa... Rationalistæ.)
Conclusio : Prophetia est possibilis. 90
(Nam repugnat ex parte nec 1° Dei, nec 2° hominis.)
Objectiones. 90
§ 3. De vi et efficacia prophetiæ ad probandam divinitatem revelationis. 91
Nota : (Hæc contra Rationalistas.)
Conclusio : Prophetia est irrefragabile divinæ ac supernaturalis revelationis argumentum. 92
Prob. 1° Deus est illius causa : 2° A natura impellimur ad assentiendum religioni in cujus gratiam militant prophetiæ. — *Conf.* ex facto.
Objectiones. 92
CAPUT IV. De existentia divinæ ac supernaturalis revelationis. 94
Nota : (Nunc ad existentiam revelationis accedamus. Contra rationalistas dico : triplex facta fuit, nempe *Primitiva, Mosaica,* et *Christiana,* et nulla alia fuit vel erit. Est quæstio *facti;* ergo monumentis dirimenda. — Unde :)
ÆSTIO 1. De revelatione primitiva. 95
Nota : (Hic agitur de revelatione, ut est complexio omnium veritatum et officiorum hominis erga Deum.)

Conclusio : Ab exordio mundi externa, divina ac supernaturalis exstitit revelatio. 95

(Constat : — 1° Ex *divino testimonio :* nam Genesis, cujus ex dicendis testimonium est ineluctabile, tradatur quod in principio homini traduntur *dogmata, præcepta* et *cultus.* 2° *Ex humano testimonio.* Est enim traditio universalis. — 3° *Ex multiplici ratione* nam : 1° Ex sanioribus doctis, nisi Deus revelasset, homo nihil certo scire nec loquelam adinvenire potuisset : quanto magis veritates supernaturales... 2. Ex dictis, non sufficit lex naturalis. 3° Deistæ dicunt quod, per principia rationis, post longum tempus, homo potest assurgere ad veritates religionis : at illud repugnat ex quadruplici ratione.)

QUÆSTIO 2. De divinis ac supernaturalibus revelationibus Mosaica et Christiana. 100

Nota : (Notæ istarum revelationum consignantur in libris *Veteris* et *Novi Testamenti.* Unde 1° de eorum auctoritate. 2° Auctoritas historica constat 1° ex authenticitate; 2° ex integritate, 3° ex veracitate. Unde:)

ARTICULUS 1. Vindicatur auctoritas historica Veteris Testamenti. 101

Nota : (De Pentateucho loquentes, de toto V. T. loquimur.)

§ 1. De Pentateuchi authenticitate et antiquitate. 101

Nota : (Id est : Moyses est author Pentateuchi; hoc contra Spinozam, Hobbium et Deistas recentiores.)

Conclusio. Codex legum judaicarum, qui Pentateuchus dicitur, coævus est Reipublicæ Hebræorum et ipsum est Moysis genuinum opus. 102

Prob. 1. Est factum constans traditione vocali et reali; constans *vocali,* nempe voce testium, 1° domesticorum, 2° externorum; *reali,* nempe monumentorum, quæ cum Pentateucho perfecte et minutatim concordant. Unde, si Pentateuchus dubius, a fortiori omnis antiquitatis liber. 2. Ex suppositionis impossibilitate, nam fieri potuit, 1° non ante Moysen; 2° non vivente Moyse; 3° non post Moysem, sive ante, sive post Christum.)

Objectiones. 105

§ 2. De Pentateuchi integritate. 109

Nota : (Liber est integer quando non adulteratus... Adulteratio fieri potest, 1° vel in *essentialibus*, vel in *levibus;* 2° vel ex industria ad confirmationem erroris, vel ex incuria amanuensium. Hic quæstio de adulterat. in essentialibus.)

Conclusio. Pentateuchus integer et incorruptus ad nos pervenit. 109

(Nam 1° Eadem traditio quæ probat authenticitatem, probat et

integritatem. 2° Corruptioni obstabant tum prophetarum et aliorum auctorum auctoritas, tum sacerdotum, Judicum, omniumque Judæorum zelus, tum libri usus et notitia, tum factorum qui in eo continentur natura. 3° Si adulteratus, vel a Judæis, vel a Paganis aut Christianis. Atqui neutrum...)
Objectiones. 112
§ 3. De Pentateuchi veritate. 116
Nota : (Est contra recentiores Deistas.)
Conclusio. Vera sunt quæ Moyses in Pentateucho scripsit. 117
(Nam Moyses 1° decipi non potuit, 2° decipere non voluit, 3° decipere non potuisset.)
Objectiones. 119
ARTICULUS 2. Vindicatur fides et auctoritas historica Novi Testamenti. 123
§ 1. De N. T. authenticitate. 124
Nota : (Est contra Deistas.)
Conclusio. Quatuor Evangelia aliique V. T. libri sunt opera vere authentica et genuina. 124
(Nam, 1. hoc testatur omnium sæculorum fides et de ea testantur 1° Catholici, 2° Hæretici, 3° Pagani. — 2. Non potuerunt esse confecti 1° viventibus Apostolis, 2° post eorum mortem.)
Objectiones. 127
§ 2. De librorum N. T. integritate. 128
Nota : (Agitur de integritate quoad essentialia.)
Conclusio. Libri N. T. sunt puri et integri quoad substantiam. 129
(Nam 1° textus originarius idem est apud sectas sibi infensissimas. 2° Tempus et auctores adulterationis citari nequeunt. 3° Si a Catholicis attentata, exprobrassent Hæretici : et vice versa. 4° Hæretici Catholicorum exemplaria adulterare non potuerunt, et vice versa.)
Objectiones. 129
3. De N. T. veritate. 131
Nota : (Hic tantum de veritate historica. — Est magni momenti quæstio.)
Conclusio. Quæ in N. T. libris narrantur facta omnimodam fidem sibi vindicant. 131
(Constat 1° ex conditione et dotibus scriptorum : 2° ex ipsa factorum natura. 3° ex modo quo referuntur. — *Confirm.* Si Apostoli decipere voluissent, vel consilium iniissent, vel non. Atqui neutrum...)
Objectiones 135

Corollaria. (Ergo 1° Moyses divinitus fuit missus, seu divina facta est ac supernaturalis in V. T. per Moysem revelatio. 143
Ergo 2° Christus fuit divinitus missus, seu divina.., etc. 144
Quæstio 3. Præcipua exponuntur argumenta quæ veram ac divinam esse Christi missionem, ac proinde divinam esse revelationem christianam comprobant. 145
Conclusio 1. Ex miraculis Christi. 145
(Nam Christus morbos sanavit, cæcos illuminavit.., etc... Atqui 1° Hæc sunt miracula: 2° hæc non suspecta: 3° tam numerosa ut omne periculum deceptionis absit: 4° omnibus observabilia. — Adde miracula Apostolorum.)
Objectiones. 146
Conclusio 2. Ex Christi resurrectione. 149
(— 1° Mors Christi est certa. — 2° Certa est resurrectio, nam ejus testes, 1° decipi non potuerunt; 2° decipere non voluerunt; 3° decipere non potuissent.)
Conclusio 3. Ex Prophetis. 153
(Nam, inter cætera, Christus 1° mortem et resurrectionem suam, 2° Templi excidium.., 3° promulgationem Evangelii... prædixit. Atqui hæc facto comprobata sunt.)
Conclusio 4. Ex martyrum fortitudine. 154
(Hoc probant 1° multitudo martyrum... 2° Tormentorum genera... 3° modus quo passi sunt martyres.)
Objectiones. 156
Conclusio 5. De religionis christianæ propagatione. 158
(Est mirabilis, nam, licet 1° præjudiciis, 2° cupiditatibus opposita, 3° humanis præsidiis destituta, 4° modis omnibus impugnata, tamen 5° statim per universum orbem religio christiana diffusa fuit.)
Objectiones. 160
Conclusio 6. Ex christianæ Religionis conservatione. 164
(Eodem modo probatur ac conclusio præcedens.)
Conclusio 7. Ex doctrinæ christianæ excellentia. 165
(Nam — digna est 1° Deo; 2° homine; 3° societate. — 4° Nemo nusquam ex philosophis eam excogitavit, vel excogitare potuit.)
Quæstio 4. Summaria et concludens præter tres præcitatas revelationes nullam fuisse divinitus factam, nullam in futurum esse faciendam. 168
(*Vide summarium...* Concluditur eo quod Christus sit finis legis. 1° Jam diu legem Mosaicam fuisse abrogatam : 2° Paganos, Islamitas, Deistas, Rationalistas et incredulos extra viam veri-

tatis currere. Unde nulla alia revelatio facta fuit... 3° Nullam aliam revelationem faciendam : 4° solam Ecclesiam catholicam integrum Christianismum constituere.)

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Quæres 1. Quid sint loci theologici? 172
(Sunt sedes ex quibus theologia sua desumit argumenta.)
Quæres 2. Quotuplicis generis sunt loci theologici? 172
(Sunt vel *interni*, vel *externi*.)
Quæres 3. Quot sunt loci theologici? 172
(Si late loqui velimus, sunt decem, nempe sex interni et quatuor externi.)
Nota 1 : (Hæc divisio locorum theol. in internos et externos non est stricta. — Omnes loci interni non eamdem vim probativam præ se ferunt.) 173
Nota 2 : (De locis theologicis dicenda in tribus tractatibus absolvuntur.) 174

TRACTATUS DE ECCLESIA.

PROLUSIONES. 174
Conclusio 1. Revelatio christiana, cujus divinam originem probavimus, illa tantum religionis capita complectitur, quæ a Christo tradita et ab Apostolis tanquam ad Christi revelationem pertinentia in orbe promulgata sunt. 174
(Constat ex ipsa definitione revelationis.)
Conclusio 2. Ad revelationem Christianam, quam divinam probavimus, omnia illa necessario pertinent quæ a Christo tradita, etc. — Illaque omnia pariter sunt amplectenda et credenda. 175
(*Prim. p.* constat : nam 1° quælibet istius revelationis veritas eodem innititur fundamento et fulcitur argumento. 2° Omnis positiva institutio a suo auctore formam habet, ita ut si partem amittat, eo ipso desinit esse quod fuit. — *Secunda p.* constat, nam : 1° ex distinctione articulorum fundamentalium sequitur posse negari plures veritates revelatas... 2° Ut in hac materia aliquid certi statueretur, oporteret ut articulus fundamentalis probetur sub ratione *necessarii* ; et non fundamentalis sub ratione *non necessarii*. Atqui impossibile. 3° Protestantes docent sine fide articulorum fundamentalium impossibile esse placere Deo et salutem obtinere. Atqui hæc fides impossibilis. — *Corollarium :* Ergo religio quæ fide divina credendum aliquid non revelatum a Christo tanquam revelatum proponit vel non continet omnia ab ipso tradita, Christi religio non est.)

Conclusio 3. Christus religionem suam universalem esse voluit et perpetuam. 180

(Nam : 1° Matth. *Prædicabitur hoc Evangelium*... Marc. : *Euntes in universum*... et : *Docete omnes gentes*. 2° Deus vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.)

Conclusio 4. Ex omnibus christianis societatibus, una tantum vera est ac integra Christi revelationem habere potest. 181

(Nam : 1° vel omnes essent falsæ : vel religio christiana sibi contradiceret. 2° Paulus : *Unum corpus... una fides*... — *Corollarium*. Ergo omnis quæ ab unica societate dissentit, vera Christi societas non est.)

Conclusio 5. Ante omnem scripturam existit societas christiana, cui divina Christi revelatio fuit tradita. 182

(Hoc verum, sive ut omnia tempora ab Adamo complectens, sive ut a Christo instituta, societas christiana sumatur : nam 1° patet de tempore legis *naturæ*. Sacra Scriptura non existente. 2° Certum sub lege *mosaica*, cum nonnisi in monte Sinai, etc... 3° Si *post* Christum, *patet* quia societas christiana existit a tempore Christi — extra Synagogam. — Atqui Evangelium Matthæus *scripsit* circa annum 40, etc... — *Corollarium* 1. Ergo Ecclesia christiana revelationi est coæva, communemque cum illa originem habet. — 2. Ergo : 1° non Ecclesia Scripturis, sed Ecclesiæ Scriptura data fuit. 2° Ecclesia existit sine Scripturis, non vice versa. 3° Existentia Ecclesiæ Christi probari *potest* absque Scripturarum testimonio, non vice versa. 4° Scripturæ ab Ecclesia recipi debent cum omnibus Ecclesiæ interpretationibus. — 3. Ergo prior omnium actuum fidei *dispositive* sumpti, quando agitur de Ecclesia Christi et Scripturis, est circa existentiam et infallibilitatem Ecclesiæ.)

Conclusio 6. Scriptura Sacra sola totam et integram Christi revelationem non continet, sed requiritur insuper traditio. 186

(Nam 1° Paulus : *Tenete traditiones*... S. Joannes declarat se multa omisisse... Paulus : *Nos talem consuetudinem*... 2° non continetur v. gr. translatio sabbati in diem Dominicam.)

Conclusio 7. Scriptura et traditio de se non tam clare divinam revelationem proponunt, ut non indigeant medio subsidiario infallibili interpretanti. 187

(Constat ex dictis, dicendis, et eo quod Scripturæ veræ sunt et aliæ falsæ, traditiones et Scriptura continentur obscuræ, etc...)

Nota : (Ex dictis patet obligationem investigandi veram Christi Ecclesiam. Ecclesia catholica solutio est omnium difficultatum.)

DISSERTATIO 1. De Ecclesia in se spectata. 188

CAP. I. De nomine et essentia Ecclesiæ. 188

Nota : (Ecclesia potest sumi *materialiter* vel *formaliter*. — Formaliter vel *late*, vel *stricte*. — Stricte vel pro Pastoribus, vel pro particulari Ecclesia, vel pro Ecclesia universali.)

Quæres 1. Quid sit Ecclesia late, seu in communi sumpta, prout complectitur Ecclesiam triumphantem, patientem et militantem? 189

(Est cœtus sanctorum, sub uno capite Christo, Deo servientium.)

Quæres 2. Quid sit Ecclesia stricte sumpta pro societate fidelium Christianorum in terra militantium? 190

(Est cœtus hominum viatorum, unius et ejusdem fidei christianæ professione, et eorumdem Sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue Rom. Pontificis, Christi in terris vicarii.)

Objectiones. 191

CAPUT II. De membris Ecclesiæ. 192

ARTICULUS 1. Utrum non baptizati sint membra Ecclesiæ? 192

Nota : (1° Non baptizati sunt vel infideles vel catechumeni. 2° Certe infideles non sunt membra Ecclesiæ, nam Paulus : *Quid enim mihi de iis?...*)

Conclusio. Catechumeni non sunt actu membra Ecclesiæ, sed tantum potentia. 192

(Nam : 1° non sunt baptizati. 2° Non admittuntur ad Sacramentorum communionem.)

Objectiones. 193

ARTICULUS 2. Utrum soli prædestinati sint membra Ecclesiæ? 194

Conclusio. Non soli prædestinati sunt membra Ecclesiæ. 194

(Nam. — 1° Ecclesia comparatur 1° areæ, 2° convivio nuptiali... 3° decem virginibus... — 2° In eam intratur per fidem et Baptismum.)

Objectiones. 195

ARTICULUS 3. Utrum soli justi sint membra Ecclesiæ? 198

Conclusio. Non soli justi, sed gravissimi etiam peccatores, sive sint occulti, sive sint publici, sunt membra Ecclesiæ secundum corpus spectatæ. 198

(Constat : 1° Ex figuris Ecclesiæ supra allatis. 2° Ex testim. S. August. 3° Quia peccatores possunt ejici ab Ecclesia et pro eis speciale est Sacramentum.)

Objectiones. 199

ARTICULUS 4. Utrum apostatæ, Hæretici et Schismatici sint membra Ecclesiæ? 202

Nota : (Quid sit apostata — Hæreticus publicus vel occultus — Schismaticus.)

Conclusio 1. Publici Hæretici et apostatænon sunt membra Ecclesiæ. 203
(Nam 1° non sunt fideles. 2° Constat ex Concil. Nicæn. 1 et Constant. 3° Sic SS. Patres : v. g. Cyprian., Hyeron., August.)
Objectiones. 204
Conclusio 2. Schismatici manifesti non sunt membra Ecclesiæ. 207
(Nam 1° non sunt pars societatis; unde *schisma*. 2° Sic SS. Patres : v. g. Hieron., Cyprian., Fulgent.)
Objectiones. 208
Conclusio 3. Hæretici et Schismatici occulti sunt membra Ecclesiæ, sed imperfecte tantum et quantum ad corpus visibile. 210
(*Prob.* S. Joan.: *Et tunc Antichristi... Confirm.* Ubi suam hæresim prodierint, *excommunicari* possunt. Ergo.)
Objectiones. 211
ARTICULUS 5. An excommunicati sint membra Ecclesiæ. 212
Conclusio : Excommunicati excommunicatione majori, sive tolerati sive non, non sunt membra Ecclesiæ? 212
(Nam: 1° Matth.: *Si Ecclesiam non audierit*... Paul.: *Cur non magis luctum*... 2° Constat ex jure can. 3° S. Aug.: Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio quod agebat (in veteri lege) interfectio.)
Objectiones. 212
CAPUT 3. De notis Ecclesiæ. 213
Quæres 1. Quid sint notæ Ecclesiæ? 213
(Sunt certa signa sensibilia per quæ vera Christi Ecclesia a falsis discernitur.)
Quæres 2. Quænam conditiones requirantur in notis veræ Ecclesiæ? 214
(Sint *propriæ, notiores ipsa Ecclesia, sensibiles.*)
Quæres 3. An illæ notæ pariant evidentem Ecclesiæ notitiam? 214
(Pariunt evidentem *evidentia credibilitatis,* non vero *evidentia veritatis simpliciter.*)
Quæres 4. An quælibet nota Ecclesiæ, seorsim sumpta, distinguat veram Ecclesiam ab Hæreticorum sectis? 214
(Distinguit *negative,* non *positive.*)
Quæres 5. Quot sint notæ veræ Ecclesiæ? 215
(Hæretici duas assignant : sinceram verbi Dei prædicationem et legitimum Sacramentorum usum; — Catholici quatuor : Unde: *Credo... Unam, sanctam...* etc.)
ARTICULUS 1. De notis Ecclesiæ ab Hæreticis assignatis. 215
Nota: (Non quæritur an Ecclesia habeat sinceram verbi Dei... etc., sed an hæc sint notæ.)
Conclusio. Neque sincera verbi Dei prædicatio, neque legitimus Sacramentorum usus sunt genuinæ Ecclesiæ Christi notæ. 215

(Nam desunt tres conditiones requisitæ.)
Objectiones. 217
ARTICULUS 2. De unitate Ecclesiæ. 220
Nota : (— 1. Ista unitas est præcipue 1° in fidei consensione; 2° in eorumdem Sacramentorum participatione : 3° in eodem regimine sub... etc. — 2. Ecclesia Romana potest sumi vel *particulariter* vel *universaliter*. — 3. Novatores docent 1° Ecclesiam esse unam conflatam ex sectis omnibus... 2° Summum Pontificem non esse centrum Ecclesiæ.)
Conclusio 1. Ecclesia est una extra quam salus obtineri non potest. 221
(*Prim. p.* constat 1° ex Scriptura; Paul. : *Solliciti servare unitatem*... Joann.: *Fiet unum ovile*... — Cant. Cantic.: *Unica mea*... 2° Ex SS. Patribus. — *Secund. p.* constat ex traditione : v. gr. Cyprian., Aug.,Fulgent.)
Objectiones. 222
Conclusio 2. Sedes Romana est centrum unitatis Ecclesiæ, ita ut non possit esse una absque subordinatione et dependentia a supremo ejus capite, Rom. Pontifice. 223
(Nam : 1° Habet primatum in universa Ecclesia. 2° Sic traditio : v. gr. Iren., Cyprian., Hieron. Optatus Milev.)
Conclusio 3. Sola Ecclesia Romano-Catholica habet unitatem, quæ veræ Christi Ecclesiæ est nota. 224
(Nam habet tria requisita ad unitatem.)
Objectiones. 225
ARTICULUS 3. De sanctitate Ecclesiæ. 227
Nota : (1. Ecclesiam Christi se esse sanctam nemo negat. — 2. Ecclesia non est sancta in singulis membris. — 3. Illius sanctitas præcipue sistit in sanctitate, 1° fundatorum; 2° doctrinæ et professionis; 3° præcipuorum membrorum.)
Conclusio. Sola Ecclesia Romana est sancta sanctitate quæ est nota veræ Christi Ecclesiæ. 228
(Nam habet et sola habet tria requisita ad hanc sanctitatem.)
Objectiones. 229
ARTICULUS 4. De catholicitate Ecclesiæ. 230
Nota : (Ecclesia dicitur catholica ab universalitate locorum per quæ diffunditur.)
Conclusio 1. Ecclesia Christi vere est catholica. 231
(Constat 1° ex Luc. : *Quoniam scriptum est et sic oportebat*... Quapropter Psal.: *Dominabitur a mari*... 2° Ex Matth. : *Euntes docete*... Paul. : *Nunquid non audierunt*... 3° Ex Patribus, v. gr. Aug., Pacian.)
Conclusio 2. Catholicæ nomen soli Ecclesiæ Romanæ convenit. 232

(Nam sola per totum orbem diffusa; — et quidem *successive* et *permanenter*.)
Objectiones. 232
ARTICULUS 5. De apostolicitate Ecclesiæ. 234
Nota : (Apostolica est, 1° ex parte doctrinæ; 2° ex parte auctoritatis.)
Conclusio 1. Sola Ecclesia Romana est apostolica ratione doctrinæ ab Apostolis usque ad nos derivatæ. 235
(Nam quodque dogma ejus legitima præscriptione probatur; — non sic pro Hæreticis.)
Conclusio 2. Sola Ecclesia Romana est apostolica ratione auctoritatis. 235
(Nam successio non est interrupta inter Pastores. — Non sic pro Hæreticis.)
Objectiones. 236
CAPUT IV. De Ecclesiæ proprietatibus. 239
Nota : (Quatuor sunt; unde :)
ARTICULUS 1. De visibilitate Ecclesiæ. 239
Nota : (1° Est visibilis singulari et eminenti perspicuitate. — 2° Novatores in principio concedebant, postea et nunc negant.)
Conclusio. Vera Christi Ecclesia est visibilis. 240
(Nam — 1° comparatur civitati supra montem, — soli, — lucernæ in candelabro. — 2° Sic e Script. eruit ratio : nam : 1° Ecclesia debet regi ab Episcopis. 2° Causæ privatorum ad eam referri debent. 3° Qui est extra illam debet eam inquirere. Atqui...)
Objectiones. 240
ARTICULUS 2. De indefectibilitate seu perpetuitate Ecclesiæ. 244
Nota : (Novatores concedunt in Ecclesiæ indefectibilitatem animæ, non vero corporis. Contra quos)
Conclusio. Ecclesia Christi visibilis est indefectibilis. 245
(Nam 1° Psalm. : *Sicut audivimus, sic...* Daniel. : *In diebus regnorum...* Matth. : *Tu es Petrus...* 2° Sic SS. Patres, v. g. Ambros., Hieron., August. 3° Pars visibilis est de essentia Ecclesiæ.)
Objectiones. 246
TICULUS 3. De auctoritate Ecclesiæ ut docentis. 249
Nota : (Hic Ecclesia sumitur pro Pastoribus. — Est contra Novatores.)
Conclusio 1. Scriptura Sacra non est supremus controversiarum judex. 249
(*Prob.* Ipsa est materia controversiæ. *Confirm.* Non est ubique

clara : nam Petrus : *Quædam difficilia intellectu...* Hinc SS. Patres ad Ecclesiam remittunt pro terminandis controversiis.)
Objectiones. 250
Conclusio 2. Privatus cujusque spiritus non est supremus judex controversiarum fidei. 251
(Notata distinctione inter *spiritum privatum* et *rationem individualem*,
Prob. Quia auctoritate compellendi partes ad acquiescendum suæ sententiæ non pollet. — *Confirm.* 1° Judex controversiarum debet esse principium unitatis. 2° Fides est impossibilis in systemate isto. 3° Hoc systema repugnat omnium antiquitatis fidelium systemati. — Unde concludo : 1° Protestantismus est principium dissolvens religionis christianæ. 2° Protestantes et Hæretici omnes nullum habent vinculum unitatis religiosæ. 3° Si apud hæterodoxos est aliquid christianismi, procedit vel ex eo quod ministri auctoritatem exercent propriam, vel ex influxu Ecclesiæ catholicæ. 4° Rationalismus, Naturalismus, etc. sunt fructus naturalis illius principii.)
Objectiones. 256
Conclusio 3. Princeps sæcularis non est judex supremus controversiarum fidei. 258
(Prob. Soli Petro dictum : *Pasce oves...* Solis Apostolis : *Euntes, docete...* — *Confirm.* ex imperatorum christianorum consensu dicentium cum Basilio Imperatore, in VIII Synodo : De nobis autem Laicis...)
Objectiones. 258
Conclusio 4. Sola Ecclesia, id est corpus Episcoporum suo capiti, Romano Pontifici, adhærentium, est supremus judex controversiarum fidei, sive spectetur in Concilio, sive extra Concilium. 259
(Prob. 1° Deuteron. : *Si difficile et ambiguum...* Hinc Paulus : *Probati sumus a Deo...* et Petrus : *Viri fratres, vos scitis...* 2° Sola accepit mandatum docendi omnes gentes et promissionem assistentiæ. — *Confirm.* ex perpetua traditione et Ecclesiæ usu.
Objectiones. 260
ARTICULUS 4. De Infallibilitate Ecclesiæ. 262
Nota. (1° Infallibilitas est duplex, *passiva* et *activa*. 2° Hic duplex quæstio, nempe :)
§ 1. Utrum Ecclesia sit infallibilis in definiendis controversiis, quæ ad fidem et mores spectant ? 263
Conclusio. Ecclesia per totum orbem dispersa est infallibilis in definiendis fidei et morum controversiis. 263

(Prob. — Matth. : *Tu es Petrus*... — Matth. : *Docete omnes*... — Joan. : *Ego rogabo Patrem*... — *Confirm.* Si Ecclesia dispersa non erat, etc... nullum esset medium efficax et semper præsens componendi controversias.)

Objectiones. 265

Quæres 1. An Ecclesia sit infallibilis in doctrina disciplinæ. 272

Nota : (Inter res faciendas, aliæ sunt immutabiles seu *morum*, aliæ mutabiles seu *disciplinæ*.)

(Resp. Sic, in disciplina generali. — Nam, Act. Apost. : *Visum est Spiritui S*... Hinc facultas Parisiensis prop. hujus veritatis destructivam censuravit. — Porro hæc potestas est 1° divinitus data ; 2° coactiva ; 3° independens.)

Quæres 2. An similiter Ecclesia sit infallibilis in doctrina morum et disciplinæ, quæ non toti Ecclesiæ communia sunt, sed quæ ad privatos homines vel ad particularem Ecclesiam referuntur ? 275

(Resp. *Negat*. quia in hoc casu judicium Ecclesiæ nititur hominum testimonio fallibili.)

Quæres 3. An Ecclesia sit infallibilis in canonizatione sanctorum ? 275

Nota : (1° Canonizatio sanctorum est sententia canonica ac definitiva, etc... 2° Est contra Wiclef, Lutherum, Calvinum.)

(Resp. *Affirm*. tum quia est infallibilis in legibus universalibus, tum quia favet testimonium S. August.)

Objectiones. 276

Quæres 4. An Ecclesia sit infallibilis in beatificatione sanctorum ? 277

Nota : (Beatificatio est licentia facta a S. Pontifice, etc...)

(Resp. *Evidenter credibile est Ecclesiam esse infallibilem, in* etc... quia maturo judicio procedit. Hinc universalis consensus.)

Quæres 5. Qua certitudine tenendum sit Ecclesiam non posse errare in canonizatione et beatificatione sanctorum ? 278

(Resp. *Non est de fide divina certum quoad beatificationem*, quia quod de fide divina est certum non eget ulteriori certitudine. — *Non est de fide divina certum quoad canonizationem*, quia nulla est istius aperta Ecclesiæ definitio. — *Ergo tantum de fide Ecclesiastica*. Sic S. Thomas. — *Resolves* asserere Ecclesiam posse errare in canonizatione, esse *erroneum, temerarium, scandalosum* et *impium*.)

Quæres 6. An Ecclesia possit errare in approbatione Ordinis Religiosi ? 279

(Resp. *Nequit errare dicernens institutum esse divinæ legi consentaneum ac proinde utilem* : Nam aliter approbaret malum.)

2. An Ecclesia sit infallibilis in censura librorum, seu in factis dogmaticis et doctrinalibus? 280

Nota · (1° Quæstio est vel *juris* vel *facti* sive *simplicis* sive *dogmatici*. 2° Hic unice quæritur an Ecclesia possit falli dum de sensu orthodoxo vel non, propositionum vel librorum, decretorie pronuntiat.)

Conclusio. Ecclesiæ judicium de sensu librorum et propositionum definientis est infallibile. 281

(Nam 1° Est infallibilis in his quæ ad fidem pertinent. 2° Ecclesia tum sua praxi, tum sua declaratione sibi judicat hanc infallibilitatem. 3° Fatentibus adversariis, Ecclesiæ judicium est infallibile circa sensum propositionis in se. Ergo similiter...)

Objectiones. 284

Quæres 1. Quomodo fideles teneantur Ecclesiæ de sensu librorum judicio subscribere et acquiescere? 291

(Resp. *Ex intimo mentis ac judicii consensu et approbatione*, nam sic Ecclesia exigit, ut constat ex bulla Alexand. VIII.)

Objectiones. 292

Quæres 2. Quo motivo tenemur credere libros ab Ecclesia ut hæreticos damnatos, tales esse? 294

(Resp. Alii dicunt nos teneri fide Ecclesiastica, cujus motivum sit infallibilis auctoritas Ecclesiæ : Alii... fide divina, cujus motivum est implicita revelatio. Nos ut postremi, quia sic *Prob.* Nam hoc pertinet indirecte et mediate ad fidem. — *Confirm.* quia fide divina credimus libros S. Aug. *de Gratia* esse Catholicos : Ergo similiter...)

Objectiones. 296

Quæres 3. Quid Ecclesia in suis censuris intelligat per sensum naturalem? 298

(Resp. In propositione *absolute* spectata, hic sensus est quem ex communi acceptione verba præ se ferunt. — In propositione *relative* sumpta, est sensus ab auctore intentus. — *Hinc* Ecclesia damnans propositionem æquivoce veram et falsam, non damnat nisi in sensu falso. — *Hinc* eadem propositio potest ab ea modo probari, modo improbari.)

Quæres 4. Utrum exigi possit ab Ecclesia, cum damnat propositiones æquivocas, ut perversum earum sensum per datas explicationes assignet? 299

(Resp. *Negat.* quia eo quod damnantur, damnantur in sensu falso.)

Quæres 5. Quas ob causas Ecclesia, in suis censuris, varios propositionum sensus non distinguit? 299

(1° Quia ad damnationem sufficit ut sit æquivoca : 2° ut Novatoribus rixandi tollat occasionem.)

DISSERTATIO 2. De Romano Pontifice et Conciliis. 300
CAPUT I. De Primatu Romani Pontificis. 300
Nota : (1° Primatus est *honoris* et *jurisdictionis.* 2° Est contra Græcos, Wiclef, Luther... etc.)
Conclusio 1. D. Petrus accepit a Christo primatum honoris et jurisdictionis in tota Ecclesia, **non solum** supra fideles, sed et supra alios Apostolos. 301
(Nam : 1° Matth. : *Tu es Petrus...* 2° Matth. : *Tibi dabo claves...* 3° Joan. : *Pasce agnos...* 4° Sic traditio — Græcorum, v. gr. Basil., Epiph., Chrys.— Latinorum, v. gr. Ambros., Hier., Leo.)
Objectiones. 303
Conclusio 2. Rom. Pontifex jure divino primatum honoris et jurisdictionis habet in tota Ecclesia.
(Nam 1° Est legitimus Petri successor. 2° Sic Concilia Nicæn., Constantinop. 1., Ephes. etc... 3° Sic SS. Patres — Græci, v. g. Iræn., Athan., Chrys., — Latini, v. gr. Aug., Cyprian., Prosper. — His adde declarationem Cleri Gallic. anno 1681.)
Objectiones. 315
CAPUT II. De Primatus S. Pontificis prærogativis. 324
Nota : (1° In *capite* Ecclesiæ maxime reperiri debent dotes Ecclesiæ, inter quas eminent *auctoritas*, de qua supra, *infallibilitas*, de qua nunc ratione juris et facti agemus. 2° S. Pontifex loquitur ex Cathedra quando, etc... 3. Ut dicatur pronuntiare ex Cathedra, requiritur : ut definitio 1. Sit de re ad fidem vel mores pertinente : 2. minus recte juxta aliquos, cum maturo examine. 3. omnino libera : 4. juncta cum anathemate.)
Conclusio 1. Rom. Pontifex ex Cathedra definiens in rebus fidei et morum infallibilis est, ejusque dogmatica decreta, etiam antequam accedat Ecclesiæ consensus, sunt prorsus irreformabilia. 325
(Nam : 1. Matth. : *Tu es Petrus...* Luc. : *Simon, Simon, ecce Satanus...* Joan. : *Pasce agnos...* 2. Sic SS. Patres, v. g. Iræn, Athan., Cyprian., Hieron., Basil., Aug., D. Thom., D. Bonav. —3. Probatur ex Conc. Chalcedon., Lugdun. II., Viennensi XV. — 4. Sic Schola Gallicana, Sorbona. — 5. Ratione constat, quia 1. Per S. Pontificem datur ut Ecclesia non erret. 2. Ex S. Pontifice pendet unitas fidei : 3. Si Ecclesiæ requiritur consensus, quid si pars æqualis neget et affirmet, etc...? Aliunde *major pars Episcoporum* stat pro nostra Conclusione. — 6. Multa absurda defluerent ex negatione.— *Hæc Conclusio est saltem fidei proxima.*)
Conclusio 2. Nullus unquam Pontifex Rom. ex Cathedra pronuntians erravit in fide aut moribus. 331

(Nam 1. Constat ex testim. S. Lucii I, Felicis I, — Agathonis, approbante VI Synodo — Leonis IX. 2. Nulla probatio contrarii afferri potest.)
Objectiones. 331
Quæres. An omnes quæ circumferuntur S. Pontificum decretales Epistolæ usque ad Siricium genuinæ sint aut supposititicæ? 342
(*Nota :* (Agitur de Epistolis quas, ex Isidori Mercatoris collectione, collectores Canonum in numerum decretalium retulere, nec earum a veteribus historiæ eccles. scriptoribus, aut SS. Patribus fit ulla mentio.)
(Resp. Communiter censetur eas esse supposititicias, magna tamen, licet non suprema per se, pollere auctoritate, in iis in quibus antiquis Canon. non adversantur.)
CAPUT III. De Conciliis. 345
QUÆSTIO UNICA. De Conciliis in genere. 345
Quæres 1. Quid sit Concilium? 345
(Est congregatio Prælatorum, legitima auctoritate convocatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiæ gravioribus.)
Quæres 2. Quotuplex sit Conciliorum genus? 345
(Generale, — nationale, — provinciale, — diœcesanum.)
ARTICULUS 1. De conditionibus requisitis in Concilio generali, ut sit legitimum et vere œcumenicum. 346
Nota : (Tria requisita : Unde)
§ 1. De legitima Conciliorum convocatione. 346
Quæres 1. Cujus sit Concil. gener. convocare? 346
(Potestas ordinaria competit Rom. Pontifici. Nam, 1. sic Concil. Nicæn. 1 affirmat. 2. Sic SS. Pontif. Marcellus et Pelagius II. 3. Solus est Ecclesiæ caput, Pastor ac Princeps.)
Objectiones. 347
Quæres 2. Quinam sunt ad Concilia vocandi? 349
(*De jure* soli Episcopi : soli habent jus suffragii decisivi tanquam judices fidei. — *Prob.* Quia solorum eorum est definire credenda et agenda. — *Confirm.* 1. ex traditione Patrum; 2. ex Conciliorum praxi.)
Objectiones. 350
§ 2. De legitima celebratione Conciliorum. 352
Quæres 1. An requiratur ut omnes omnino totius orbis Episcopi conveniant ad locum Concilii? 352
(Non; ex praxi constat.)
Quæres 2. Quis numerus Episcoporum requiratur? 352
(Non requiritur numerus determinatus. — Sufficit ut 1. convocatio omnibus majoribus Provinciis innotescat. 2. Nullus, nisi excommunicatus, Episcopus excludatur. 3. Ex majori parte pro-

vinciarum aliqui adsint, ita tamen, ut si Concilium fiat in Oriente, sufficiat multos ex Oriente, paucos ex Occid. et vice versa.)

Quæres 3. Cujus est præsidere Concilio generali? 353

(Soli S. Pontifici, vel per se, vel per legatos. — *Prob.* Solus habet primatum. — *Confirm.* Ex perpetua Concil. praxi.)

Objectiones. 355

§ 3. De legitimo exitu Conciliorum. 357

Quæres. Quid requiritur ad legitimum Conc. exitum? 357

(1. Episcopi convocati habeant suffragiorum libertatem. 2. Nullus excludatur, etiam Hæreticus, qui audiri voluerit. 3. Adhibeatur humana diligentia in inquirenda veritate. 4. Conc. approbetur ac firmetur a Rom. Pontifice.)

Articulus 2. De Conciliorum auctoritate. 359

Conclusio 1. Concil. perfecte œcumenicum, a Rom. Pontifice approbatum et confirmatum, est omnino infallibile in fidei et morum controversiis definiendis. 359

(*Prob.* 1. Ecclesia est columna et firmamentum veritatis. 2. Act. Apost. : *Visum est Spiritui S...* — *Confirm.* Ex perpetua traditione et sensu Ecclesiæ.)

Objectiones. 366

Quæres. Quibus regulis discerni possit quænam in Conciliis ad fidem catholicam pertineant? 364

(1. Si contradicentes pro Hæreticis judicentur; 2. si adest forma anathematis; 3. si contradicentes excommunicantur ipso jure; 4. si certo decreto aliquid dicatur expresse credendum, dogma fidei, vel aliquid simile. — *Hinc* non sunt fidei cathol. judicia disputationes quæ præmittuntur decretis, et argumenta gratia explicationis allata.)

Conclusio 2. Concilia particularia, nationalia nempe et provincialia, in definiendis fidei et morum controversiis, non sunt de se infallibilia. — Si tamen S. Pontificis approbatione sint firmata, sunt infallibilis fidei et morum regula. 365

(Prim. p. *constat* ex facto Conc. Carthagin., et *confirm.* ex Innoc. 1. — Secund. p. constat, quia sic ab omnibus catholicis recipiuntur hæc decreta.)

Quæres. Qualem auctoritatem habent decreta fidei a Conc. particularibus edita, quando non constat ea fuisse per S. Pontificem confirmata. 366

(Indubitata fide tenenda sunt.)

Articulus 3. De Conciliorum necessitate. 366

Conclusio 1. Concilia generalia non sunt absolute et in omni eventu necessaria. 366

(— *Prob.* Sine his possunt extingui hæreses et schismata. — *Confirm.* Quia multæ hæreses fuerunt extinctæ 1. ab Ecclesia dispersa; 2. a Concil. particularibus; 3. a Rom. Pontificibus.)
Conclusio 2. Concilia generalia sunt aliquando quodammodo absolute necessaria. 368
(Nam aliquoties sine eis nequit finis controversiis imponi.)
Quæres. In quibus casibus Concilii celebratio videtur quodammodo absolute necessaria? 368
(1. Hæresis nova a pluribus insignibus Ecclesiis propugnata quæ potest magnos inficere populos. 2. Schisma inter plures de Papatu contendentes. 3. Recuperatio Terræ Sanctæ violenter a Turcis occupatæ. 4. Reformatio generalis abusuum in Ecclesia.)
DISSERTATIO 3. De propositionum heterodoxarum censuris. 369
CAPUT 1. De modo quo propositiones heterodoxæ damnantur ab Ecclesia. 370
Nota : (1. Damnantur vel *in particulari* vel *in globo*. 2. Quæstio est tantum de damnatione in globo.)
Conclusio 1. Modus quo Ecclesia plures in globo damnat propositiones heterodoxas, est legitimus et ab omnibus approbandus. 370
(Nam constat ex praxi Ecclesiæ.)
Objectiones. 372
Conclusio 2. Ecclesiæ decreta, quibus plures in globo propositiones damnantur, sunt vere dogmatica, ipsumque mentis obsequium a fidelibus exigunt. 374
(Constat 1. Ex Concil. Constantiensi. 2. Ex SS. Pontificibus : 3. decreta ex quibus Theologi dogmata fidei confirmare solent, sunt vere dogmatica.)
Objectiones. 375
CAPUT 2. De variis censuris, quibus propositiones heterodoxæ notari solent ab Ecclesia. 276
Quæres : (Quid sit propositio 1. hæretica, 2. erronea, etc... 18. Quid intelligatur per adverbium *respective*, cum in decreto in quo plures propositiones damnantur, dicitur eas esse *respective* hæreticas, etc...? — Resp. Ad 18. Significat nullam esse ex damnatis propositionibus disjunctive, in quam non cadat una saltem ex notis quæ in decreto referuntur.) 377-382
DISSERTATIO 4. De præcipuis hæreticis 382
(Exponuntur hæreses cujusque sæculi.)

TRACTATUS DE VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO. 395

DISSERTATIO 1. De Verbo Dei scripto. 396

Nota: (Scriptura nominatur 1. Testamentum, 2. Biblia, 3. Scriptura.)
Quæres. Quid est Scriptura Sacra? 396
(Est verbum Dei, ab auctore hagiographo, afflante Spiritu S. scriptum, et ut tale ab Ecclesia nobis manifestatum.)
QUÆSTIO. 1. De Scripturæ sacræ auctoritate. 397
Nota : (Est contra 1. Anomæos, Erasmum, Spinozam; 2. quosdam recentes...)
Conclusio. Scriptura S. divina præstat auctoritate : seu est ipsummet verbum Dei ac proinde infallibilis regula fidei. 397
(Nam : Paul. : *Est Deus verax...* — Et : *Si non credimus, ille...* — Et : *Non est Deus quasi...* Atqui Joan. : *Ille docebit vos...* et Paulus : *An experimentum quæritis...*)
Objectiones. 398
QUÆSTIO 2. De Sacræ Scripturæ auctore. 401
Quæres 1. Quis est auctor principalis S. Scripturæ? 401
(Deus, nam Petr. : *Non voluntate humana...*)
Quæres 2. Quinam fuerunt authores Scripturæ instrumentales? 401
(Homines, nam Luc. : *Sicut locutus est per os...* Paul. : *Olim Deus loquens Patribus...*)
Quæres 3. Quomodo Deus scriptoribus sacris afflaverit quæ scripserunt, an per revelationem, etc... ? 401
Nota : (Quid sit revelatio, inspiratio, specialis assistentia.)
(Resp. 1. Non sufficit approbatio : 2. Non sufficit specialis assistentia : 3. Ad *plura* requisita fuit revelatio : — 4. necessaria fuit vera inspiratio : alii dicunt quoad res et verba, alii quoad res tantum : nostra autem sit.)
Conclusio. S. Scripturarum divina inspiratio est singularis ea S. Spiritus moventis ad scribendum impulsio, directio ac præsentia mentem animumque Scriptoris gubernans, quæ eum non sinit errare, efficitque ut scribat quæ velit Deus. 405
(Nam hæc notio continet omnia ad inspirationem necessaria. Deus autem non abundat in superfluis.)
Quæres. Quinam homines fuerint sacrorum librorum auctores? 407
QUÆSTIO 3. De S. Scripturarum Canone. 410
Nota : (1. Vox *Canon* sumitur 1. pro regula : 2. pro catalogo. Utrumque Scripturæ convenit. 2. Scripturæ *Sacra* et *canonica* propriis notionibus differunt. 3. Scripturæ libri alii *canonici*, alii *apocryphi*. 4. Agemus hic)
ARTICULUS 1. De Canone Judæorum. 411
Quæres 1. Quot libros continuit canon Hebræorum? 411
(22, communius.)
Quæres 2. Quomodo Hebræi dividebant suum canonem? 411
(In *Legem, Prophetas* et *Agiographos.*)

Quæres 3. Utrum apud Hebræos exstiterint alii libri : — an fuerint sacri et canonici. 412
(Ad primum. *Affirm.* — Ad secundum, *negat.* cum S. Aug.)
Quæres 4. Quisnam fuit auctor Canonis Hebræorum? 413
(Esdras : sic Irenæus, Theodoretus, etc...)
ARTICULUS 2. De Canone catholicorum. 413
Quæres 1. Cujusnam sit definire num aliquis liber sit sacer? 413
(Solius Ecclesiæ : nam, nec ipsius Scripturæ, nec spiritus privati. — *Confirm.* ex facto Antiochiæ.)
Quæres 2. Quos et quosnam libros in suo Canone recipiat Ecclesia cath.? 415
(72, nempe 45 V. Test. et 27 Novi, ut constat ex Conc. Trid.)
Quæres 3. An Canon sacrorum librorum mox laudatus primum a Conc. Trid. fuerit conditus.) 417
(Non, — sed ab antiquissimo tempore, nam traditur a Conc. Laodicensi, etc.)
Quæres 4. Quomodo dividuntur libri canonici? 418
(Resp. Dividuntur 1. in *Protocanonicos* et *Deuterocanonicos*; 2. ratione materiæ, in *legales, historicos, sapientiales* et *prophetices.*)
ARTICULUS 3. De V. Testam. libris canonicis in particulari. 418
Quæres 1. Quot sunt libri legales V. Testamenti? 418
(Quinque, qui Pentateucho comprehenduntur.)
Quæres 2. Quot sunt libri historici V. Testamenti? 419
(Sunt 17, nimirum *Josue, Judicum*, etc...)
Quæres 3. Quod sunt libri sapientales V. Testamenti? 422
(Sunt quinque, nempe : *Proverbiorum*, etc...)
Quæres 4. Quot sunt libri prophetici V. Testamenti? 423
(Aliqui numerant 16; — alii 18, quorum sex; qui diffusius scripserunt, vocantur *majores :* duodecim, qui concisius, vocantur *minores.*)
ARTICULUS 4. De N. Testam. libris canonicis in particulari. 425
Quæres 1. Quot sunt libri legales N. Testamenti? 425
(Sunt quatuor *Evangelia.*)
Quæres 2. Quot sunt libri historici N. Testamenti? 425
(Unus, nempe *Acta Apostolorum.*)
Quæres 3. Quot sunt libri sapientiales N. Testamenti? 426
(Sunt 21, nempe 14 D. Pauli et 7 *catholicæ* Epistolæ.)
Quæres 4. Quot sunt libri prophetici N. Testamenti? 426
(Unus, nempe *Apocalypsis.*)
ARTICULUS 5. De Canone Hæreticorum. 426
Quæres. Quosnam libros Hæretici ex canone deleverunt? 426
(Lutherani et Calvinistæ rejiciunt omnes libros V. Testamenti, qui

in antiquo Judæorum Canone non erant. — Lutherani soli rejiciunt Epistolam ad Hebræos, Epistolas Jacobi, Judæ, secundam Petri, secundam et tertiam Joannis et Apocalypsim.)

Objectiones. — (Contra quemque librum ab Hæreticis impugnatum.) 427

QUÆSTIO 4. De idiomate quo scripti sunt libri canonici. 441

Nota: (Duplex est **textus libri canonici,** *authographus* et *apographus.*)

Quæres 1. Quo idiomate **libri V. Test. fuerunt** conscripti? 441

Quæres 2. Quo idiomate **libri N. Test. fuerunt** conscripti? 441

QUÆSTIO 5. De variis **Scripturæ Sacræ versionibus.** 442

Nota: (Ad quatuor **referuntur præcipuas. Unde:**)

ARTICULUS 1. De editione **hebraica.** 442

Quæres 1. Quid sit **editio hebraica?** 442

Quæres 2. An editio **Esdræ sit authentica.** 442

(Resp. 1. Certissime **editio hebraica Esdræ, qua usus est D. Hieron. in sua versione, erat authentica. 2.** Textus hebraicus Esdræ, ut est apud **nos catholicos, est authenticus.**)

Quæres 3. Quænam **versiones revocentur ad** editionem hebraicam? 444

(*Chaldaica, Syriaca* et *Samaritana.*)

ARTICULUS 2. De **versionibus V. Test. Græcis.** 445

Quæres 1. Quot sunt **versiones græcæ V. Test.?** 445

(Quatuor, **nempe 1.** *Septuaginta,* **2.** *Aquilæ,* **3.** *Symmachi,* 4. *Theodotionis.*)

Quæres 2. **Quomodo LXX interpretes V. Test.** transtulerunt? 445

Quæres 3. Quanta **auctoritate pollent in Ecclesia** versio LXX? 446

(Pollet divina et **irrefragabili auctoritate.**)

Quæres 4. Cujus **auctoritatis sint versiones** Aquilæ, Symmachi et **Theodotionis.** 447

(Resp. 1. In iis **quæ ad religionem pertinent,** nullius: 2. in aliis, inservire possunt, maxime **Theodotionis.**)

ARTICULUS 3. De versionibus **latinis utriusque Testamenti.** 448

Nota: (Ante S Hieron. **erat** *Itala.* **Nostræ Vulgatæ** author est S. Hieron. hoc sensu **quod** *fere totum* **V. Test.** ex hebræo in latinum transtulit, et Nov. **ad græcum emendavit.**) Petes. Quare Ecclesia vulgatam veterem **Psalterii translationem** retineat. Videtur consuetudo.

Quæres 1. An Vulgata nostra **sit authentica?** 449

Quæres 2. Quo sensu Concilium **declaravit eam** esse authenticam? 450

Quæres 3. Quandonam licitum **sit recurrere ad fontes** pro emendatione codicum latinorum? 451

ARTICULUS 1. De vernaculis S. Scripturæ versionibus. 452
Conclusio 1. Ecclesia non prohibet absolute lectionem Scripturæ Sacræ in lingua vulgari translatæ; — sed cum non expediat eam omnibus passim concedi, — ideo justissime prohibet ut omnibus indiscriminatim concedatur (nempe in Concilio Tridentino). 452
Conclusio 2. Non convenit, in sacris mysteriis celebrandis, linguam vulgarem adhibere. 455
(Nam 1. Hoc adversatur traditioni : 2. afferret plebi detrimentum : 3. fieri posset exinde scandalum. — Hinc Conc. Trid. prohibet missam sic celebrari.)
Objectiones. 455
QUÆSTIO 6. De Scripturæ sacræ sensu. 459
Nota : (Sensus Script. est ejus genuina significatio.)
ARTICULUS 1. De sensu S. Scripturæ in genere. 459
Quæres 1. Quotuplex sit sensus S. Scripturæ. 459
(Sensus est vel *litteralis* vel *mysticus*. — Litteralis est vel proprius vel metaphoricus. — Mysticus est vel Tropologicus, vel allegoricus, vel anagogicus.)
Quæres 2. An sit de fide Scripturam sub una littera continere plures sensus ? 461
(Sic, nam expresse in Script. reperitur — Exemplum Jonæ...)
TICULUS 2. De sensu S. Scripturæ litterali et mystico. 461
Quæres 1. An sub iisdem Sacræ Scripturæ verbis aliquando multiplex sit sensus litteralis ? 461
(Sic. Est sententia communis :)
Quæres 2. Ex quo S. Scripturæ sensu Theologia certa potest deducere argumenta. 462
(Ex solo sensu litterali, nisi mysticus proponatur ab Ecclesia vel, etc...)
Quæres 3. Utrum in quolibet S. Scripturæ textu, præter sensum litteralem, contineatur aliquis sensus mysticus ? 462
(Non. Est responsio S. Augustini.)
Quæres 4. An detur aliquis textus in quo non sit sensus litteralis, sed tantum spiritualis ? 462
(Non, ut evidens est.)
ARTICULUS 3. De sensu S. Scripturæ accommodatitio. 464
Quæres 1. Quid sit sensus accommodatitius ? 464
Qæures 2. An sensus accommodatitius admitti possit ? 464
Quæres 3. Quænam conditiones requiruntur ut Scripturæ adscribatur sensus accommodatitius ? 464
(Requiruntur quatuor conditiones.)
ARTICULUS 4. De Sacræ Scripturæ interpretatione. 465

Nota : (Duplex distinguitur interpretatio : *dogmatica* et *exegetica*. De prima tantum loquimur.)

Conclusio 1. S. Scriptura, præsertim in iis quæ ad fidem et mores pertinent, non ita clara est, ut non indigeat interprete. 466

(*Prob.* 1. Ex S. Scriptura : Petrus : *In quibus sunt quædam difficilia...* — Psalm. : *Da mihi intellectum... Faciem tuam illumina... Doce me justificationes tuas.* — Luc. : *Aperuit illis sensum...* Et : *Quomodo possum, si non...* 2. Ex SS. Patribus; v. g. SS. August., Cyprian., Iren. 3. Ex exemplis : S. Matth. : *Ei qui vult tecum judicio...* Luc. : *Omnis ex vobis qui...* etc... 4. Ex adversariorum agendi ratione. Quot interpretationes de verbis : *Hoc est corpus meum.* 5. Ex adversariorum confessione. Vide testim. Lutheri et aliorum.)

Objectiones. 469

Conclusio 2. Nullum ex Protestantium systematibus sufficiens est ad recte Scripturam Sanctam interpretandam. 471

(Nam ad hoc non sufficit : 1. Scriptura ipsa : 2. Spiritus privatus. 3. Spiritus privatus per interiorem S. Spiritus illustrationem.)

Objectiones. 475

Conclusio 3. Solius Ecclesiæ est dogmaticam præbere Scripturæ S. interpretationem. 479

(Nam interpretatio ista debet esse *infallibilis* et *juridica*. Porro solius Ecclesiæ est eam præbere, ut constat 1. ex sua missione : 2. ex sua praxi.)

Objectiones. 481

QUÆSTIO 7. De regulis ad expositionem S. Scripturæ necessariis. 484

(Decem exponuntur regulæ.)

QUÆSTIO 8. De regulis ad elucidandos Hebræorum idiotismos, seu proprietates, necessariis. 488

(Quatuordecim exponuntur regulæ.)

QUÆSTIO 9. De regulis ad cognoscendos tropos et figuras Hebræorum necessariis, ex melioris notæ interpretibus excerptis. 493

(Decem exponuntur regulæ.)

QUÆSTIO 10. De iis quæ ad cautam sacrorum interpretum lectionem observanda sunt. 498

Quæres 1. Quibus indiciis falsæ inscriptiones a germanis discerni queant? 498

(Tribus, nimirum : *tempore, dogmate* et *stylo*.)

Quæres 2. Qua ratione veris sacrorum interpretum operibus supposititia irrepserint, eorumque inscriptiones usurparint? 499

(1. Ex prætermissa ab authore proprii nominis inscriptione. 2. Ex hæreticorum pravitate. 3. Ex invidia. 4. Ex nimio erga magni nominis auctorem zelo.)

DISSERTATIO 2. De Traditione et ejus mediis transmissionis. 501
Quæres 1. Quid sit traditio? 501
(Est doctrina ad fidem, mores vel disciplinam Christianam spectans, quæ in libris Canonicis non est scripta.)
Quæres 2. Quotuplex sit traditio? 501
(Triplex, nempe *divina, Apostolica* et *ecclesiastica*. Nota: 1. Traditiones aliæ sunt *perpetuæ*, aliæ *temporales*: aliæ *universales*, aliæ *particulares*, aliæ *necessariæ*, aliæ *liberæ*. 2. Hic tantum de traditione divina agitur.)
CAPUT 1. De Traditionis divinæ existentia et necessitate. (Est contra Novatores.) 502
Conclusio 1. In statu legis naturæ extiterunt traditiones divinæ. 503
(Nam Scriptura non existebat. Hinc Genes.: *Quod præcepturus filiis...*)
Conclusio 2. In lege Mosaica, præter Scripturam, extiterunt divinæ traditiones ad fidem et mores spectantes. 503
(*Prob.* Deuter. *Interroga patrem...* Eccles.: *Non te prætereat...* Psalm.: *Quanta mandavit Deus...* — *Conf.* nam ex sola traditione habebant v. g. remedium ad tollendum peccatum originale.)
Conclusio 3. In lege nova, præter verbum Dei scriptum, necessario est admittenda traditio divina, tanquam altera fidei regula. 504
(*Prob.* 1. Ex Script.; Paul.: *State et tenete...* Et: *hæc commendet fidelibus...* 2. Ex SS. Patribus: v. g. Dionys., Iren., Orig. Basil. 3. Ratione: non omnia continentur in verbo scripto.— *Conf.* omnis respublica bene instituta non tam lege scripta quam non scripta gubernatur.)
Objectiones. 506
CAPUT 2. De regulis quibus divina traditio discernitur ab Apostolica et Ecclesiastica. 514
Nota: (Divina et apostolica facile secernuntur ab Ecclesiastica; nam hæc non semper nec ubique viguit.)
Quæres. Quot sunt regulæ, quibus traditiones divinæ secerni possunt a traditionibus pure apostolicis. 514
(Ad quatuor regulas revocantur.)
CAPUT 3. De mediis quibus transmissa est primitiva dogmatica traditio, quibusque tuto cognosci potest. 515
Nota: (Distingue inter traditionem et illius media transmissionis.)
QUÆSTIO 1. De mediis generalibus quibus transmissa est primitiva dogmatica traditio, quibusque tuto cognosci potest. 516

ARTICULUS 1. De Ecclesiæ magisterio. 516
ARTICULUS 2. De Conciliorum, præsertim generalium, actis. 518
(1. Illorum acta sunt solemnia testimonia fidei. 2. Distinguenda sunt ea quæ in discussione dicuntur ab eis quæ in actibus in seruntur. 3. Non confundendum objectum definitionis cum motivo. 4. Eadem puta de SS. Pontificum constitutionibus dogmaticis. 5. Magni momenti sunt Concilia particularia, etc... vite coacta.)
ARTICULUS 3. De actis martyrum. 519
(1. Acta martyrum sunt dicta vel facta quæ, tempore martyrii, nobis reliquerunt et scriptis mandata. 2. Sunt certissima documenta. 3. Illis majus inest pondus quam SS. Patrum scriptis.)
ARTICULUS 4. De sacra Liturgia. 522
(1. Est testis omni exceptione major. 2. Si quid igitur omnium liturgiarum consensu firmatum est, tanquam Ecclesiæ testimonium habeatur. 3. A liturgiis particularibus cave. 4. Eadem puta de praxi Ecclesiæ et cultu religioso.)
ARTICULUS 5. De SS. Patribus traditionis testibus. 523
§ 1. De notione Patrum Ecclesiæ. 522
Quæres. Quinam nomine Patrum Ecclesiæ intelliguntur? 522
(Ii soli qui primis temporibus Ecclesiæ, — sanctitate — et doctrina ab Ecclesia recepta et approbata illustres, Christo filios genuerunt, genitos nutrierunt, — ac in fide et communione catholica perstiterunt. Unde quatuor conditiones essentiales.)
§ 2. De auctoritate Patrum Ecclesiæ. 524
Nota: (Hic non agitur de illorum auctoritate in quæstionibus pure philosophicis.)
Conclusio 1. Unus aut alterius Patris de rebus divinis sententia, aliis tacentibus, argumentum firmum non ministrat. 524
Conclusio 2. Plurium Patrum sententia, aliis ex altera parte, licet paucioribus, reclamantibus, multum quidem probabile, — sed non omnino certum præstare potest argumentum. 525
Conclusio 3. Unanimis SS. Patrum in aliquod dogma consensus, certissimum et infallibile argumentum præstat, estque fidei regula. 526
(*Prob.* 1. Ex S. August. Unde Conc. Nicæn. II : *Qui doctrinas SS. Patrum...* 2. Ex Conc. Ephesino, Chalcedon., Constantinop. III, Nicæn. II, Trident. — 3. Ex ratione : nam Ecclesia nequit alia via scire quid Apostoli tradiderint. — *Conf.* Si unanimiter SS. Patres errarent, sequeretur Ecclesiam errare.)
Objectiones. 527
§ 3. De cautione et discretione in legendis SS. Patrum scriptis. 530

Quæres. Quænam sunt consideranda, ut sine erroris periculo legantur scripta SS. Patrum? 530
(1. Considerandum *quo modo* scripserunt; 2. *quo tempore*, 3. *qua ætate*; 4. *qua occasione*. 5. Cum agitur de aliquo dogmate ab Hæreticis impugnato, consule præ cæteris Patres quos ad hæreses istas debellandas Deus Ecclesiæ concessit.)
Articulus 6. De scholasticis theologis, ratione humana, philosophorum placitis et historia humana. 532
§ 1. De Doctorum scholasticorum auctoritate. 532
Quæres 1. Quænam deprehenditur differentia inter theologum et SS. Patres? 532
Quæres 2. Quanta sit Doctorum scholasticorum auctoritas ad faciendam fidem? 534
(Resp. 1. Ubi Doctorum scholasticorum variæ sunt, eoque discrepantes sententiæ, major numerus non est certum veritatis argumentum. 2. Communis Theologorum sententia in re aliqua gravi argumentum subministrat ita probabile, ut nisi manifesta sit obluctandi ratio, notam temeritatis mereatur is qui refragari ausus sit. 3. Concors et constans omnium theologorum, in aliquo fidei et morum dogmate tradendo, sententia, tantæ est auctoritatis, ut ei contradicere, si non erroneum, saltem errori proximum sit.)
§ 2. De ratione naturali 535
Quæres 1. An ratio naturalis certa theologo possit suppeditare argumenta? 535
Quæres 2. An ratio naturalis theologo sit utilis? 535
Quæres 3. An ratio naturalis sit revelationi subjicienda? 536
§ 3. De philosophorum placitis. 536
Quæres 1. An philosophorum placita theologo sint utilia? 536
Quæres 2. An philosophorum placita certa theologo argumenta sufficere possint? 536
§ 4. De historia humana. 536
Quæres 1. An historia humana theologo sit utilis? 536
Quæres 2. An historia humana certa theologo possit administrare argumenta? 537
Quæres 3. Quænam conditiones requirantur ut historicus censeatur fide dignus? 537
(1. Sit rei coætaneus, 2. nunquam in rebus non multum intricatis fuerit deceptus, 3. ipsius non intersit, quod facta sic extiterint, quomodo ab eo referuntur.)
Quæstio 2. De mediis singularibus quibus antiqua traditio transmissa est atque cognoscitur. 538

ARTICULUS 1. De epigraphia. 538
ARTICULUS 2. De reliquis veterum Christianorum monumentis 539

APPENDICES.

APPENDIX 1. Series SS. Pontificum, juxta Bullarii magni chronologiam. 541
APPENDIX 2. De Conciliis in specie. 578

FINIS INDICIS ANALYTICI.

INDEX BREVIS.

Litteræ auctoris ad Benedictum XIV.
Approbationes. XI seqq.
Præfatio. XV
Animadversiones in S. Theologiam. XIX

PROLEGOMENA.

Dissertatio 1. De essentia et divisione Theologiæ 1
Dissertatio 2. De existentia et necessitate Theologiæ. 3
Dissertatio 3. De objecto Theologiæ. 14
Dissertatio 4. De proprietatibus Theologiæ. 19
Caput I. *Qualis sit habitus mentis Theologiæ?* 19
Quæstio 1. An Theologia sit scientia? 19
Quæstio 2. Qualis scientia sit Theologia? 20
Articulus 1. Utrum Theologia sit scientia speculativa aut practica? 21
Articulus 2. Utrum Theologia sit certior aliis scientiis naturalibus et æque certa ac fides? 22
Articulus 3. Utrum Theologia nostra sit subalterna scientiæ beatorum? 27
Quæstio 3. An Theologia sit sapientia? 28
Caput II. *Utrum Theologia sit supernaturalis?* 30

TRACTATUS DE REVELATIONE, SEU DE VERA RELIGIONE.

Dissertatio unica. 32
Caput I. *De divinæ supernaturalis revelationis possibilitate.* 33
Caput II. *De revelationis necessitate.* 45
Caput III. *De notis divinæ ac supernaturalis revelationis.* 65
Articulus 1. De miraculis. 67
§ 1. De miraculi natura et definitione. 67
§ 2. De miraculorum possibilitate. 70
§ 3. De causis et auctoribus miraculorum. 73

§ 4. De vi probante miraculorum. 75
Articulus 2. De prophetiis. 88
§ 1. De natura et definitione prophetiæ. 88
§ 2. De prophetiæ possibilitate. 90
§ 3. De vi et efficacia prophetiæ ad probandam divinitatem revelationis. 91
CAPUT IV. *De existentia divinæ ac supernaturalis revelationis.* 94
QUÆSTIO 1. De revelatione primitiva. 95
QUÆSTIO 2. De divinis ac supernaturalibus revelationibus Mosaica et Christiana. 100
Articulus 1. Vindicatur auctoritas V. Testamenti. 101
§ 1. De Pentateuchi authenticitate et antiquitate. 101
§ 2. De Pentateuchi integritate. 109
§ 3. De Pentateuchi veritate. 116
Articulus 2. Vindicatur fides et auctoritas historica N. Testamenti. 123
§ 1. De Novi Testamenti authenticitate. 124
§ 2. De Novi Testamenti integritate. 128
§ 3. De Novi Testamenti veritate. 131
QUÆSTIO 3. Præcipua exponuntur argumenta quæ veram ac divinam esse Christi missionem, ac proinde divinam esse revelationem christianam comprobant. 145
QUÆSTIO 4. Summaria et concludens præter tres præcitatas revelationes nullam fuisse divinitus factam, nullam in futurum esse faciendam. 168
DE LOCIS THEOLOGICIS. 172

TRACTATUS DE ECCLESIA.

PROLUSIONES. 174
DISSERTATIO 1. DE ECCLESIA IN SE SPECTATA. 188
CAPUT I. *De nomine et essentia Ecclesiæ.* 188
CAPUT II. *De membris Ecclesiæ.* 192
Articulus 1. Utrum non baptizati sint membra Ecclesiæ? 192
Articulus 2. Utrum soli prædestinati sint membra Ecclesiæ? 194
Articulus 3. Utrum soli justi sint membra Ecclesiæ? 198
Articulus 4. Utrum apostatæ, hæretici et schismatici sint membra Ecclesiæ? 202
Articulus 5. An excommunicati sint membra Ecclesiæ? 212
CAPUT III. *De notis Ecclesiæ.* 213
Articulus 1. De notis Ecclesiæ ab hæreticis assignatis. 215
Articulus 2. De unitate Ecclesiæ. 220
Articulus 3. De sanctitate Ecclesiæ. 227
Articulus 4. De catholicitate Ecclesiæ. 230

Articulus 5. De apostolicitate Ecclesiæ. 234
CAPUT IV. *De Ecclesiæ proprietatibus.* 239
Articulus 1. De visibilitate Ecclesiæ. 239
Articulus 2. De indefectibilitate seu perpetuitate Ecclesiæ. 244
Articulus 3. De auctoritate Ecclesiæ ut docentis. 249
Articulus 4. De infallibilitate Ecclesiæ. 262
§ 1. Utrum Ecclesia sit infallibilis in definiendis controversiis, quæ ad fidem et mores spectant? 263
§. 2. An Ecclesia sit infallibilis in censura librorum, seu in factis dogmaticis et doctrinalibus. 280
DISSERTATIO 2. DE ROMANO PONTIFICE ET CONCILIIS. 300
CAPUT I. *De primatu Romani Pontificis.* 300
CAPUT II. *De primatus S. Pontificis prærogativis.* 324
CAPUT III. *De Conciliis.* 345
QUÆSTIO UNICA. De Conciliis in genere. 345
Articulus 1. De conditionibus requisitis in Concilio generali, ut sit legitimum et vere œcumenicum. 346
§ 1. De legitima Conciliorum convocatione. 346
§ 2. De legitima Conciliorum celebratione. 352
§ 3. De legitimo Conciliorum exitu. 357
Articulus 2. De Conciliorum auctoritate. 359
Articulus 3. De Conciliorum necessitate. 366
DISSERTATIO 3. DE PROPOSITIONUM HETERODOXARUM CENSURIS. 369
CAPUT I. *De modo quo propositiones heterodoxæ damnantur ab Ecclesia.* 370
CAPUT II. *De variis censuris, quibus propositiones heterodoxæ notari solent ab Ecclesia.* 376
DISSERTATIO 4. DE PRÆCIPUIS HÆRETICIS. 388

TRACTATUS DE VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO.

DISSERTATIO 1. DE VERBO DEI SCRIPTO. 396
QUÆSTIO 1. De S. Scripturæ auctoritate. 397
QUÆSTIO 2. De S. Scripturæ auctore. 401
QUÆSTIO 3. De S. Scripturarum canone. 410
Articulus 1. De canone Judæorum. 411
Articulus 2. De canone Catholicorum. 413
Articulus 3. De V. Testamenti libris canonicis in particulari. 418
Articulus 4. De N. Testamenti libris canonicis in particulari. 425
Articulus 5. De canone hæreticorum. 426
QUÆSTIO 4. De idiomate quo scripti sunt libri canonici. 441
QUÆSTIO 5. De variis S. Scripturæ versionibus. 442
Articulus 1. De versione hebraica. 442
Articulus 2. De versionibus V. Testamenti græcis. 445

Articulus 3. De versionibus latinis utriusque Testamenti. 448
Articulus 4. De vernaculis S. Scripturæ versionibus. 452
Quæstio 6. De S. Scripturæ sensu. 459
Articulus 1. De sensu S. Scripturæ in genere. 459
Articulus 2. De sensu S. Scripturæ litterali et mystico. 461
Articulus 3. De sensu S. Scripturæ accommodatitio. 464
Articulus 4. De S. Scripturæ interpretatione. 465
Quæstio 7 De regulis ad expositionem S. Scripturæ necessariis. 484
Quæstio 8. De regulis ad elucidandos Hebræorum idiotismos, seu proprietates, necessariis. 488
Quæstio 9. De regulis ad cognoscendos tropos et figuras Hebræorum necessariis, ex melioris notæ interpretibus excerptis. 493
Quæstio 10. De iis quæ ad cautam sacrorum interpretum lectionem observanda sunt. 498
Dissertatio 2. De Traditione et ejus mediis transmissionis. 501
Caput. I. *De Traditionis divinæ existentia et necessitate.* 502
Caput. II. *De regulis quibus divina Traditio discernitur ab Apostolica et Ecclesiastica.* 514
Caput III. *De mediis quibus transmissa est primitiva dogmatica Traditio, quibusque tuto cognosci potest.* 515
Quæstio 1. De mediis generalibus quibus transmissa est primitiva dogmatica Traditio, quibusque tuto cognosci potest. 516
Articulus 1. De Ecclesiæ magisterio. 516
Articulus 2. De Conciliorum, præsertim generalium actis. 518
Articulus 3. De actis martyrum. 519
Articulus 4. De sacra liturgia. 520
Articulus 5. De SS. Patribus traditionis testibus. 522
§ 1. De notione Patrum Ecclesiæ. 522
§ 2. De auctoritate Patrum Ecclesiæ. 524
§ 3. De cautione et discretione in legendis SS. Patrum scriptis. 530
Articulus 6. De Scholasticis theologis, ratione humana, philosophorum placitis et historia humana. 532
§ 1. De Doctorum scolasticorum auctoritate. 532
§ 2. De ratione naturali. 535
§ 3. De philosophorum placitis. 536
§ 4. De historia humana. 536
Quæstio 2. De mediis singularibus quibus antiqua traditio transmissa est atque cognoscitur. 538
Articulus 1. De epigraphia. 538
Articulus 2. De reliquis veterum Christianorum monumentis. 539

APPENDICES.

Appendix 1. Series SS. Pontificum, juxta Bullarii magni chronologiam.
Appendix 2. De Conciliis in specie.
Index analyticus.
Index brevis.

FINIS INDICIS BREVIS.

PARIS. — IMPRIMERIE PIERRE LAROUSSE, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49.

8901

208.9
C 382

AUTHOR CHARMES, THOMA.EX

TITLE Theologia Universa I

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Jesuits NOV 7	
	STORAGE - CBPL	

8901